





Supp 60093/e

CANCELLIERI, F

Vol-3





DE SECRETARIIS
NOVAE
BASILICAE VATICANAE
LIBERII.

SEQVITVR DIATRIBA

DE MONASTERIIS VATICANIS
ET LATERANENSIBVS



ROMAE ANNO C^DC^DCCCLXXXVI


EX OFFICINA SALVIONIANA AD LYCEVM SAPIENTIAE



DE TEMPLO ROTUNDO
 VVLGO MARTIS
 NVNCVPATO

C A P V T I.

De Templo, quod vulgo Marti inscribatur.



Vod jam inde ab operis initio proposuimus, ut Templum, quod ante hos non multos annos, PII VI. P. M. jussu, praesentibus nobis, atque spectantibus, solo aequatum est, ad amplioris, longeque praestantioris *Sacrarii* molitionem, illustrandum susciperemus, id nunc, cum Deo iuvante, praestandum est. Ac libentissime equidem facio, ut, quae meis ipse oculis haud ita pridem dejici, ac deleri vidi, ex auctorum monumentis, quantum stylo fieri poterit, instaurem, eorundemque immortalitati quodammodo consulam.

Jam vero, ferme omnes, qui Romanas antiquitates illustrarunt, Templum hoc rotundum, et vetusti aedificii opus esse, et *Marti*, sive alteri cuiquam Ethnicorum Numini, sacrum fuisse judicarunt. Quarum opinionum vanitatem priusquam arguam, ne ab instituto discedam, singulorum sententias, cum fide proponam.

Agmen ducet Albertinus, ubi ait ¹. *Templum Martis in Vaticano, ubi nunc est Oratorium S. Mariae de Febris.* Itidem Lucius Faunus ². *Martis Templum fuisse dicunt in via Triumphali, ubi D. Mariae Februm est Templum.* His concinunt Giovannolius ³, qui exhibet *Templum Martis ad Circum Neronis, hodie Bas. S. Petri Sacrarium*; necnon Martinellius, qui scripsit ⁴. *De Febris in Vaticano, olim Martis ad dexteram Bas. S. Petri, rotundum, et antiquum. Hic est sacrum Vestiarium dictae Bas., pluribus antiquis monumentis conspicuum.* Georgius Fabricius, et Oct. Panciro-
 lus, ne latum quidem unguem ab hujusmodi opinione sibi discedendum putarunt. Alter enim ait ⁵. *Templum Martis in Vaticano, nunc S. M. de Febris, ad sinistram ingredientium Bas. S. Petri.* Alter vero scripsit ⁶. *In Circo Neroniano erat Templum Martis, quod tam in veteris, quam in novae Basilicae constructione, semper extra eam fuit, et usque adhuc pro Sacratio inseruit, quum e contra alterum Apollinis in ea fuerit inclusum.* Id ipsum aequè sibi scribendum duxit Laurentius Schraderus ⁷ apud Andream Schottum ⁸, ubi haec occurrunt. *S. Mariae de Febris, olim Martis in Vaticano.* Eidem album calculum adjunxit Janus Jac. Boissardus, qui in *Topographia Urbis Romae* ⁹, et apud eundem Schottum ¹⁰ haec habet. *Templo S. Petri adjacet Sacellum, S. Mariae in Febre, quod olim Marti.* Quid vero Andreas Marianus? qui postquam retulit ¹¹,

¹ p. 49.

² l. iv. p. 125.

³ lib. 111. Rom. Ant. tab. xx.

⁴ p. 217.

⁵ in descr. Urb. Rom. T. 111. Graev. c. ix.

pag. 424

⁶ de Thes. abd. p. 519.

⁷ in Monument. Ital. lib. 11.

⁸ in Itin. Ital. p. 326.

⁹ T. I. p. 9. et in Itin. Ital. p. 357.

¹⁰ de reb. Ethn. et prof. in sacrum usum conversis c. LII. p. 261.

¹¹ Ruinarum Romae Epigrammata, quibus miranda Urbis agnoscuntur, nova, et vetera elogiis recensentur. Bononiae 1641. 12. de Sacratio S. Petri p. 112.

Basilicae Sacrarium olim fuisse Templum Martis triumphantis in Circo, ita cecinit

Petre, triumphator tua Mars Sacraria servat.

Quis gladium Paulo demat, et arma Petro?

Ac demum, ne L. Maurum ¹, Contarenum ², Vaccondium ³, aliosque enumerem, qui easdem tibias inflarunt, Johannes Marangonius, Petri de Sebastiani ⁴ sententiae plane adhaerens, nostra hac aetate haec literis consignavit ⁵. *S. Maria de Febribus, quod hodie Bas. Vat. Sacrarium est, fuit Templum Martis erectum extra Circum Neronis, et ab eo via triumphalis incipiebat. Qua de re totus hic Campus triumphalis appellabatur; siquidem heic disponebatur triumphus, ac interea in hoc Templo triumphaturus morabatur. Est formae octangularis cum octo Cellis, quarum sex in totidem Sacella conversae sunt, et alta apside cooperatum, ornatumque octo albis, altisque columnis. In sacrum usum conversum fuit primis Christianorum temporibus post Constantini aetatem. En igitur Scriptorum quasi cohortem, quae pro Martis Templo hactenus stetit, quamque nos debellandam pro virili aggrediemur.*

Nonnulli tamen fuerunt, (quid enim dissimulem?) iique inter antiquiores, quibus non aequae certa haec opinio visa est. Nam Onuphrius Panvinius idem non sine quadam haesitatione affirmavit, ubi ait ⁸. *Templum antiquum S. M. de Febribus . . . forma est octangula, antiquum aedificium fuit, et, ut quidam tradunt, Marti dicatum. Nunc pro Sacrario in usu est Canonicis Vaticanis, in quo omnia*

¹ p. 112.

² p. 86.

³ p. 82.

⁴ Viaggio sacro, e curioso delle Chiese più principali di Roma. 1683. 12.p.2., e 10.

⁵ T. 111. ms. c. xix. p. 27.

Bas. ornamenta aurea, argentea, et sericea, vestes sacrae, reliquiae, et libri servantur. Habet Altaria tria. Item videri potest Paullus Arringhius, ubi ad eundem modum, Martis delubrum, inquit ¹, (Apollinis Templo) proximum erat, neque e recentioribus desunt, qui eo loco exstitisse asserunt, ubi nunc ejusdem Basilicae Sacrarium intuentibus patet. De hac eadem opinione pariter ampliandum censuit Barpth. Marlianus, qui ait ². Templum Martis, ubi D. Mariae de Febribus in via olim triumphali quidam tradidere, sed auctorem idoneum non adducunt. Huic adstipulatur Gaspar Alverus, ubi scripsit ³. Sacrarium est formae rotundae, ac nonnulli contendunt, Templum Marti sacrum antiquitus fuisse.

§. I.

Eorum opiniones expenduntur, qui idem Templum Apollini, Soli, Dianae, Matri Deūm, ac Febri dicatum fuisse contendunt.

Neque vero defuerunt, qui etsi allatam sententiam improbarent, tamen Templum Matri Deūm sacrum fuisse arbitrati sunt. In quibus, praeter Sindonium ⁴, Severanus fuisse videtur, qui ita loquitur ⁵. Nonnulli contenderunt, S. Mariae Febrium Ecclesiam Martis Templum fuisse, et in eodem Triumphantem morari consuevisse, ut ait Panciro- lus, donec triumphus pararetur. Verum hoc aliis videtur inverisimile, quia exstructum est, ubi erat Circus Neronis, et poene contiguum Obelisco, quod erat in medio ipsius Circi.

¹ T. I. p. 213.

² l. v. p. 188. in T. 11J. Graevii.

³ T. 11. p. 205.

⁴ pag. 150. de Altaribus, et Reliquiis Bas. Vat.

⁵ par. 1. pag. 95.

Ceterum anno 1609. dum novae Basilicae fundamenta jacerentur, refert Grimaldus, plura ex hac parte reperta fuisse marmora inscripta

MATRI DEVM MAGNAE IDEAE SACRAE

in quibus insculpta erant sacrificia Taurobolia, et Criobolia nuncupata, quae quidem saxa ab illius aevi Christianis pro contemptu, atque odio disrupta fuerunt, unaque eò loci projecta. Propterea ex hac aequivocatione Matris, et Martis, fortasse introducta erit opinio, quod hoc Martis Templum esset. Nunc haec eadem marmora in Villa Burghesiorum conspiciuntur.

Verum praestabit ipsius Grimaldi verba audire, quae primum a Francisco Blanchinio, praefationi ad Anastasium intexta, nunc iterum a nobis ex Codice autographo diligentius descripta, sic habent. In loco, ubi nunc est Sacellum Apostolorum Simonis, et Iudae, in absida novi Templi, quae ad meridiem vergit, Mausoleum S. Petronillae a Scriptoribus appellatum, quod ob parietum crassitudinem, et firmissimam e lateribus structuram, sumptuosum sane, et insigne opus fuit. Superest adhuc Templum aliud eidem simile, a dicto loco non multum distans, quod pridem Sanctus Andreas, postea Sancta Maria de Febribus vocatum est, nunc ad Sacrarii usum inservit. Id quidem Marti sacrum fuisse scribitur. Sed ut Vir doctus, et Urbis Ecclesiarum antiquitatis indagator studiosissimus Dom. Pompejus Vgonius, dictae Basilicae Clericus Beneficiatus, Orator insignis, non Marti, sed potius Matri, corrupto vocabulo in Martem primitus dicatum fuisse existimat. Idque inter alia potissimum elicit, quod hoc tempore, quum Paulli V. P.M. jussu, an-

terioris faciei angulus versus Campum Sanctum fundaretur, effossae sunt ibi quamplures arae

MATRI DEVM MAGNAE IDEAE SACRAE

sculptae, Taurobolii, et Criobolii sacrificiis, temporibus Constantii, et Maximiani Nobilissim. Caesarum, Gratiani Aug. et Merobaudi Coss. Valentiniani Aug. et Neoterii Coss. et aliae hujuscemodi, quae in spretum acervatim, huc illuc, ac fractae a Christianis olim fuerant. Nunc visuntur in vinea Ill^mi Card. Burghesii extra Portam Salariam. Quae tamen misere posthac deperiisse, aut certe aliò ablata fuisse putandum est, quum nulla eorum exstet memoria in descriptionibus ejusdem Villae.

Audi nunc, quid de hoc Templo idem Vgonius scriptum reliquit ¹. *La Sacristia, che è oggi di S. Pietro, scrivono alcuni, che fu un Tempio di Apolline.* Hos inter numerandus est Ciacconius, qui *Templum rotundum, quod S. M. de Febribus dicitur, et hodie pro Sacrario, quod Sacristiam vocant, in usu est, olim Apollinis Templum fuisse affirmavit.* Pergit vero Vgonius. *Et l'Oratorio, che è nel Portico, detto oggi S. M. della Febre, un Tempio di Marte. Altri questo di Apolline, e quel di Marte.* Atque heic graviore lapsu, nonnisi de Oratorio Gregoriano B. V. a Febribus sacro, Vgonium loqui palam est. Quid enim Templi Vat. Porticus commune habet cum Templo rotundo, quod a nonnullis traditum narrat, fuisse Templum Apollinis? Ceterum hujusmodi sententias ita improbavit. *A molti non par verisimile, che tali Tempii fossero fabbricati da' Gentili. Poichè essendo ambedue nel Circo istesso, havrebbero recato grande impedimento ai giochi, che quivi anticamente si faceva-*

¹ Stazioni di Roma. p. 101.

no . Di più ancora la sopradetta Sacristia era sì addosso all'Obelisco , di cui s'è di sopra parlato , che non solamente havrebbe impedito lo spatio al correre , ma toglieva anco , et occupava la vista di esso Obelisco . Di modo che si conchiude , esser più verisimile , che l'uno , e l'altro di questi luoghi sieno stati fatti da' fondamenti da' nostri Pontefici . Sed contra hanc sententiam , Templum *Matri Deūm* dicatum fuisse scripsit , in *Theatro Urbis Romae* , quod MSS. adservatur in Biblioth. Barberina ¹.

Esto tamen , quod ita Vgonius opinatus sit . Quid inde ? num iccirco Vgonii , Grimaldi , et Severani conjecturae audiendae nobis sunt , Templumque , de quo agimus , pro Templo *Matris Deūm* accipiendum ? Nihil minus . Haec enim dumtaxat indicio sunt , sacra *Matris Magnae* , in Vaticano Colle peragi consuuisse , quod luculentius confirmat Lugdunensis Inscriptio a Dominico de Colonia ² , et a Philippo a Turre ³ illustrata , Fratresque Arvales ibidem Aedes habuisse , ad Sodalitii sui ritus , et caeremonias obeundas . Quod ipsum disertè item testantur marmoreae tabulae , nuperrime ibidem effossae , et a V. C. Cajetano Marinio in lucem editae , quas nos iterum infra evulgabimus .

Idem profecto sentiendum est de alteris Inscriptio- num Collegii Fratrum Arvalium fragmentis a Grimaldo memoratis , quae ab eodem summa fide descripta , partim a Martinellio ⁴ , partim a Fabretto ⁵ , et Marangonio ⁶ in lucem edita , ac deinde universa a Franc. Blanchinio ⁷ publici juris facta , nos iterum ad calcem operis evulgabimus .

¹ Cod. 1057. fol.

² de Ara Lugdun.

³ T. 111. Collect. Opusc. Caloger. p. 447. et T. 111. novi Thesauri Sallengr.

⁴ de imag. B.V. in Eccl. SS. Dom. et Xysti.

⁵ pag. 443.

⁶ c. IX. delle cose gentilesche p. 36.

⁷ in Praef. edit. Anastas.

Ceterum haec Ciampinius minime animadvertit, qui hujusmodi conjecturis ex toto subscripsit. *Prope Obeliscum*, inquit ¹, *Occidentem versus duo aderant rotunda Temppla, quorum Obelisco proximius Matri Deūm, licet perperam a quibusdam Marti attributum, et hoc Neronis Vestiarium appellatum. Alterum vero remotius Apollini, idest Soli dicatum erat. Vtraque cum transitu simul conjuncta, in hisce aedificiis speciali nota digna sunt, non solum, quod in Circi spina erant constructa, verum etiam quod in una eademque parte sita, quum contrarium appareat ex Circo Caracallae a Panvinio ² in suo opere de ludis Circensibus relato, ubi ex una Obelisci parte Solis Templum, ex altera vero Matris Deūm Simulacrum cernitur. Itemque ante Apollinis Templum observandum est, fuisse vestibulum, quod Vaticanum denominabatur, quia Vates scilicet, Idolorum Sacerdotes, ibi sacra peragebant, ideoque tota illa pars Basilicae, quae Meridiem respicit, Vaticanum etiam dicta fuit, ut narrat antiquus scriptor Petrus Mallius in sua descriptione veteris Basilicae num. 1. Huic autem sententiae adeo morcus adhaesit, ut de ea sese minime dubitare profiteatur. Ita enim alibi scripsit ³. *Templum S. Petronillae excipiebat alterum in Orientem, simile superioribus, unde aditus in Templum Matris Deūm, postmodum S. Maria de Febribus nuncupatum. Ac paullo post ⁴. S. M. de Febribus Templum simile omnino alteri S. Petronillae supra descripto erat... Adhuc integrum, in Basilicae Sacrarium conversum cernitur. Duo haec maximae vetustatis Temppla conjunctim exstructa, atque per eum aditum, sive transitum, quem descripsimus, connexa, a quo excitata fuerint, ignoratur. Verisimile tamen**

¹ de Sacr. Aedif. c. 17. p. 28.

² pag. 57.

³ sect. XI. n. 162. p. 59.

⁴ sect. XII. p. 59.

est, Ethnicorum opus fuisse, qui in medio Circi erigebant Temppla, quum haec in medio Circi Caii Neronis exstructa essent, et majorum traditione acceptum sit, unum ex his, illud videlicet S. Petronillae, Apollinis, sive Solis Templum fuisse, alterum vero, nempe S. Mariae de Febribus, Templum Matris Deum.

Atque hinc fortasse apud nonnullos ¹ vel illa adhaesit opinio, aeneam Pineam, quae nunc in Viridario Vaticano adservatur, olim in hoc eodem Templo fuisse collocatam. Sed tamen communior fuisse videtur sententia, eam in Pantheo ², quod eidem Deae dicatum putabant, exstitisse. Narrat enim P. Mallius. *In Paradiso S. Petri est Cantharium, quod fecit fieri Symmachus Papa, columnis Porphyriticis ornatum. In medio vero hujus Canthari est Pineae aenea, quae fuit coopertorium cum sinino aereo, et deaurato super Statuam Cybeles Matris Deorum, in foramine Pantheon.* Quae quidem ab Anonymo totidem quasi verbis referuntur ³, atque alibi confirmantur, ubi *de Pineae, quae stabat in Roma, haec habet* ⁴. *In fastigio Pantheon, id est S. M. Rotundae, stabat pinea aerea, quae nunc est ante Portam S. Petri, quae tota cooperta fuit tabulis aereis, et deauratis, ita quod a longe, quasi mons aureus videbatur, cujus pulcritudo adhuc in parte cernitur.* Ceterum etsi non desint, qui eam una cum aeneis Pavonibus ad Honorii Mausoleum ⁵, aut ad Pyramidem, vulgo Scipionum ⁶ spectasse putent, Flaminius Vacca ⁷ Strobilum

¹ Costaguti Architett. di S. Pietro p. XI.

² Severanus de VI. Eccl. p. 64. Landinus in Comm. ad Dant. Vgonio Stazioni di Roma p. 95.

³ in Diar. Ital. Montfauconii p. 291.

⁴ ibid. p. 287.

⁵ Nardini Roma ant. p. 1320.

⁶ Vlisse Aldrovandi Statue di Roma p. 312. V. Winchelmann Storia dell'Arti del disegno T. II. p. 44. et T. III. p. 410.

⁷ in Diar. Ital. Montfauc. p. 275. et in Rom. Ant. Nardinii num. 61.

hunc aereum inauratum ingentis amplitudinis, quem Dan-tes Aligherius Gigantis capiti adsimilavit, iis versibus ¹

*La faccia sua mi pareva longa, e grossa,
Come la Pina di S. Pietro a Roma,*

ad pedem Hadrianeae molis deprehensum fuisse scribit, quum Ecclesia Transpontina vetus instauraretur, ajuntque Strobilum fastigio Hadrianeae Molis olim impositum fuisse, quam idem Anonymus ², in circuitu cancellis aereis circumseptam fuisse tradit cum Pavonibus aureis, et Tauro, ex quibus fuerunt duo, qui sunt in Cantaro Paradisi.

Quae vero Ciampinius protulit, ex Alpharano sumpta, seu potius surrepta, suppresso ejus nomine videntur, quum haec apud eundem offenderim ³. Sed ingrediamur B. M. de Febris Templum, quod integrum adhuc superest, et ab omnibus cerni potest, quod octangulum, et rotundum est, et octo Sacella etiam habet, et est ejusdem mensurae, et formae, sicut supra de B. Petronillae Templo expressimus. Haec duo Tempa antiquissima, erant simul, ut supra ostendimus, conjunctim exstructa, simulque connexa. A quo exstructa fuerint, ignoratur. Sed sunt, qui referunt, unum horum, Apollinis Templum, vel Solis, alterum Martis, vel Dianae fuisse, quae in medio Circi a Gentilibus exstrui solebant. Quod quidem quadrare videtur, quum haec

¹ in Can. xxxI. Inferni.

² apud Montfaucon. p. 291. V. Panvinium, Ligorium, Marlianum, Turrigium Grotte Vat. p. 158. Donatum in Roma Vet. p. 484. Ciampini de Sacr. Aed. p. 33. Marangoni della Pigna di metallo, ch'era anticamente nell'Atrio della Bas. Vat. c. LXIX. p. 369. De eadem Pinea haec habet Alpharanus. In mezo di questo Atrio infra li quattro portichi, innanti che se entra in Chiesa, sub divo, vi è la pigna enea

ornata cum pavonibus, et Delphinis deauratis (et griffonibus marmoreis, circum circa infra columnas plumbatis ad sustinendam aquam, qui griffones e vetustate collabentes sublatis, positi sunt in pavimento Navis Portae Iudicii anno 1574. versa facie in terra ante Crucifixum) et tecto aeneo a Simmaco PP. omnia exstructa, ut Bedas, Anastasius Bibl. et Petrus Diaconus lib. v. Hist. Langobard. ³ ms. c. xII. p. 62.

duo *Templa in medio Circi Caii, et Neronis exstructa videantur; alii vero Templa a Christianis exstructa contendunt. Sed omissa haec relinquamus iudicio aliorum, et ad reliqua procedamus. Quae strictius apud eundem Alpharanum notata comperi in alio Codice Albano, ubi ¹ Templum olim Martis, vel Dianae, postea S. Mariae de Febribus appellat. Haec autem nova Alpharani opinio, de Dianae Templo, ex eo fortasse manare potuit, quod, nescio quam gravibus rationum momentis, generatim constituit Jac. Gutherius ², nimirum *Templa rotunda ab antiquis Vestae, Dianae, Herculi, vel Mercurio erigi consuevisse.**

Quis autem jure non exhibilet Matthaei Palmerii opinionem a Turrigio ³ declaratam, Templum hoc scilicet *Deae Febrî* dicatum fuisse, quod deinde *B. M. a Febribus* sacrum fuit, quodque Volaterranus ⁴ minus proprie *Febris Sacellum* nuncupavit?

§. II.

Caussae, quibus hoc Templum ab Ethnicis minime erectum esse putandum est.

Ex his, quae mox afferemus, nemini ex inanibus Diis hactenus memoratis Templum dicatum fuisse, clarius constabit. Sed primum audias, rogo, quae Ciampinius, haud melioris frugis deinde subnectit. *Vltra superius relata, inquit ⁵, aedificia a nostro Caesare (Constantino) constructa, Turrigius in suis Cryptis Vaticanis ⁶, Templum scribit illud rotundum, quod nunc pro Sacrario Basilicae Vaticanae inseruit, antiquitus Apollinis fuisse Templum,*

¹ litt. E. in ichnogr.

² de vet. jure Pontificio l. xli. c. xl.

³ p. 434.

⁴ in Urb. Romae descriptione. Romae

1523. 4. p. 145. ⁵ c. xvi. p. 139.

⁶ p. 46. et 47.

postea a Paulo I. SS. P. in divini cultus honorem consecratum, ut narravimus supra in descriptione ejusdem Vat. Bas. sub num. 155. et litt. d. Deinde idem Turrigius¹ in dubium revocat, an revera idem Templum illud falso Numini dicatum fuerit, vel aliud eidem proximum. Quomocumque se res habeat, asserit² ex ms. quodam in Archivo ejusdem Basilicae asservato, hoc notatum reperiri. Nunc Sacristia Templum rotundum, fuit a M. Constantino exstructum, in quo B. Gregorius P. primus recondidit Brachium Sancti Andreae Apostoli. Quidquid de hac veritate sit, aliis illam e tenebris eruendam relinquo.

Hactenus Ciampinius. Ego vero priusquam hanc provinciam aggrediar, mihi temperare non possum, quin Ciampinium ipsum, quocum toties, operis decursu, contentionis funem ducere coactus sum, iterum castigatum dimittam. Certe, si *speciali nota dignum* fuisse ei visum est, quod *hujusmodi Tempia in Circi spina constructa essent, et in una eademque parte sita*, cur, quaeso, in mentem illi venit, Ethnicorum opus ea fuisse, propterea quod *in medio Circi Tempia erigere* consueverant? Quid enim Circi spina, nisi murus humilis medio in Circo, a meta ad metam ductus? Quare si ab erigendis Templis in Circi spina veteres abstinebant, ne in medio quidem ea erexisse dicendi sunt; vel si in medio erigebant, quid mirum, ac *speciali nota dignum*, si haec in Circi spina exstructa essent?

Id autem manifestum etiam fit ex omnibus omnium Circorum ichnographiis³, ac praecipue ex eo, quem

¹ p. 179.

² p. 185.

³ V. Nicol. Calliachium. de Circensibus ludis T. v. Suppl. Poleni p. 473. Jos. Em-

manuellem Miniana. de Circi antiquitate, et ejus structura. ibid. p. 445. Bulengerum. Tom. II. Opusc. Lugd. 1626. fol.

adhuc superstitem Caracallae, ut vocant, prope Appiam admiramur. Ibi praeter Metas, et Carceres, Aramque Deo Conso sacram, quae sub terra delitescebat, ac propterea appellabatur antrum, seu crypta Consi, nimirum Neptuni, ut Tertulliano, aliisque ¹ videtur, ne vestigium quidem ullum Templorum apparet. Quid ni? quum in medio Circi Maximi, quem Panvinius ² describit, splenderet tantum *Aedicula Solis*, cum ejus, aliorumque Deorum Statuis, Delphinibus, Phalis, sive Turribus rotundis, fastigio referentibus formam Ovorum Castoris, et Pollucis, de quibus speciatim agit Octavius Ferrarius ³, quae dividebant Euripum, et Metas. Haec tamen aut nihil, aut parum certe spectatoribus impedimento esse poterant. Ita ne vero, si ibidem magnae molis Tempora statuissent? Si quidem Sacella, sive Aediculae ⁴, quae sub dio, ac sine parietibus extimis eminebant, inter Obeliscos, Metas, et Deorum Simulacra, ad ipsorum Deorum cultum, et Circorum ornatum, concinne, et commode locabantur, quin spectaculorum adspectum auferrent, quae circa spinam edebantur.

Quae quum ita sint, quanti acuminis fuisset, quum Ciampinius utraque Tempora videret, praeter ordinem ab se confictum, *una, eademque parte sita*, postmodum a Christianis aedificata declarare? Quid autem dicam de alio loco, ubi ait, verisimile quidem esse, Tem-

Salmasium, in Commentar. ad Solinum. M. Velsorum. ad Sidonium pag. 262. Sirmundum in ejus Opp. p. 402. Bandurium. ad Ant. Cpol. p. 662. Camillum Sylvestrum. ad Juven. Sat. 111. v. 63. Fabretum. ad Column. Trajanani p. 144. Averanium. diss. xv111. et Ioh. Christophor. Cramerum. in Vol. v. Actor. Societ. latin. Ienensis p. 291.

1 Fabianus Toernerus de Ara Consi subterranea. Vpsal. 1721. 8.

2 de Ludis Circensibus cum notis Ioh. Pinelli Argoli. Patavii 1600. fol.

3 11. xv. Electorum.


4 Fil. Venuti in T. 11. Dissert. Acad. Etruscae Corton. sopra i Tempietti degli Antichi p. 211.

plum *S. Petronillae*, *Apollini*, sive *Soli* sacrum fuisse, quamvis alibi, uti supra vidimus, nunc ab *Honorio I.*, nunc a *Paullo I.* exstructum affirmaverit; eodemque libro, a quo fuerit excitatum, sese ignorasse profiteatur? Illud vero magis me movit, quod refert, *Turrigium* ¹ *Sacrarium Basil. Vatic.*, pro *Templo Apollinis* accepisse, quum *Turrigius* ipse, locis a *Ciampinio* indicatis, et a me diligenter excussis, diserte asserat, *Templum Apollinis*, *proximum Sacrario* fuisse, ac proinde procul dubio statuendum sit, eum ibidem de *Templo S. Petronillae* loquutum fuisse, etsi addat multo inferius ², *communio-rem eruditorum esse opinionem*, *Templum Apollinis exstitisse*, *aut eodem loco, ubi Sacrarium erat, aut paullo procul*.

Sed jam satis operae impensum est, in *Ciampinii* opinionibus, ne, an somniis? refutandis. Nunc in arenam descendendum est contra *Martis* Templi propugnatores. Quod dum faciemus, una opera, *Panvinium*, *Alpharanum*, *Vgonium*, *Severanum*, ipsumque *Ciampinium*, *Apollinis*, *Solis*, *Dianae*, seu *Matris Deum* Templi assertores refellemus. Quamquam, quae superius a nobis allata sunt, ut probarem, *Apollinis* Templum in *Circi* area nunquam exstitisse, ea satis superque per se clamant, idem de *Templo Martis* esse sentiendum. Iis igitur, quae illuc congesimus, in praesentia omissis, haec tantum adjicimus, quae huic loco potissimum convenire visa sunt, quaeque de industria huc reservavimus.

1 p. 46. et 47.

2 p. 179.



§. III.

De veteri Statione Obelisci Vat. pone dejectum Sacrarium .

Quum Vgonius animadvertisset, duo haec Templâ, maximo futura ludis Circensibus impedimento, recte pronunciasse audivimus, *Sacrarîi Templum adeo Obelisco insedisse, ut non solum spatium quadrigarum cursui necessarium sustulisset, sed etiam ipsius Obelisci adspectum occupasset.* Quod certe a Romanis factum fuisse, nemo sibi persuadeat, qui, teste Plinio ¹, eos in Circo statuebant, Solisque Numini consecrabant, ut conspici undecumque possent, omnesque ad sui admirationem excitarent. Id autem in hoc etiam Obelisco praestitisse putandi sunt, qui, ut idem Plinius ait ², *imitatione ejus, quem fecerat Sesostridis Filius Nuncoreus*, inter Urbis insigniores numerandus erat. Is certe ex Aegypto ³ *navi, qua nihil admirabilius in mari visum fuerat*, Romam advectus, unus omnibus, quotquot in Vrbe erecti fuerunt, felicior quodammodo, ac fortunatior habendus est, quippe qui mole sua stetit, statque adhuc incolumis, in area medius, contra Templum Vaticanum ⁴.

Non enim audiendi sunt Joh. Palatius ⁵, qui Totilam Gothorum Regem, hunc, aliosque evertisse scripsit, et Claudius Molinetius ad VII. numisma Xysti V, ubi refert, Pontificem hunc decrevisse, illum Cruci consecrare, tunc neglectum, *humi jacentem*, ruderibusque, ac terra pene obrutum, ac delitescentem, ut falso item

¹ l. xxxvi. c. viii. ² ibid. c. xi.
³ c. xi. l. xvi. V. Kircherum in Obelisco Pamphilio, et T. ii. Oedipi P. ii. p. 315.
 et Chaussaeum in epist. de Columna Anto-

nini Pii in Eph. lit. Paris. 1704. T. ii. p. 540.

⁴ Pansa Bibl. Vat. p. 98. Jobert. Scien. des Medaill. p. 21. Venuti Num. Pont. p. 139.

⁵ in vita Xysti V.

opinati sunt Ciampinius ¹, Victorellus ², Ficoronius ³, Marangonius ⁴, Venutus ⁵, auctorque Anonymus vitarum *celebrium Architectorum* ⁶. Siquidem a Nicephoro Callixto ⁷ accepimus, quod Alaricus Gothorum Rex, una cum Athaulpho Vxsoris Fratre, in Urbis depopulatione anno CDX. iis solum, in quo Petri tumulus est Templo, quod ingens, et amplum est, parcere jussit, quae causa fuit, ne Romani funditus interirent. Quum enim eo propter timorem quamplurimi confluxissent, ob reverentiam servati, Urbem de novo aedificiis restaurarunt. Item ex Orosio ⁸ discimus, quod etiam Baronius ⁹ animadvertit, Alaricum, quum passim Romanae opes diriperentur, sacram omnem suppellectilem SS. Petri, et Paulli Basilicis reddi, Christianos ad eas confugientes incolumes, utriusque Templi viciniam intactam esse voluisse. Quare proximus Vat. Bas. Obeliscus, quum alii, arietum impetu, suis e basibus dejecti fuerint, uti ajunt Fontana ¹⁰, Mercatus ¹¹, Nardinius ¹², Owerbechius ¹³, Contarenus ¹⁴, aliique, pristinum statum servavit, atque in sua basi superstes remansit. Ceterum Petr. Angelius Bargaeus aliam hujus rei causam, eamque probabiliorem profert, quam ex eo praestat audire. Vbi enim agit de aedificiorum Urbis ever-

1 p. 90.

2 Degli Obelischii santamente convertiti ad onore di Dio cap. II. p. 291. Dell' Obelisco drizzato nella Piazza di S. Pietro c. XXI. 200. Considerazioni sopra l'Obelisco, o Guglia di S. Pietro c. XXI. p. 323. nel libro De' Ministerj, e delle Operazioni Angeliche.

3 in par. II. Vestig. Urb. Rom. p. 11.

4 Degli Obelischii, o Guglie consagrati all'Idolatria, poscia dedicati alla Croce,

e convertiti in adornamento del prospetto delle Chiese. p. 359.

5 T. II. Rom. rec. p. 106.

6 p. 296. 7 lib. XII. c. 35.

8 l. VI. c. 37.

9 T. v. ad an. 410.

10 Tempio Vat.

11 c. 40.

12 p. 1301.

13 p. 181. edit. Rollian.

14 p. 869.

soribus ¹, quaerit, cur Pontifices, etsi reliquos Obeliscos evertendos curaverint, Vaticano tantum pepercerint, quem suo loco stantem, ac ne tantulum quidem ulla ex parte laesum omnes viderant? Siquidem minime censendum putabat, ceteros Obeliscos, vel fulmine, vel terraemotu dejectos, quum verticum, et ferramentorum vestigia, quibus eversi sunt, palam exstarent in infimae partis lateribus, quae basim spectabant. Quocirca conjiciendum putavit, quum Pontifices a Christianis Imperatoribus Theatra, et Balneas, omnium flagitiorum sedes, ac latebras, evertendi potestatem impetrassent, id, etiam iis Obeliscis contigisse, qui Soli, ac Lunae dicati essent. Sed quum nulla superstitionis vestigia in Obelisco Vaticano residerent, quem Augusto, ac Tiberio ab Caligula dicatum ex ipsa inscriptione constabat, iccirco Pontifices de ejus dejectione minime cogitarunt. *Caesarum itaque nomen fuit, pergit Bargaeus, quod illum integrum, atque incolumem servavit, quemadmodum etiam Trajani, et Antonini Columnas cochlides, triumphales Arcus Titi, Domitiani, Severi, Gordianorum, ad quorum eversio- nem nihil omnino erat, cur Pontifices magnopere incitarentur.*

Porro, quoties iidem Pontifices sese ad Bas. Vat. sollemni pompa conferrent, pone Obeliscum transibant. Docet enim Ordo xI. ² *Intrans per Pontem Adriani ante Templum ejus, et juxta Obeliscum Neronis, et ante Memoriam Romuli, et per Porticum ascendens in Vaticanum ad Basilicam S. Petri, ubi est Statio. Atque alibi ³. Intrat per Pontem, et exit per Portam Collinam ante Templum, et Castellum Adriani, proficiscens ante Obeliscum Neronis, intrat per Porticum, juxta Sepulchrum Romuli, ascendit ad*

¹ Florentiae 1548. et in T. IV. Thes. Graevii p. 1891. ² p. 116. ³ p. 143.

Vaticanum in Bas. B. Petri Apostoli, ibique cum omni Populo Romano cantat Missam.

Qualis tamen cumque fuerit caussa, cur hic unus ex Urbis Obeliscis e sua basi nunquam revulsus fuerit, de re dubitari minime potest. Id enim quoque Maph. Vegius diserte testatur, ubi ait ¹. *Si vero ingens illud etiam, et insigne antiquitatis monumentum, quod ex tot, tantisque aliis mirum, adhuc integrum, et incorruptum exstat, attendere velimus, Obeliscum scilicet, quem in Vaticano Circo C. Caligula, consecratis ibi Patris Tiberii, Avique Augusti cineribus, admirandam certe, et stupendam molem erexit, cujus erectio tanti aestimata fuit, ut nave, quae illum ex Aegypto advexit, nihil admirabilius in mari unquam visum fuisse memoretur, nihil quoque abiete, arbore ejus navis, cujus crassitudo quattuor hominum ulnas complectentium implebat. Quibus Vegii verbis mirifice concinit Albertinius in hunc modum ². Obeliscus Vaticani in Circo Neronis a C. Caesare Caligula positus . . . aliis vero jacentibus, solus erectus, stat super basim ejusdem coloris, altitudo cujus est pedum LXXII. . . in cujus summitate pila deaurata posita est. Haec autem excerpit etiam Marlianus, ubi tradidit. Unus solus erectus visitur ³. Itemque Panvinius, qui ait ⁴. Vbi nunc Basilica S. Petri est, Circus antiquus fuit, cujus adhuc integer suo loco exstat Obeliscus ab ejusdem Basilicae latere; vulgo Gulia vocatur. Neque secus loquitur Andreas Palladius, inquit ⁵. Vna, che è ancora in piedi dietro la Chiesa di S. Pietro, di altezza di piedi 72, nella sommità della quale vi sono le ceneri di Giulio Cesare. Ad-*

¹ n. 29. p. 66.

² p. 50.

⁴ T. I. ms. p. 96.

³ in Topogr. l.v.c. xxi. Urb. Romae 1544. fol. et in T. III. Thes. Graevii p. 250.

⁵ L'Antichità di Roma. Ven. 1575. 12. pag. 374.

de Antonium M. Gratianum de *scriptis invita Minerva*, ubi Xysti V. gesta recensens, haec habet ¹. Caligulae primum Obeliscum, qui etsi solus integer stabat, tamen in Vaticani angulo, a tergo Templi, ignobili loco, latebat, in Forum ipsum, Areamque, quae latissima ante Templum est, transtulit. Huc etiam praecipue facit ejusdem P. A. Bargaei testimonium, qui alibi ita scriptum reliquit ². Remanebat in Vrbe Obeliscus ruderibus ille quidem, et aedium, quae corruerant, parietinis, et coementis poene obrutus: sed quod miraculi loco haberi debeat, nullam omnino vel barbararum nationum, quae captam Urbem, et eversam solo aequaverunt, et ceteros Obeliscos humi dejectos confregerunt, vel Romanorum etiam ipsorum injuriam passus, aut aeris, et ingruentium ventorum vi, atque intemperie, ulla ex parte vel exesus, vel comminutus, ut ad aliquem alicujus aetatis usum, et felicitatem conservari videretur. At qua in Urbis parte remanebat? nempe in Vaticano, atque in ipso Caii, et Neronis Circo... Itaque ille quidem sic delitescerat, ut et scelerum, quae illic commissa fuerant cum plurima, tum immantia, recordatione, et memoria quasi lugere, et loci religionem, et frequentiam perhorrere, ac reformidare quodammodo videretur... Stabat itaque trabs illa saxea, quamquam in obscuro loco, in Vaticano tamen, visebaturque quotidie ab externis nationibus, non omnino sine Christianae pietatis detrimento. A sacrosanctis enim Altaribus, ac locis piis in sui admirationem omnium oculos convertebat; quorum etiam plerique Caesaris cineres venerabantur, quos in sphaera illa inaurata, quam Obelisco impositam videbant, falso ex vulgi opinione sibi persuaserant.

¹ T. I. p. 216.

Romae 1586. 4. pag. 70. ac in T. IV. Thes.

² in Comment. de Obelisco ad Sixt. V.

Graevii p. 1931.

Quod vero Obeliscus *Sacrario* continens esset, id omnes ferme Scriptores, qui de eo pertractarunt, diserte testantur. Non heic eorum indicem attexam, neque tamen nullum, exempli caussa, proferam. Huc igitur, excerpta subijciam ex opere Philippi Pigafettae inscripto. *Discorso intorno all' Historia della Agulia, et alla ragione del muoverla* ¹. *Sta hora questa Aguglia dietro la Sacrestia di quella Chiesa, et quasi la tocca contra Ponente, et a Tramontana, presso casette, et in viafangosa, et ristretta, et non rigguardevole*. His gemina habet Petrus Galesinius ², ubi sic loquitur. *Situs unde evulsus est, prope attingit Sacrarium Bas. S. Petri, quod ad meridiem vergit*. Praeterea id tabulae docent, tum antiquiores Demonstiosii ³, et Gamuccii ⁴, tum quae in spissum Fontanae volumen relatae sunt. His accedit Bonanniana ⁵, in qua prospectus lateralis antiquae Basilicae, et locus Obelisci ante Xysti V. Pontificatum accurate designatur, ut videre est in hujusce libri fronte, praeter omnium ferme Scriptorum testimonia. Sed ut Mercatum ⁶, Panciolum ⁷, ejusque editores Franc. Posterla, et Franc. Cecconi ⁸, Panvinium ⁹, Julian. Pouchard ¹⁰, Vgonium ¹¹, Alverum ¹², Vaccondium ¹³, Marangonium ¹⁴, Sergardum ¹⁵, ceterosque praetermittam, unum heic audire placet Ciampinium, qui ita scribit ¹⁶. *Praecipuum, et principale Circi signum erat Obeliscus, qui nunc ante Basilicam cernitur, olim situs pro-*

¹ Roma 1586. 4.

² Ordo dedicationis Obelisci, quem Sixtus V. in foro Vaticano ad limina Apostolorum erexit. Romae 1586. 4.

³ p. 10. ⁴ p. 195. ⁵ Tab. 74. p. 196.

⁶ p. 365. ⁷ p. 519.

⁸ p. 344. Roma Sagra e Moderna 1725.

⁹ de ludis Circi. in T. IX. Thes. Grae. p. 240.

¹⁰ Reflexions sur les Obeliques. dans l'Hist. de l'Acad. des Inscript. T. I. p. 239.

¹¹ p. 101. ¹² p. 28. ¹³ p. 82.

¹⁴ nel Pellegrino divoto p. 147.

¹⁵ Discorso sopra il nuovo ornato della Guglia di S. Pietro. Roma 1723. fol. p. 3.

et in nupera ejus Opp. edit. Senonsi.

¹⁶ p. 28.

pe, ubi nunc Sacrarium. Et rursus alibi ¹. Ab hujus Sacelli tergo magnus ille Obeliscus jacebat, qui antequam a Constantino Caesar. Caii Neronis demoliretur Circus, in ejus medio olim steterat, cujus in summitate pomum ex aere deauratum erat, in quo Iulii Caesaris cineres fuisse conditas, fama depraedicabat.

Verum hoc multo ante testatum reliquit Anonymus de *Mirabilibus Romae*, cujus locus talis est ². *Infra Palatium Neronianum est Templum Apollinis . . . Ibique aliud Templum, quod fuit Aerarium Neronis, ubi nunc est Ecclesia S. Andreae, juxta quod est memoria Caesaris, id est Agulia, ubi splendide cinis ejus in suo sarcophago, idest aureo malo requiescit: ut sicut eo vivente, totus Mundus ei subjectus fuit, ita ut eo mortuo, omnia alia defunctorum corpora sibi subjicerentur. Superius vero in gyro mali aurei scriptum est, tantus erat, quantus et Orbis, sed nunc in modico clauditur antro. Inferius vero graecis litteris ista carmina sunt descripta.*

Si lapis est unus, dic, qua fuit arte levatus?

Et si sint plures, dic, ubi contigui?

Haec eadem paullo contractius, pluribusque mendis scantentia, occurrunt in libello inscripto, *Mirabilia Urbis Romae*, usque ab anno MDXXXVII. per Valerium Doricum in lucem edito, ubi legitur. *De Agulea S. Petri. Ibi est memoria Caesaris, ubi splendidus cinis in suo sacrotagio, idest malo ereo requiescit, ut sicut eo vivente totus mundus ei subjectus erat, sic ipso mortuo, omnia corpora mortuorum sibi subjacerent, ubi in giro mali scriptum est, Cesar tantus erat, quo nullus major in orbe. Sed in modico nunc tam magnus clauditur antro. Intra scriptura stat Cae-*

¹ R. 171.

² in *Diar. Ital.* p. 282.

saris alta columna, regia structura, quantum non exstat in aula; si lapis est unus, qua fuit arte levatus, et si sine plures, dic ubi congeries? Ac rursus Anonymus apud Montfauconium alio loco, cui hunc titulum prae-fixit ¹. *Item ea, quae sequuntur, sunt de Vaticano, et Agulia in Roma, quorum etiam pars major scripta est supra, sed ibi quidem brevius, haec autem prolixius narratur. Infra Palatium Neronianum est Templum Apollinis, quod dicitur S. Petronilla ibique est aliud Templum, quod fuit Vestarum (sic) Neronis, quod nunc vocatur, Sanctus Andreas, juxta quod est memoria Caesaris, idest Agulia, ubi splendide civis ejus in suo sarcofago requiescit, ut sicut eo vivente totus Mundus ei subjectus fuit, ita eo mortuo usque in finem seculi. Cujus memoria inferius ornata fuit tabulis aereis, et deauratis litteris latinis decenter depicta; superius vero ad alam, auro, et pretiosis lapidibus, ubi scriptum erat Caesar tantus eras, quantus et Orbis, sed nunc in modico clauderis antro, et haec memoria sacrata fuit suo more, sicut adhuc apparet, et legitur. Eosdem plane versiculos expressit Poeta nescio quis, in iis tamquam exemplar, ac typum, quem sequeretur, agnoscens, in Epicedio Leonis III, et Karoli M. apud Oldoinium ².*

Quod vero Iulii Caesaris cineres, in Obelisci vertice conditi essent, diurnitas temporis omnibus adeo persuaserat, ut eruditiores etiam deceperit. Nam, ut Petrarcam ³, L. Maurum ⁴, Sanctum ⁵, Vgonium ⁶, Palladium ⁷, Gamuccium ⁸, Vaccondium ⁹, aliosque praeteream, falsam sibi hujus rei persuasionem induisse demonstrat Alpha-

¹ *ibid.* p. 290.

² T. I. Ciacc. in vita Leo 111. col. 577.

³ l. vi. epist. LXXXVIII. ⁴ p. 113.

⁵ nelle Maraviglie di Roma p. 113.

⁶ p. 91.

⁷ *Ant. di Roma.*

⁸ *Ant. di Roma* p. 195.

⁹ p. 82.

ranus forte deceptus ex iis, quae in Leonis IX. diplomate occurrunt ¹, *via, quae vadit ad Aguliam, a tertio alia via venit ab Agulia, quae vocatur sepulcrum Iulii Caesaris*. Ait enim ². *Post hoc Sacellum (SS. Andreae, et Jac. Maj.) extra Templi parietes adhuc exstat magnus Obeliscus, qui exstabat in medio Circi Caii Neronis, antequam a Constantino Imperatore destrueretur, in cuius aculei summitate, in aeneo pomo deaurato, Iulii Caesaris Imp. cineres inesse fama est. Hic Obeliscus vulgo dicitur, la Guglia di San Pietro; quam Andr. Fulvius Iuliam vulgo nuncupatam fuisse tradidit, hoc modo* ³. *Fuit Neronis Circus in Vaticano, ubi adhuc erectus visitur Obeliscus, quem imperita multitudo Iuliam S. Petri vocat, quemque Ordo XI. vocat Auguliam, ubi ait* ⁴. *Sacri Palatii Ordines hospitantur in domo Auguliae*. Hanc eandem opinionem in vulgus disseminavit Lud. Demontiosus, inquiens ⁵. *Fama est, Iulii Caesaris cineres conditos fuisse pila aenea, quae est in cacumine Obelisci, qui est in Vaticano*. Verum Dom. Fontana, quemadmodum testatur Ant. Ciccarelli ⁶, omnino falsa haec esse deprehendit. Nam globum aereum in summo Obelisco positum, non conflatum, atque inanem, sed holosphyratum invenit, nullamque in eo commissam animadvertit, per quam Imperatoris cineres immitti in ipsum possent, praeter nonnulla foramina, quibus pertusus fuerat a globis missilibus, in postrema Urbis direptione, ut coniecit Mercatus ⁷; qui praeterea tunc temporis Obeliscum, inferna sui parte, aere spoliatum putat, quo amictum fuisse tradidit Franciscus Petrarca.

1 T. I. Bull. Vat. p. 25.

2 ms. num. 171.

3 lib. 17. Rom. ant. Ven. 1543. 8. p. 155.

4 p. 122.

5 p. 21. in Gallo Romae hospite.

6 in vita Xysti V. 7 p. 244.

Et sane alia de caussa Romani veteres, ut Aegyptiorum exemplum imitarentur, globos aereos in Obeliscorum verticibus collocare solebant, nempe ut indicarent, si Bonannii ¹ doctrinam audias, hominum vitam in Obelisco expressam, sensim minui, ejusque finem, instar globi cum Obelisco, cum Caelo esse conjungendum. Quam etiam ob causam globos imponebant Columnis, miliaria indicantibus, ut scilicet salutari hoc documento viatores omnes tacite quodammodo erudirentur. De quibus, si tanti rem duces, praeter ceteros ² consulendus est Lucas Holstenius ³.

Verum haec utcumque sint, allata scriptorum loca, (quod ego unum contendo, quaeque ipsorum afferendorum caussa exstitit), satis aperte probant, pone *Sacrarium Bas.*, Obeliscum stetisse. Quid autem plura addamus, quum ab Alphanano ⁴ memoriae traditum sit, eo tempore, quo eundem ex antiqua sede evelli, atque in aream Vaticanam Xystus V. transferri mandavit, ut augustissimi Templi Vestibulum non modo ornare, sed etiam venerari, quodammodo videretur, *Sacellum Callixti III, et eorum Sepulcra, quae ibi impedimento erant, ad depositionem praefati Obelisci, demolitum fuisse?* Tota enimvero *Sacrarii*, a cujus tergo situs erat, parietis pars dejecta fuit, ut eadem immanis moles, supra ligneam ma-

¹ p. 198.

² Fabrettus de Aquis Diss. 1. num. 48. Bergierius de viis Militaribus. Didacus Revillas. diss. sopra la Colonna degli antichi, chiamata *Milliarium aureum*. 4, et Andreas Lameius. dissert. de Columna Milliarum apud Bigomagum ad Rhenum inventa. in T. IV. Hist. et Comment. Acad. Elect. Scientiar. et elegantior. literar.

Marhem. 1781. pag. 39.

³ de Milliarium aureo, in posthumis ejus notis ad Stephanum Byzantinum. Lugd. Bat. 1692. p. 388.

⁴ ms. p. 37. Dopo la Cappella, et sepolcro di Callisto III. vi è l'Aguglia di Cesare Augusto, fuore di questo Tempio verso Levante, quale era nel mezzo del Cerchio di Caio, et Nerone.

chinam, tota quanta esset, facilius sterneretur, *ejusque basis*, ut ex Grimaldo habemus apud Sindonium ¹, in *ejus demissione ad medium usque Sacrarii pavementum pervenit*. Id etiam Hieronymus Ferrutus confirmat in supplemento, quod Marliani libris adtexuit, et apud Johannem Pffaumerum in *Mercurio Italico Hospiti fido* ², cujus verba praestat referre. *Quum Lapis hic*, ³ inquit, *erectus esset prope antiquam Tribunam, quod Sacrarium hodie est Basilicae Principis Apostolorum, frangendus fuit paries Sacrarii ab utroque latere, (ex eoque sepulcrum Callixti III. Pont. quod in ea Sacrarii parte intrinsecus exstabat, tollendum, atque in Ecclesia reponendum), ut dum curvaretur calix Obelisci, sensim retrotraheretur, si probe memini, rotis, seu organis, quo mox paullatim in ipsa declinatione pondus machinae ad terram vergentis tum diminueretur, tum ex quo rectius res procederet, ut penitus scilicet prostrata mole, radix Obelisci leniter in columine reperiretur*. Quare, meo quidem animo, vel ex hoc uno manifestum fit, hujusce Templi constructionem ad Christiana tempora referendam esse. Nunquam enim, ut jam diximus, in area, libero quadrigarum cursui destinata, a Romanis erectum fuisset, multoque minus prope Obeliscum, qui ex omni Circi parte, a quolibet conspiciendus erat.

§. IV.

Num hoc Templum fuerit Vestiarium, aut Aerarium Neronis, an potius Mausoleum Honorii?

Atque haec rationum momenta, alteram Petri Mallii ³, quam Anonymus ⁴ sequutus est, de *Neronis Aerario*, seu *Vestiario* sententiam, non minus explodendam demon-

1 p. 81.

2 p. 350.

3 c. 11.

4 p. 287.
7 E

strant. Ac propterea cum Maph. Vegio ¹ statuendum est, in media Circi area, *Neronis Vestiarium* nunquam exstare potuisse.

Rursus cui, quaeso, erit credibile, quod supra ² a Bullingero audivimus, nonnullos putasse, molem hanc rotundam, *Honorii Mausoleum* fuisse; quum ex allatis monumentis, et scriptorum testimoniis, perspicue constet, in altero Templo rotundo B. *Petronillae*, detectum fuisse?

Quae, ni omnia me fallunt, apertissime suadent, omnes variarum hujusmodi opinionum patronos omnino esse deserendos, quippe qui a veritate toto, ut dicitur caelo aberrarunt. Sed inter ceteros, Marangonium gravissime lapsus agnosces, qui ³ Templum hoc, cum *Marti* sacrum, tum *extra* Circum erectum fuisse pronunciavit, quum tamen Obeliscum, cui Templum ipsum insidebat, in *Circi meditullio* constructum docuerit. Praeterea alia sunt etiam, quae in eo reprehendas, ut quod una cum Pancirolo, in eodem Templo triumphantem morari consuevisse, perperam existimaverit, quodque *octo* albis columnis ornatum illud fuisse scripserit, quas ad Oratorium Gregorianum supra ⁴ descriptum, spectasse demonstravimus. Ceterum fatendum est, ipsum Marangonium in posteriori opusculo, tamquam palinodiam cecinisse. Ibi enim non modo, quod antea scripserat, de *jacente Obelisco*, retractavit ⁵, sed etiam ob ejusdem propinquitatem, dejectum *Sacrarium* ⁶, nusquam *Marti* sacrum, neque Templum S. *Petronillae*, *Apollini* olim dicatum esse potuisse, recte argumentatus est.

¹ p. 227.

² p. 1035. 1041.


⁵ nel Pellegrino divoto p. 68.

³ c. LII, p. 261.

⁴ p. 778.

⁶ ibid. p. 147.

Non negaverim tamen, aliqua esse, quibus nostrae conjecturae in speciem infirmari possent. Esto enim, dices, nusquam hoc Templum Nero, qui Circum ad liberum quadrigarum cursum construxit, *Marti*, vel *Matri Deūm* erigi jusserit, nec ibidem suum *Vestiarium* erexerit? Quid tamen vetat, quominus idem, post Neronis obitum, sive iis, sive alteri cuiquam superstitioso Numini dedicatum fuisse arbitremur? Atqui, Nerone mortuo, Circum Vaticanum non amplius ludis Circensibus inserviisse, ex auctorum silentio arguendum est. Quare minus, meo judicio, conjectura aberraverit, si quis dicat, veteres deinceps eodem loco Tempia exaedificasse, ut in Vaticano Colle sacrae Sodalitates ad ea peragenda, quae instituti sui erant, commodius coalescerent, nulla deinde habita Obelisci ratione, quem libere conspici, nihil amplius intererat, desitis ibidem pompis Circensibus celebrari. Idque eò magis simile veri videbitur, quod in hujus Templi demolitione, non solum *lx*, et amplius lateres, Antoninorum aetatis reperti sunt, sed etiam binae tabulae marmoreae Fratrum Arvalium, quae ad Elagabali Principatum pertinent. Quis autem non videt, Vgonii conjecturam mirifice his confirmari, qui Templum hoc *Matri Deūm* dicatum fuisse tradidit, quod, dum meridionalis Basilicae navis fundamenta jacerentur, aliud etiam fragmentum actorum Fratrum Arvalium repertum est cum pluribus aris, in quibus Sacerdotum Mithrae initiationes, criobolio, taurobolioque perfecto, insculptae videbantur?



§. v.

De Ludis Circensibus ab Elagabalo in Circo Vaticano editis :

Etsi nuper allata argumenta majorem profecto vim habent, multoque ceteris probabiliora videntur, nostram tamen sententiam, ni vehementer fallor, nequaquam everunt. Falsum est enim, Circum Vaticanum, post Neronis interitum, ludis Circensibus non amplius inserviisse; ac proinde ibidem Tempora insequeutis temporibus erigi potuisse. Siquidem ex Aelio Lampridio habemus, ipsum Elagabalum, ad cujus aetatem reperta marmorum fragmenta referuntur, ibidem Circensium ludorum spectacula edidisse. Ait enim in ejus vita ¹. *Fertur in euripis vino plenis Navales Circenses exhibuisse, pallia de aenanthio fudisse, et Elephantorum quattuor quadrigas in Vaticano agitare, dirutis sepulcris, quae obsistebant; junxisse etiam Camelos quaternos ad currus in Circo, privato spectaculo.* Qui quidem ludi, minime dubium suboriri potest, an in Circo Neroniano celebrati fuerint, etsi privati dicantur. Sic enim eos Lampridius vocavit, ut egregie in hunc locum adnotavit Casaubonus, quod a privatis Elagabali aurigis peragerentur, qui, instar aliorum Imperatorum, Agitatorum, Histrionum, Gladiatorum greges alebat. Quare si Elagabalus, ut Elephantorum, seu Camelorum quadrigas undecumque facilius in Circo agitaret, sepulcra disjecit, quae fortasse ² erecta fuerant, postquam Circus ludis insolentius inservire coepit, quisnam credat, tantae molis Templum, *Matri Deam* ibidem ab eo erigi potuisse?

¹ p. 490.

² Baronius ann. LXIV. et cccxi. Argolus

in not. ad Panvinium de Ludis Circensibus

in T. ix. Thes. Graevii p. 741.

Sed illud praeterea animadverti velim, quod Historici tradunt. Herodianus ¹ diserte testatur, Elagabalum, *vix in Urbem pervenit*, tanta superstitione fuisse, ut *Templum maximum, pulcherrimumque Deo* erigeret, *Idolo nimirum cognomini suo*. Nam *Elagabalum*, ut docet Aelius Lampridius ², *in Palatino Monte, juxta Aedes Imperatorias, nimirum eo loco, in quo prius Aedes Circi fuit* ³, *consecravit, eique Templum fecit . . . studens et Matris Typum, et Vestae Ignem, et Palladium, et Ancilia, et omnia Romanis veneranda in illud transferre Templum, et id agens, ne quis Romae Deus, nisi Eliogabalus coleretur; dicens praeterea, Iudaeorum, et Samaritanorum relligiones, et Christianorum devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum, Eliogabali Sacerdotium teneret. Nec, pergit idem Lampridius* ⁴, *Romanas tantum extinguere voluit relligiones, sed per Orbem terrae, unum studens, ut Eliogabalus Deus ubique coleretur.*

Age nunc. Si Elagabalus in id totus incubuit, ut cetera Deorum Tempa spoliaret, omnemque relligionis cultum ab Vrbe, imo ab universo Orbe praestandum, ad cognomen Idolum perduceret, eritne, qui sibi serio persuadeat, eum de Templo alteri Numini apud Circum Vaticanum excitando cogitasse? Praestat vero ejusdem Idoli descriptionem ab Herodiano audire ⁵. *Simulacrum vero nullum graeco, aut Romano more manufactum ad ejus Dei similitudinem, sed lapis est maximus, ab intro rotundus, et sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram, niger lapidi color, quem etiam jactant caelitus decidisse. Eminent*

¹ lib. v. cap. v.

² in ejus vita p. 461.

³ Lamprid. c. 1. Borrich. ant. Urb. Fac.

c. xli. §. 3. Argol. in Panvin. de Lud. Circensib. l. S. Faunus ant. Urb. Rom. II. 21.

⁴ ibid. p. 465.

⁵ lib. v. Hist.

in lapide quaedam, formaeque nonnullae visuntur, ac Solis imaginem illam esse confirmant, non humano artificio fabricatam.

At enim erit fortasse, qui credat, idem Templum antea ab aliis, puta ab Aelio Adriano, sive Antoninis erectum, ibi jam exstitisse; quum scribat paullo infra idem Lampridius, *Matris etiam Deūm sacra accepit, et tauroboliatus est, ut Typum erigeret, et alia sacra, quae penitus habentur condita. Iactavit autem caput inter praecisos Phanaticos, et genitalia sibi devinxit, et omnia fecit, quae Galli facere solent, ablatumque sanctum Numen in Penetrale Dei sui transtulit.* Heic vero, quod nuper proposui, argumentum recurrit. Si enim Templum, Elagabali principatu ibidem exstitisset, nonne ad Elephantorum, et Camelorum quadrigas libere in Circo omnifariam agitandas, majori, quam dejecta sepulcra, impedimento futurum fuisset? Nec illud primum omnium ab eo diruendum adfirmabimus?

§. VI.

Quid de Inscriptionum fragmentis, ac lateribus in Sacrarum fundamentorum effossione repertis sentiendum?

Praeterea, etsi Lampridius Elagabalum *tauroboliatum* fuisse scripsit, idque duae tabulae marmoreae e *Sacrarum* fundamentis egestae, quae sollemnibus formulis, et precationibus eum in Fratrum Arvalium Collegium cooptatum fuisse docent, plane confirmant, non inde tamen fiet, ut in Circi Neroniani meditullio Templum *Matris Deūm* statuendum sit, potiusquam in altera qualibet parte Vaticani Collis, ubi sacra *Matris Magnae* celebrare consueverant. Nunquam enim certe Kippingio, et mar-

morum Taurinensium illustratoribus ¹ adsentiam, haec in Circo Flaminio peracta fuisse, quum non modo ex inscriptione Lugdunensi, sed etiam ex ijs, quae in eodem Circo Vaticano detectae sunt, satis abunde constat, ibidem tantummodo hujusmodi caeremonias de more praestitas fuisse.

Neque porro, quae eodem in loco reperta sunt antiquae idololatriae vestigia, probant, haec Tempa profano cultui fuisse primitus destinata; quin imo, si quid video, rem longe secus esse, aperte demonstrant. Si enim hujusmodi Tempa *Apollini*, et *Matri Deum* Veteres erexissent, ut ibi *tripodiarent*, *saliare carmen* concinerent, omni demum superstitionis generi, *clusis aedibus* indulgerent, an in eorum fundamenta tabulas projecissent, quibus, ad stabilem, diuturnamque memoriam suae religionis ritus, ac caeremonias insculpserant? Quin illas diligentissime adservassent, ac religione prope quadam prosequuti fuissent. Atqui tamen haec veterum monumentorum frustra, magnam partem mutila, ac detruncata, ab iis tantum, qui Tempa aedificarunt, in eorum fundamentis collocari potuere.

Quid ni ergo potius cum Severano ² colligamus, veteres Christianos, ut omnem superstitionis memoriam, quae juxta sanctiorem Urbis Basilicam sese audacter ingesserat, penitus delerent, dum haec Tempa Christiano cultu dedicanda excitarent, in eorum fundamentis hujusmodi tabulas occuluisse? Mirandum enim minime est, ut recte Blanchinius ³, *si arae ipsae fractae, et acervatim sepultae repertae sint*, quod hoc eos in superstitionis odium de industria fecisse censendum est.

¹ Par. I. p. 26.

² T. I. p. 95.

³ in Anastas. praef.

Et sane nusquam certe in ipsis veterum aedificiorum fundamentis effossum est, quod in propatulo, ac in digniore Templi loco esse debuisset. Verum fere semper signa, numos, anaglypha, inscriptiones, aliaque id genus, e Christianarum aedium, quae supra Ethnicorum Aedificia constructa fuerant, ruinis emersa fuisse constat.

Nil autem moror, quod ibi etiam lateres permulti, Adriani, et Antoninorum aetatis, reperti fuerint, qui apud praestantissimum Cajetanum Marinium adservantur, lucemque praestolantur. Nam vel eos in sacrum usum eadem de causa Christiani adhibuerunt; vel, quod longe verisimillimum, quum aliis coementis boni illi carerent, priscis hisce monumentorum ruderibus, quae illis ad manus venerant, et heic usi sunt, quemadmodum eos, alias quoque, lapides, et coementa ex muris disiectis, perruptisque, iterum aedificio struendo adhibuisse, et modo etiam fieri, satis constat, uti pluribus allatis exemplis docet Marangonius ¹. Verum hanc laterum congeriem facilius reperire potuerunt in Campo Vaticano, ubi plures antiquitus Figulinas exstitisse scimus. Narrat enim Plinius ², quod *Vitellius in Principatu suo II^s decies condidit patinam, cui faciendae fornax in Campis exaedificata erat*. Ibi autem, uti notat Harduinus, Campos Vaticanos intelligit, de quibus ita Livius etiam loquitur ³. *Quorum terram Argillam esse ad Fabricam commodissimam videmus*. Ac demum, ne plura congeramus, Juvenalis, et Martialis testimonium praestat proferre quorum primus cecinit ⁴.

Et Vaticano fragiles de Monte patellas

¹ c. x. p. 38.

² lib. xxxiv. c. xli.

³ lib. xx.

⁴ Sat. 6.

Alter vero ¹.

In Vaticanis condita musta cadis.

Equidem non ignoro, Viros in antiquitate investiganda peritissimos, Laterum inscriptorum indicio, veterum aedificiorum aetatem explorasse, quos inter Blondus Flavius ², Octavius Falconerius ³, Fabrettus ⁴, Ciampinius ⁵, Ioh. Georg. Estor ⁶, Brissonius ⁷, et Alph. Belgradus ⁸, praecipue numerandi sunt. *Habent* enim, ut recte inquit idem Ciampinius ⁹, *saxa, aera, lapides, et quaecunque vetusta monumenta quodammodo voces suas, quibus non tam res gestas majorum, quam et originem, aetatemque suam bene advertentibus, absque litteris indicant.* Verum hoc argumentum non aequè ponderosum semper esse debet; ac, quod ad rem nostram spectat, modo allatis rationum momentis omnino everti, nemo non videt. Enimvero, ut caussa omnino caderem, si Lateres Symmachi aevo fabrefacti in aede, quam Adriano, sive Antoninis adscribendam esse contenderem, in apricum prolati essent, contra nil profecto mirum, in Templo a Symmacho constructo lateres Adriani, et Antoninorum aetatem praeferentes, repertos fuisse, qui antea fortasse proximo *Apollinis* Templo inservierant, quoque dejecto ad Confessionem B. Petri erigendam, vel e proximis figulinis integri adhuc supererant. Ac ut tandem rem absolvam, Adriano Templum non esse adsignandum,

¹ lib. I. Epigr. XIX.

² Rom. Inst. l. II. num. XII.

³ in Epist. ad Kar. Dati in T. IV. antiqq. Rom. Graevii, et in T. IV. Romae Nardinii, et de tegulis bipedalibus, et sesquipedalibus Inscript. Vet. p. 511. ⁴ de Col. Trajani c. VII.

⁵ de sacr. Aedif. p. 30.

⁶ in P. III. Opuscul. Sect. I.

⁷ de altitudine antiquorum aedificiorum, parietum crassitie, et spatio inter aedes vicinas. lib. I. c. I. antiquit. Iuris.

⁸ de crassitie laterum, quibus veteres in magnis molibus, et substructionibus utebantur. in Tom. IV. Symbol. Gorii Florent. p. 129.

⁹ Vet. Mon. Par. I. c. VIII. p. 65.

apertissime evincunt ipsa acta Fratrum Arvalium ibidem reperta, quae pertinent ad annos aerae nostrae cccviii, et consequentes. Quî enim, amabo, fieri potuit, ut in fundamentis Templi ab eodem constructi, marmora laterent, quae Elagabali nondum nati, ac post unum ferme seculum Imperio potiti¹, stultitiam proderent? Jam vero postquam aperte probavimus, hoc Templum neque Adriano, neque Elagabalo esse ad censendum, non video, cur Symmachus iis lateribus uti non potuit, quibus redivivus usus certe est, quicumque post Adrianum, et Elagabalum Templum ex integro aedificavit. Sed cur hanc laudem Symmacho praeripiamus, cui tot, tantaque testimonia inferius a nobis proferenda, elatis quasi vocibus, debendam profitentur?

Adde illis et hoc, quod Constantini pietas eximia nobis suppeditat. Quum enim honori Principis Apostolorum Basil. Vat. erexit, si jam tum hujusmodi Tempula fabulosorum Numinum exstitissent, solo dejicere, aut saltem a profano cultu rite expurgata, ac sacris legitimis expiata, vero Numini dedicare, utique non neglexisset. Verum hoc ab eo minime praestitum fuisse, omnium Scriptorum, ac praecipue Anastasii silentium evincit, qui praeterea Templi hujus originem, nobis, ut infra videbimus, apertissime declarabit.

Haud enim iis subscribendum censeo, qui Anastasium, quum antiquorum Pontificum gesta recenset, credulitatis, levitatis, inscitiae facile incusant. Age, quaeso, cui fidem habebimus, si Anastasio derogamus? Ex

¹ V. Virginii Valsechi de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunicia Potestate. V. Dissertat. Florentiae 1711. in 4. c.

Phil. a Turre de annis Imperat. M. Ant. Elagabali Dissertat. nunc primum edit. Venetiis 1741. 4.

quonam fonte veterum Pontificum notitias hauriemus, si hunc, tamquam limosum, ac lutulentum, evitamus? Quot alia, multo graviora negari possent, si tam leviter Anastasii auctoritatem repudiemus? Videant igitur Critici isti intemperantes, ne dum eruditi, ac ingeniosi videri volunt, parum cauti videantur.

Demus tamen, si volunt, contra CC. VV. Papebrochii ¹, Holstenii ², Schelestrati ³, Ciampinii ⁴, Ant. Dad. Alteser-
rae ⁵, et Blanchinii vindicias, quas primum separatim editas, deinde magnam partem, junctim collectas evulgavit Muratorius ⁶, Anastasii auctoritatem elevari posse ⁷ circa ea, quae primis Christianae Reip. seculis contigerunt; his tamen nullo certe pacto adsentiendum reor de iis, quae ad Magnum Constantinum pertinent. Nam donaria, quae a pientissimo Augusto, Principibus Apostolorum, aliisque sanctis Romanae Urbis Propugnatoribus oblata Anastasius refert, atque a Cl. Blanchinio ⁸ primum, deinde copiosius, atque accuratius a Franc. Ant. Zaccaria in eruditissima Dissertatione de *antiquis S. R. E. Patrimoniis* ⁹ collecta, atque ordine proposita habemus, Scriptorem produnt, cui vetera donationum instrumenta e Tabulariis praesto erant, quique ad Constantinianae aetatis monumenta suam qualemcumque historiam exigebat.

Quamquam liberalius agam, et in his Anastasium deseram. Verum nonnullus illum esse auctoritatis in illis saltem, quae Sec. VII, aut VIII. pertingunt, nemo

1 in Propilaeo Maii.

2 in Correct. lib. Pontif.

3 in ant. Eccl. illustrata. Rom. 1692. fol.

4 in Examine lib. Pont. Romae 1688. 4.

5 Norae., et Observationes in Anastas.

Paris. 1680. fol. et in edit. Anastas. Blanch.

6 Tom. III. Script. rer. Ital. par. I.

7 V. Casimir. Oudin. Dissert. de operibus Anastasii R. E. Bibl. in Commentar. de Script. Eccl. T. I. Lips. 1722. fol.

8 in Praef. Tom. II. Anastas. in vita S. Silvestri.

9 T. II. diss. latin. Fulginiae editarum dissert. x. p. 76.

unus diffiteatur . Quum autem ex eodem luculenter appareat , S. *Petronillae* Templum , quod ethnicum itidem censebatur , a Stephano II. erectum fuisse , consequens inde est , hoc etiam , de quo disserimus , eodem in Circo collocatum , ac similis plane formae , ad Christianorum esse tempora referendum . Quumque abunde demonstratum sit , Templi S. *Andreae* , quod Symmachus erexit , positum , non esse in *aditu* Templi S. *Petronillae* , ubi tantum Altare S. *Andreae* sacrum exstabat , agnoscendum , quamvis idem prope Basilicam Vaticanam exstitisse compertum sit , quis aegre sibi persuadeat , hoc esse statuendum , ubi quamplures Templum *Martis* , seu *Matris Deum* fuisse , hactenus opinati sunt ?

§. VII.

Ex utriusque Templi dedicatione Seculo VIII , ac XII. assignata , profana minime illa esse probatur .

Praeterea , cui mirum non videretur , haec duo Temppla , si ab Ethnicis fuissent constructa , tamdiu stetisse , etsi Theodosius minor monumenta veteris superstitionis , ritusque omnes profanos edicto sustulit , quo sanxit anno CDXXVI ¹ , *cuncta* (Ethnicorum) *Fana* , *Temppla* , *Delubra* , *si qua etiam nunc restant integra* , *praecepto Magistratum destrui* , *conlocationeque venerandae Christianae religionis signi expiari* ? Atqui probe notum est , quam vehementer , atque incensum fuerit Christianorum studium , quaecumque exstabant Ethnicorum Temppla , quaeque primum sub Constantino M. , Theodosio , Constantio ² , et Honorio ³ , aliisque Imperatoribus occlusa tantum fue-

¹ xxv. Ord. Theodos. sub tit. de Paganis, Sacrificijs , et Templis.

² in Cod. Theod. l. xvI. tit. x. de Pag. Sacr. et Templ. lib. iv. ³ ibid. leg. xvII.

rant, deinde una cum Idolorum reliquiis funditus etiam usquequaque evertendi, ut ex Gentilium querelis, Imperatorum legibus, Conciliorum decretis, Eusebio ¹, Sozomeno ², Socrate ³, Theodoro ⁴, Prospero ⁵, Augustino ⁶, Justello ⁷, et Beveregio ⁸, ac praecipue ex Ioh. Guil. Hoffmanni *ruina superstitionis paganae* ⁹, et ex Ioh. Fabricio in *Salutari Luce Evangelii* ¹⁰, facile possem demonstrare.

At vero heic aliquis, quasi de transverso occurrens, Gothofredi ¹¹ mihi verba fortasse objiciat; *destruendi vox tam in hac lege, quam in alia Theodosii M. accipi commode potest, pro superstitione sua spoliari, ut videlicet mox expiata Tempia in Ecclesias convertantur. Sub Theodosio M. pergit vir doctus, Pagani ipsi Tempia sua dirui aegre ferentes, ea alios, et publicos in usus saltem mutari volebant, quod ferme argumentum est orationis Libanii pro Templis* ¹². Vide Augustini epistolam ad Maximum Madurensem. Et vero ea mutata in eos usus ostendit Lex XIX. Cui tamen multa plane haberem, quae possem reponere. Non solum enim hujusmodi interpretationi refragantur, quae Theodoritus ¹³ de hac Theodosii lege memoriae consignavit, sed etiam ipsa ejusdem legis verba, quibus Templorum *destructio* satis luculenter ab *expiatione* distinguitur.

Verum Gothofredo, ejusque sectatoribus subscribam; ac propterea, quum alia quoque Ethnicorum Tempia nunquam deleta fuisse constet, Theodosii Junioris legem pro Illyrico Orientali, minime vero pro Vrbe conditam

1 lib. IV. 2 v. 1. 15. 3 v. 16.

4 v. 37. 5 de promissionib. p. 102.

6 epist. ad Max.

7 ad Can. Afric. 58. et 84.

8 ad Can. LXII. p. 707.

9 Witteb. 1738. 4.

10 ibid. 1738. 4. p. 275. segg.

11 Comment. in Leg. Theod. Iun. p. 296. Tom. VI.

12 p. 26.

13 lib. V. c. 37.

fuisse concedam; eo magis, quod ut legem Constantis evulgatam anno cccxlii. ¹, de non evertendis Templis extra muros Urbis Romae, alteramque Honorii de Templis non evertendis, latam anno cccxcix. ², aliamque de publicorum operum ornamentis non evertendis ³, quodammodo instauraret, haud ignorem, Gregorium M. ⁴ de non evertendis, sed consecrandis, et expiandis aqua benedicta, ac per Martyrum reliquias Gentilium Templis, decretum condidisse, de quo plura apud Baronium ⁵, et Joh. Georgium Keyslerium ⁶, quidquid contra magni Pontificis osoribus visum fuerit. Quid inde? Num iccirco Tempia, de quibus disputamus, ab Ethnicis erecta, deinde primum (quae duo sunt antiquiores epochae ad eorum expiationem assignatae) a Paulo I. Apollinis Templum B. Petronillae dedicatum, alterum vero Martis, Sec. xii. B. M. Februum consecratum fuisse judicabimus? Minime vero. Quaeso enim, quonam pacto Christiani veteres Theodosianae legi obtemperassent, si tantum in viii, ac xii. seculo, hujusmodi Tempia a profana superstitione purgassent? Rursus, quis unquam sibi persuadeat, pone sanctiorem Urbis locum, qualis certe habebatur Petri Confessio, vel post ipsius Gregorii decretum, tam sero relligiosissimos Viros ad expianda Apollinis, Martis, vel Matris Deum Tempia animum inducere voluisse?

¹ Cod. Theod. T. vi. p. 287.


² ibid. p. 280.

³ ibid. p. 261.

⁴ lib. ix. ep. LXXI.

⁵ in Martyr. Rom. 13. Maii.

⁶ in Antiquitatib. Septemtrion. p. 293.



§. VIII.

Num rotunda Templorum figura, quin ea Christianis accenseantur, dubitare sinat?

Sed turbat heic iterum nonnemo, qui ex rotunda nostrorum Templorum structura conjici posse contendit, eadem Ethnicis omnino esse tribuenda. Nam etsi Tempia vetusta apud Aegyptios, Graecos, et Romanos plerumque quadrata fuisse constet, tamen etiam rotunda habuisse scimus. Siquidem Athenaeus ¹ in navi immensae magnitudinis a Ptolemaeo Philopatore Aegypti Rege constructa, Templum rotundum *Veneri* dicatum exstitisse narrat. Praeterea Delubra *Solis*, et *Serapeum* apud Aegyptios rotunda fuisse, docet Kircherus ², qui Pantheum quoque Aegyptiorum Thebis, et Heliopoli describit ³. Sic et apud Persas Tempia ignis, cujusmodi *Πυρρίον* rotundi imaginem exhibet Thomas Hyde ⁴, itemque Pocockius ⁵, et Daniel la Roque ⁶ Templum Heliopolitanum ejusdem formae commemorant. Quod vero ad Graecos spectat, Pausanias senas aedes orbiculares indigitat. Prima enim exstabat propter Athenarum Prytaneum ⁷; altera Epidauri pone aedem Aesculapii ⁸, ac utraque *Θόλος* appellabatur; tertia Spartaee, ubi Iovis, ac Veneris simulacra servabantur ⁹; quarta Elide ¹⁰, quinta Mantineaee, quae *ἑστία κοινὴ* vulgo dicebatur ¹¹, instar Rhodien-

¹ Deipnos. lib. v. c. ix. p. 205.

² T. II. Oedip. Aegypt. P. II. p. 329.

V. Amm. Marcellin. lib. xxII. c. 15. et 16.

Cangium ad Zonar. p. 52. Fabricium lib. II.

Bibl., Graec. cap. I. §. 7. et doctissimum

de Magistris in Dissertat. V. Apologiae

Danielis edit. p. 563.

³ ibid. T. I. p. 12.

⁴ de veteri religione Persarum p. 354.

⁵ in sua vita. p. 92.

⁶ Voyag. dans la Syrie Par. 1609. T. I. p. 133.

⁷ lib. I. c. v. p. 12.

⁸ lib. II. c. xxvII. p. 173.

⁹ lib. II. c. xiv. p. 237.

¹⁰ lib. v. c. xx. p. 429.

¹¹ lib. viII. c. ix. p. 616.

sis ¹, et Caunensis in Caria ². Sexta denique Miniae Thesaurus, Horcomene ³. Adde Vitruvium ⁴, qui memorat aedem rotundam, *Tholum* nuncupatam, ac Delpho exstructam.

Nam Ethnici, ut Dio Cassius ⁵, et Philander ⁶ adnotarunt, *aut Caeli naturam imitati, inprimis rotundis sunt delectati*, aut ex figura Orbis in rotunditatem circumacti hujusmodi figuram, nonnullis praesertim Divis, placere arbitrabantur, ut de Numa Pompilio tradidit Festus, *qui rotundam aedem Vestae consecrasset videtur, quod eandem esse Terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque pilae forma esse, ut sui simili Templo Dea coleretur*. Ac propterea Christiani veteres, quemadmodum ait Panvinius ⁷, atque alibi ⁸, Alpharano subscribente ⁹, confirmavit, *sacras aedes, non ad Templorum Gentilium formam quadratas, vel rotundas, ne Ethnicos aemulari viderentur, sed oblongas, Basilicarum more, exstruebant, easque non Temples, sed Basilicas vocare caeperunt*.

Et sane, veterum Christianorum Temples generatim oblonga primum fuisse constat, ita ut mysticam Ecclesiae *Navim* referrent, ut Clemens ¹⁰, et Canones Poenitentiales S. Gregorii Thaumaturgi a Gulielmo Beveregio in lucem editi ¹¹, alique tradiderunt, quorum auctoritates in unum collegit Hier. Aleander junior ¹² in explicatione gemmae annularis, cui *Navis*, Ecclesiae Symbolum erat insculptum, ut videre est etiam apud Cl.

¹ Constant. Porphy. Exc. Polyb. l. xxvii. p. 138.

² Appian. de Bello Mithrid. p. 185.

³ ibid. lib. ix. c. xxxvii. p. 386.

⁴ lib. vii. in Praef.

⁵ T. I. lib. LIII. p. 271.

⁶ in explic. lib. iv. Vitruvii c. vii.

⁷ T. II. ms. c. x. p. 108.

⁸ T. III. ms. c. I. p. 2. ⁹ ms. p. 14.

¹⁰ lib. II. Const. Apost. c. LVII.

¹¹ inter Can. Eccl. Graec. §.

¹² Romae apud Corbelletum 1626. §.

Stephanum Chamillard ¹, Mamachium ², qui ejus iconem exhibuit, et Steph. Borgia, qui luculentissimo commentario de *Cruce Veliterna* ³ ectypum gemmae annularis eodem Symbolo insignitae praefixit, ac egregie illustravit ⁴. Typum enim Ecclesiae veteres in *Navis* agnoscebant, quod Petri Navim, ⁵ (*cujus Dominus ipse est Deus Pater, gubernator Christus, proreta Pontifices, Nautae Presbyteri, dispensatores Diaconi, Nautologi Catechistae, epibatae, id est vectores, vel qui vehuntur, tota reliqua multitudo Laicorum*), aut Noemi arcam, quae ⁶, et in altum, seculi ita natat, ut pereunte Mundo, omnes, quos suscipit, servet illaesos, repraesentabat, ut docet idem eruditissimus Mamachus, qui ⁷, Aringhii ⁸, Boldetti ⁹, Lamii ¹⁰, Fogginii ¹¹, Gorii ¹², Maffei ¹³, aliorumque opinionem sequutus est.

Verum hujusmodi Templorum forma, quae et antiquior, et communior certe fuit, quemadmodum Allatius ¹⁴, Suerus, et Sarnellius prae ceteris demonstrant in *Basilicographia* ¹⁵, interjecto tempore, ac praecipue post *Crucem Constantino ostensam*, ut placet Musantio ¹⁶, in *Crucis* etiam figuram conversa fuit. Itaque Tempia in *Crucis* formam aedificata, *σαυρωτά*, vel *τριχώρα*, trichora, trium nempe arearum, vocabantur, ut habemus ex S. Gregorio Nisseno ¹⁷, qui fuse, atque eleganter sacram hujusmodi Aedem ab se aedifi-

1 Observation. per iter Italicum. Paris. 1711. 4.

2 T. I. Orig. Christ. p. 115. et p. 261.

3 Romae 1781. 4.

4 p. 213.

5 Const. Apost. loc. cit.

6 V. Ambros. Serm. xl. de Mirabilib.

7 T. I. p. 261. T. II. p. 98. 99. et 100.

T. v. p. 293. 294. 8 lib. v. c. ix. p. 475.

9 lib. II. c. xiv. p. 502. et lib. II. c. III.

p. 346. c. iv. p. 362.

10 de Erudit. Apost. c. iv. pag. 61. et 94.

11 de Rom. D. Petri itinere exerc. xx. pag. 485.

12 T. I. Inscr. Etrusc. p. 68.

13 T. v. Osserv. Letter. Veron. p. 23.

14 de Templ. recent. Graecor.

15 p. 15. et seq.

16 p. 392. edit. Rom.

17 ep. VII. edit. Caraccioli.

catam describit. Quae tamen forma, indiscriminatim apud Graecos, et Latinos quadrata, et oblonga, fuit usurpata, uti prolatis exemplis, probat Mabillonius ¹, ac recte observavit Stephanus Borgia ²; etsi vulgus Graecanicam Crucem imperite, a Latina longe diversam esse putet, quippe qui primam aequilateram, alteram inferno brachio longius productam, marte suo, constituat. Quocirca a veteris disciplinae amatoribus, qui sibi persuaserunt, priscas Ecclesias, vel *Navis*, vel *Crucis* formam tantummodo habuisse, recentiorum Architectorum usus improbat, qui Tempa sphaericae, orbiculatae, octangularis figurae aedificare maluerunt, ut videre est apud Catalanum ³, et Marangonium ⁴.

Verum, ut dici solet, rem ad vivum resecabo, atque his etiam difficultatibus satisfaciam, e quibus tamen me facile expediam. Etsi enim nostrorum Templorum erectio Constantino tribueretur, tamen eorum figura a *Navis*, et *Crucis* longe dissimilis, quin ea Christianorum opus censeremus, nos minime removeret. Quare nunquam certe, uti Laderchius ⁵ facere non dubitavit, Nardinio subscribam, qui ⁶ generatim affirmavit, *Ecclesias sphaerico schemate a Basilicis diversas eo seculo construi non consuevisse, nec absque locis distinctis, si non pro quinque hominum classibus, saltem pro Clero*. Ipso enim Constantino imperante, plura occurrunt Tempa *octachora*, quae Valesius ex inscriptione apud Gruterum ⁷ eadem esse, atque *octagona* recte docuit, itemque *τρουλλωτά*, sive *κυμβαλικά*, ac rotunda, *κυλινδρωτά*, *δολωτά*, et *κυκλοειδῆ*, nimirum rotun-

¹ in T. IV. Act. SS. Ord. S. Benedicti
p. 341. 459. 461. 466.
² in Comm. de Cruce Vaticana p. 9.
³ T. I. Pont. Rom.

⁴ c. XLII. p. 203.
⁵ c. XI. pag. 60.
⁶ l. IV. v. IV. p. 464.
⁷ pag. 1166.

da ad arcus, sive sphaerae, vel cylindri, vel circuli figuram. Siquidem ab Eusebio ¹, Sozomeno ², et Valafri- do Strabone ³ discimus, pientissimum Imperatorem in Monte Golgotha, super Servatoris nostri Sepulcrum, *rotundam Ecclesiam*, cujus ortographiam videre est apud Adamnanum de Locis Sanctis ⁴, et Mamachium ⁵, quidquid contra Marangonio ⁶ visum fuerit, fabricasse. Alterum vero Templi *octogoni* exemplum habemus apud Nicepho- rum Callixtum ⁷, quod idem Imperator Antiochiae ere- xit, titulo *Dominica aurea*, donatum. Quod item tradi- dit Eusebius ⁸, ubi ait. *Basilicam ipsam ad summam ere- xit altitudinem, figurae quidem octaedri constitutam*. Prae- terea celebris est Basilica ab Anastasio in Agathonis ⁹, et Leonis II. ¹⁰ vita memorata, quae a *rotunda* ejus for- ma, *Trullus* appellabatur, quamque *Ecclesiam intra Pa- latium Imperatoris Constantinopoli* a Constantino *erectam* fuisse, docet Vignolius ¹¹. Istiusmodi etiam fuit Templum Nazianzi a Gregorio, Gregorii Nazianzeni Parente, eo- dem seculo aedificatum, ut constat ex oratione, quam Filius in Patris funere recitavit, ubi illud ita quasi de- pingit ¹². *Octo aequaliteris rectis in se occurrit, et colum- narum, ac porticum elegantia per laquearia in altum adsurgit.*

Cautius itaque Nardinio, Marangonius ¹³ loquutus est, qui ex veteri Christianorum more, ea tantum Tem- pla aedificata esse pronuntiavit, quae Constantinus in Vr- be construxit, quaeque Ciampinius breviter descripsit ad

1 in vita Const. lib. 111. cap. 38. edit. Cantabr.

2 lib. 11. c. 1. p. 44. edit. Cant.

3 in Bibl. PP. T. xv. p. 183.

4 in T. iv. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 458.

5 T. 11. Orig. Christ. p. 65.

6 cap. XLII. p. 203.

7 Hist. Eccl. lib. vi1. c. XLIX.

8 lib. 111. cap. 1.

9 T. I. §. x1. p. 278.

10 ibid. §. 11. p. 288.

11 T. I. p. 386. in Indice rer., et Gloss.

12 Orat. xx. de laud. Patris p. 313.

13 c. XLII. p. 203.

calcem operis de *Vicecancellario Eccl. Rom.* ¹, ac fusius illustravit in *Synopsi historica de S. Aedificiis a Constantino M. constructis*. Ceterum, etsi hanc etiam litem suscipere, magnorum sane Virorum auctoritate fultus, vel in ipsa Vrbe *Templa orbicularis* figurae a Constantino erecta, demonstrare facile possem.

Tradit enim Nicephorus ², Helenam Augustam ejus Matrem, *extra Urbem Romanam sepultam in Templo rotundo, marmorea urna depositam*. Quod ipsum de eadem Basilica *rotundo schemate concamerato desuper fabricata* non solum Baronius ³ accepit, sed etiam Aringhius ⁴, ubi Helenae Mausoleum *sphaericae formae aedificium* idem esse, ac *Templum rotundum a Nicephoro, probatissimo auctore indicatum*, una cum Bosio affirmavit. Ab hac item sententia non abierunt Godefridus Henschenius in *Commentario praevio de SS. Marcellini, et Petri cultu, Ecclesiis, actis* ⁵ et Iohannes Pinius *de gloria posthuma S. Helenae* ⁶, nec non Ciampinius ⁷, et Vignolius ⁸. Contra tamen Laderchius in dissertatione de *Sacris Basilicis eorundem Martyrum* ⁹, vehementer adniscus est, Basilicam Constantinianam *SS. Marcellini, et Petri inter duas Lauros via Lavicana* ab Helenae Mausoleo distinctam fuisse contendens. Nam ea tantum de caussa *Mausoleum pro Basilica* a Bosio, et Aringhio acceptum putat, quod *S. Tiburtii Basilicam*, cujus rudera conspiciebant, a *Marcellini, et Petri Basilica* sejunctam statuerunt; atque iccirco, unam

¹ Romae 1697. 4. p. 154.

² lib. vii. Hist. Eccl. c. xxxi.

³ T. ix. an. 826. et in Mart. Rom. die ii. Junii.

⁴ T. ii. lib. iv. c. xiv. p. 47.

⁵ die ii. Junii p. 173.

⁶ T. ii. Augusti p. 599.

⁷ c. vii. p. 123. de S. Aedif.

⁸ T. I. in S. Silv. vita §. 111. pag. 100. ibid. in Honorio. §. iv. p. 246. et T. II. in S. Hadriano §. L. p. 200.

⁹ Romae 1705. 4. c. vi. p. 23. et seq.

tantum Basilicam, tribus Martyribus fuisse communem sibi suadentes, Mausolei parietinas, ipsam SS. MM. Basilicam fuisse excogitarunt. Quid vero Magistro Alcuino Laderchius reposuisset, si quis *notitiam Ecclesiarum Urbis Romae*, ex MS. Salisburgensi nuper in lucem editam¹, ei obtulisset? Ibi enim ita legitur. *Ad Helena via Campania multi Martyres pausant; in Aquilone parte Ecclesiae Helenae, primus Tiburtius Martyr, postea intrabis in speluncam, ibi pausant Sancti Martyres Petrus Presbyter, et Marcellinus Martyr. Postea in interiore antro Gorgonius Martyr, et multi alii. Et in uno loco in interiore spelunca XL. Martyres, et in altero xxx. Martyres, et in tertio iv. coronatos, et Sancta Helena in sua rotunda.* Profecto Laderchius contra tanti Viri auctoritatem, qui seculo ix. superstitem etiamtum Basilicam inspexit, atque descripsit, caussa cecidisset. Quis enim cum Iusto Fontaninio², Ios. Rodulphi Wetstenii³ opinioni non adversetur, qui verbis Agobardi Lugdunensis prave deceptus, Tempora in honorem Sanctorum felicibus Ecclesiae temporibus nusquam inaugurata fuisse contendit?

Quid vero dicam de Templo *rotundo S. Constantiae* extra Portam Viminalem, via Nomentana? Hoc enim Nardinius⁴, Olaus Borrichius⁵, aliique a Constantino in Baptisterii usum aedificatum; Andreas Fulvius⁶, Luc. Faunus⁷, Marlianus⁸, Io. Henricus a Pflaumern⁹, Henschenius¹⁰, primitus Baccho sacrum, et a Constantino, su-

1 Tom. II. Part. II. in Append. 111. pag. 597.

2 Comment. di S. Colomba cap. xxvI. Roma 1726.

3 in notis ad Dialogum Origenis *κατα Μαρτιριωνιστων*.

4 l. iv. c. iv. p. 464.

5 de ant. Urb. Rom. facie c. viI.

6 lib. I. c. xII. 7 lib. I. c. x.

8 lib. viI. c. xv.

9 p. 313. in Mercurio Italico.

10 T. 111. Februar. p. 67.

perstitutionis labe dumtaxat expiatum, in Filiae suae Mausoleum conversum putant. Contra vero Aringhius ¹, et Mabillonius ², quibus etiam Laderchius ³ plane subscripsit, in solum Mausolei usum a fundamentis erectum; ac demum Ciampinius ⁴ a prima ejus origine Baptisterium, postmodum etiam Filiae Const. Mausoleum fuisse pugnarunt. Sed tamen hujusmodi aedificium inter sacras Urbis aedes jam inde a Sec. IX. certe numerabatur, quum in *notitia Ecclesiarum Urbis* Alcuino inscripta, haec de eodem occurrant ⁵. *Iuxta viam Nomentanam . . . Basilica Agnes . . . Ibi quoque singulari Ecclesia Constantia Constantini Filia requiescit*. Quae quidem mirifice concinunt ejusdem actis, etsi ea mendii arguat Laderchius ⁶, e MS. Cod. Vallicell. ab Aringhio ⁷ relatis, ubi legimus. *Corpus in pretioso lapro porphyretico sepultum est, et ibidem ipsa a Patre, et Fratribus Ecclesia columnis, et musivo de lapidibus decorata, in ejus honorem fabricata est*. Nil vero obest, quod haec *Templa Mausolei* nomine usitatus appellata fuerint. Idem enim Aedi S. *Petronillae* frequentius contigisse vidimus, quam Templum fuisse, nemo inficiabitur.

Sed quum nostrorum Templorum originem ne ipsi quidem *Constantino* assignandam putem, hujusmodi quaestionem, quae nostra parum, aut nihil interest, plane omittam, ultroque cedam, si lubet, aedem S. *Constantiae* ab Alex. IV. anno mclvI. primo rite expiatam fuisse. Ac propterea, etsi Baptisteria Concilium Pontigonense ⁸ appellaverit *Ecclesias Baptismales, Baptisterii Basilicam San-*

¹ T. II. lib. IV. c. xxv. p. 156.

² in T. I. Itin. Ital. p. 84.

³ c. xl. p. 61.

⁴ de S. Aedif. c. x. p. 32.

⁵ loc. cit. p. 599.

⁶ cap. xl. p. 60.

⁷ T. II. l. IV. c. 25.

⁸ ad ann. DCCCLXXVI. can. 11.

ctus Ambrosius ¹, Gregorius Turonensis ² *Templa Baptisteriorii*, Flodoardus ³ *Baptismales Titulos*, nihil aequè dicam de *Baptisterio Lateranensi*, de quo vide sis Anastasium ⁴, Ciampinium ⁵, Rasponium ⁶, et eruditissimam Dissertationem Cl. Ant. M. Lupi de *Baptisteriis*, quae e literariis F. A. Zaccaria gazis recens in lucem emissa fuit.

Verum nollem, injecta *Baptisterii* mentio, nonnemi suspicionem excitaret, Templum, cujus originem indagamus, a Constantino excitatum fuisse, ne suum Vaticanæ Bas. *Baptisterium* deesset, quod in Caelii Montis dorso, pone aedes Lateranas, sumptuosissimo opere extruxerat. Id enim nonnullis suadere fortasse posset nedum Templi forma, sacro Fonti aptissima, quae ⁷, rotunda, octangularis, exagona plerumque erat, verum etiam ejus positus e parte meridionali, sejunctim a Basilica, quod item in *Baptisteriis* erigendis sollemne erat ⁸; etsi tamen quandoque alibi etiam posita fuisse, quamplures Scriptores animadverterint ⁹. Ac Templum, si non ex integro aedificatum, saltem, depulsa superstitione,

¹ epist. xx. ad Marcellinam,

² lib. II. Hist. Francorum.

³ apud Duchesnum lib. II. cap. XIX. hist. Rhemensis.

⁴ in vita Silv. T. I. §. XII. p. 88.

⁵ cap. III. p. 26.

⁶ lib. III. c. I. p. 208. et seq.

⁷ V. Martenium. loc. cit. n. IX. Ciampinium. Vet. Monum. Part. I. Tab. VII. Par. III. Tab. III. num. 31. et Tab. XXV. Trombellium. T. v. de Baptismo diss. XII. p. 64. Oliverium. Battisterio della Chiesa Pesarese p. 20. aliosque.

⁸ V. Mabillon. in It. Ital. Mazochium, de Cath. Eccl. Neap. c. III. n. 23. Bertolinum, Ant. Aquil. n. 581. Costadonum.

dissert. intorno alla Chiesa di Torcello T. XLIII. Racc. Caloger. Blanconium. S. Sepolcro p. 100. Trombellium. loc. cit. atque Oliverium. loc. cit. p. 17.

⁹ Chardon. histoire des Sacrements. Paris. 1745. Mabillonius. Anal. T. IV. Martenius. I. I. c. I. art. 2. p. 8. Remondinus. Stor. di Nola lib. II. cap. 9. Allegranza. dell'antico Fonte Battesini. di Chiavenna. T. XIV. nov. Syll. Caloger. p. 118. Altan. Baptismale Hieroglyphicum. Patav. 1749. et in lib. de Calendariis Veter. 1753. 8. Wirdtein. Comment. historico-lit. de Baptister. Mogunt. 4. Mayerus. in Museo Ministri Eccl. p. 1. Joh. Henr. Wedderkampus. de Baptist. Veter. Helmst. 1703. 8.

in hunc usum conversum, nonnemo arbitretur, ut de altero Templo rotundo, quod Florentiae ipsi horrifico, et nefando *Marti* dicatum¹, vulgus praedicabat, factum legimus. Verum hujusmodi persuasio facile ex animo diffluet, si Prudentium², Baronium³, Aringum⁴, Panvini-um⁵, Bonannium, ac praesertim Alpharanum consula-mus, qui num. 30. *Oratorium S. Iohannis ad fontes* a Sym-macho exstructam, ac num. 31. *Baptismi fontem a Da-maso P. vasibus exornatum designat*. Quapropter, hisce omissis, in viam redeamus.

Nunc de Templis agimus, sequiori certe aetate con-structis. Iam enim vidimus Templum plane geminum, quod vulgo *Apollinis* dicebatur, a *Steph.* II. circa Sec. VIII. medietatem a fundamentis aedificatum. Quid vero mirum, si jam tum Stephanus Templum formae rotundae *S. Pe-tronillae* dicandum e solo condere non dubitavit? Quota enim in Vrbe Tempa *rotunda* jampridem a Christianis in sacrum usum conversa habebantur? Nonne Simplicius an-no CDLXVIII. plus minus, Anastasio teste⁶, *dedicavit Ba-silicam S. Stephani* (rotundi) *in Vrbe Roma in Caelio Mon-te*? Nonne Felix IV, ut idem Anastasius⁷ tradidit, *fecit Basilicam SS. Cosmae, et Damiani Martyrum in Vrbe Ro-ma in loco, qui appellatur Via sacra, juxta Templum Urbis*

1 Croniche di Messer Gio. Villani l. 1. cap. XL. Ven. 1537. Discorsi di Vinc. Borghini 1583. nel Tratt. dell'origine di Firenze p. 145. Richa Chiesa di Fir. P. iv. Gio. Bat. Clem. Nelli. Pianta, ed alzati interiori, ed esteriori dell'insigne Chiesa di S. M. del Fiore. Manni Principj della Religione Cristiana in Firenze 1764. 4. Ant. Franciscus Gori de mitrato Christi Capite. Florentiae 1549. Maffei. Veron. Illustr. P. 121. c. 111. p. 64. Lami Anti-

chità di Firenze. Lez. 111. p. 58. et Lez. v. p. 127. et 135. Mabillon. It. Ital. pag. 171. Paciaudi Antiq. Christ. diss. 1. c. 1. p. 14. Olivieri Battist. Pesar. p. 18. Winchelmann Storia dell'arte T. 111. p. 99.

2 Hymn. xv111.

3 ad an. 384.

4 lib. v1. c. iv. n. xx.

5 p. 119.

6 T. I. §. I. p. 160.

7 T. I. §. 11. p. 195.

Romae? Quod ipsum luculenter etiam Ioh. Diaconus confirmavit in vita S. Gregorii M., ubi de eodem Felice scribens, inquit. *Basilicam SS. Cosmae, et Damiani MM. via sacra juxta Templum Romuli, sicut hactenus cernitur, venustissime fabricavit*; ac demum aliorum etiam scriptorum testimoniis aperte demonstrant Franc. Ant. Poma¹, et Bernardinus Mezzadri². Rursus nonne eidem Pontifici, alterius Delubri ad radices Montis Palatini, Romulo, ac Remo olim sacri, instauratio, quod Mart. Theodoro, omni superstitione, impioque cultu sublato, nuncupatum fuit, a Turrigio³, qui ejusdem Templi historiam descripsit, gravibus sane argumentis tribuitur? Atqui dubitari minime potest, Bonifacium IV, sec. viI. ineunte, consensu Phocae Augusti, qui novae Aedi fundos adtribuit, *Pantheon* consecrasset, atque, ut Bedae verbis utar, *eliminata omni spurcitia, fecisse Ecclesiam Sanctae Dei Genitricis, atque omnium Martyrum Christi*, ut prae ceteris ostendit doctissimus Petrus Lazerus in peculiari dissertatione, de hujus Templi consecratione⁴. Ac demum Bosius, testis oculatus affirmavit, suis etiam temporibus nonnullorum Templorum, quae supra Martyrum memorias fuerant aedificata, ruinas exstitisse, longe similioris figurae Gentilium Templis, quam Christianorum Basilicis.

Quae quidem exempla, si minus omnia valere possunt pro Templo, de quo disputamus, quod ineunte sec. viI. erectum fuisse contendimus, profecto tamen va-

1 La Basilica de' SS. Cosmo, e Damiano proposta agli occhi de' Fedeli nella sua antichità, privilegj, e Indulgenze. Roma 1724. 8. p. 2.
2 de' SS. MM. Cosma, et Damiano, et eorum Basilica in Vrbe Romae 1747. 4.

pag. 48. V. Acta Lipsiensia Eruditorum. ann. 1756. p. 522.

3 Storia del Martirio di S. Teodoro seguito nella Città di Amasia. Rom. 1645. 8.

4 Romae 1749. 8.

5 Rom. Subt. p. 323. 325. 489.

lere possunt, ac porro valent pro altero, quod *Stephanus* erexit; qui praeterea ex contiguo hoc Templo, quod ibi tamdiu aedificatum videbat, ad geminam ejus constructionem excitari fortasse potuit.

Neque vero mihi quis, urgens, ac nihil remittens objiciat, *Stephanum* II. primo tantum ex hoc nostro exemplum petere potuisse Templi *rotundi* in Vrbe a fundamentis aedificati, quum cetera profana tantum superstitione purgata, atque ad sacrum usum conversa fuerint; et contra Templi, quod *Marti* sacrum ferebatur, conditorem, ante se neminem habuisse, qui de novo Templum *sphaericae* figurae in Vrbe erexisset. Nam praeterquamquod, si altercandi mihi esset libido, id falsum esse demonstrare possem, prolatis exemplis Mausolei, *Helenae*, et *Constantiae*, nec non *Baptisterii Lateranensis*; vel omnino dedecebat, *sphaerico* schemate a Christianis Tempia educi, itaque nusquam profana hujusmodi Tempia Deo consecrare, sed potius evertere, ac nova, juxta Christianorum praescripta, aedificare Pontifices debuissent; vel si veteri disciplinae repugnare minime arbitrati sunt, rotundas Aedes in sacrum usum convertere, nulla esse jam causa potuit, cur etiam ab iis a solo excitandis sese abstinerent, uti profecto plures in Ecclesiis Orientalibus, ipsa Constantini, et Theodosii¹ aetate, de novo conditas fuisse, non ignorabant.

Quapropter potuit, qui demum cumque fuit auctor nostri hujusce Templi, vel in Vrbe *rotundum* Templum a fundamentis erigere post Constantini, Simplicii, ac Felicis exempla, multoque magis id *Stephanus* praestare

1 V. Bandurii Imperium Orientale, sive Antiquitates Cypolitanae T. I. Part. 111.

1. 111. Parisiis 1711. de Templo Rotundo tecto, Conchis instructo Ioh. Bapt. disato.

potuit ad eorum , ac Bonifacii IV. imitationem . Illud enim de Templorum forma , quam pro temporum , ac locorum varietate diversam fuisse constat , usurpandum esse puto , quod Walafridus Strabo de promiscuo eorum situ ad ortum , et ad occasum Solis , ac quandoque etiam ad Aquilonem , versus meridiem , egregie scriptum reliquit . *Cognoscimus , inquit ² , non errasse illos , vel errare , qui Templis noviter Deo constructis , vel ab Idolorum squallore mundatis , propter aliquam loci opportunitatem in diversas plagas Altaria statuerint , quia non est locus , ubi non sit Deus . Verissima enim relatione didicimus , in Ecclesia , quam apud Aeliam Constantinus Imperator cum Matre Helena super sepulcrum Domini mirae magnitudinis in rotunditate constituit , itemque Romae in Templo , quod ab antiquis Pantheon dictum , a S. Bonifacio Papa , permittente Phoca Imperatore , in honorem omnium SS. consecratum est ; in Ecclesia quoque S. Principis Apostolorum , non tantum ad Orientem , sed etiam in alias partes esse distributa . Haec quum secundum voluntatem , vel necessitatem fuerint ita disposita , improbare non audemus . Non magnopere curabant illius temporis justis , quam in partem orationis loca converterent , dum tantum videretur , ubi eliminatae sunt Daemonum sordes , ibi Deum creatorem omnium , qui ubique est , coli , et adorari . Sed tamen usus frequentior , et rationi vicinior habet in Orientem orantes converti , et pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui .*

Videor , ni longe mea me ratio fugit , quae a quocumque objici possent , ea aut occupasse , aut refutasse . Quapropter , quum haec omnia rationum momenta nos amplius dubitare non sinant , quin hoc aedificium , quam-

¹ T. xv. Bibl. PP. cap. iv. de reb. Eccl. pag. 183.


vis vetustissimum, atque operis perquam magnifici, ad Christiana tempora sit referendum, quumque illud nihilominus Bas. Vat. a *Constantino* minime adjunctum fuisse constet, reliquum est, ut videamus, an potius, uti *Costagutum* opinatum fuisse demonstravimus ¹, et *Chattardo* ² placeat, qui omnium postremus haec loca Bas. Vat. continentia illustravit, a *Paullo* I. constructum fuerit? Qua in re adeo implexa extricanda, neminem habeo, qui adjunctrices mihi manus protendat. Siquidem *Barpholemaeus* *Marlianus*, qui in hujus rei disquisitione ceteros ante se superavit, nec ipse rem perfecit, quum contentus fuerit, communem de *Martis* Templo opinionem respuere, quin aliam manifestaret. Quod aequae cum aliis supra memoratis, *Bonannius* ³, et *Janningus* ⁴ fecerunt, quorum postremus in Fontanae sententiam a nobis expositam concedens, *haec duo Aedificia verosimiliter a Pontificibus Basilicae Constantinianae adjuncta fuisse*, generatim pronunciat, omnesque antiquiorum Scriptorum opiniones improbavit. Verum ne in hac, quam nactus sum, sparta exornanda, minus esse diligens videar, omnes ingenii, atque industriae nervos contendam, veramque hujusce Templi originem patefacere conabor.

1 p. 958.

2 T. I. p. 227.

3 p. 30.

4 p. 156. T. vI. Iunii.



C A P V T II.

De Templo rotundo a Symmacho in B. Andreae honorem erecto .

Postquam communem eruditorum sententiam rejecimus de situ *Andreanae Basilicae* a *Symmacho* exstructae , ibique Templum *S. Michaeli Archangelo* sacrum fuisse , in eoque *Altare* dumtaxat *B. Andreae* dicatum exstitisse ostendimus , aequum nunc est , ut quo loco eadem Basilica reipsa erecta fuerit , demonstramus . Quod libentissime quidem suscipimus , non solum ut fabulosi Numinis nomen , quod tam diuturnum sanctissimo Apostolo bellum indixit , deque eo quodammodo apud ignarum vulgus triumphare etiamnum visum est , penitus deleamus , sed etiam , ut situs tam celebris Basilicae , de qua frequens in antiquis Scriptoribus mentio fit , tandem aliquando decernatur , ac germanus scriptoribus ipsis , qui de ea pertractarunt , sensus , veluti postliminio , restituatur .

§. I.

*De singulari cultu Andreae Apostoli , ubique gentium ,
ac praesertim apud Romanos .*

Quum BB. Apostolus *Andreas* , a Graecis *πρωτόκλητος* , seu *primo vocatus* appellari consueverit , quemadmodum tradit Papebrochius in Ephemeridibus Graeco-moscis ¹ , tum a nobis *Proto-Apostolus* , seu *primo Apostolus* electus dici jure potest . Hunc certe in Ecclesia universa inter primos Caelitum SS. , publico , et celebri cultu per omnes aetates honoratum fuisse , ex vetustissimis Kalendariis , Sacramentariis , et Martyrologiis ostendit Sollerius in erudi-

1 T. I. Maii p. LII.

tissima adnotatione in Vsuardum¹. Quod ipsum luculenter etiam patet ex festorum indiculo, qui occurrit inter statuta Bonifacii apud Dacherium², ubi inter festa, quae tunc temporis celebrabantur, illud *S. Andreae* recensetur. Ibi enim notatur. *Presbyteri diebus Dominicis populo festa celebranda annuntient, Natalis Domini, Circumcisionis Domini, Epiphaniae, Purificationis Mariae, Paschatis Domini, Ascensionis Domini, Natalis Ioh. Baptistae, Passionis Petri, et Paulli, Assumptionis S. Mariae, Nativitatis S. Mariae, et Passionis S. Andreae.*

Porro vetustissimum ejus festum exhibent, Kalendarium Carthaginense, Missale Gothicum a Jos. Thomasio editum, idemque notatur in Pontificali Egberti Eboracensis Archiep. cum pervigilio II. Kal. Decembris celebrando. Pridie ejus festi, duo sacra adsignantur in libro Sacramentorum S. Gregorii a Menardo in lucem edito, in Codice Eccl. Turonensis annorum circiter DCCC, itemque in Kalendario Frontonis, unum scilicet de vigilia, alterum de S. Saturnino. Sic in pervetusto Codice Monasterii S. Theoderici quattuor sacra praescribuntur, unum de Saturnino³, alterum de SS. Saturnino, et Chrysanto, tertium de vigilia S. Andreae, quartum de octava S. Clementis.

Post primas ejusdem festi Vesperas apud Suessionenses sollemnis pompa peragebatur ad Altare S. *Andreae*. Pompae addebant sollemnes vigiliis Canonici Turonenses S. Martini⁴. Eidem festo octavam adsignant Ordo Gelasianus, Codex regius annorum CM. Gellonensis ejus-

¹ pag. 710.

² T. IX. Spicilegii.

³ Passio S. Saturnini ex ms. apud Surium d. 29. Novemb. p. 6 o. Eadem ex complur.

Codd. MSS. in Theod. Ruinart. Act. primor. MM. p. 129.

⁴ in Rituali apud Martene T. III. de ant. Eccl. rit. p. 555.

dem aetatis , Missale Bituricense , aliique libri rituales . Consuetudines Monasterii S. Paulli haec habent , *per octavam ejusdem Apostoli , nihil de ea agitur , sed omnia feriat* . Ne quid enim ex Adventus officio detraheretur , praeter diem Natalem S. *Andrae* , et diem octavam , nihil aliud in hoc Monasterio fiebat . Ecclesiae vero Turo-nensis Ordinarium praescribit , si hoc festum in diem Dominicam incurreret , ejus octavam feria VI. praecedenti , propter festum S. Nicolai , praevio officio celebrandam , ac Sabbatho eadem de caussa , si in feriam II. incideret .

In ejus festo , quoties occurreret in Quadragesima , quae natalem Domini praecedebat , nonnihil de jejunii severitate remittebatur . Hujusce usus luculentum exhibet testimonium Petrus Damiani , ubi agens de Ordine Eremitarum Fontis Avellani haec habet ¹ . *Ecce enim de duabus illis Quadragesimis , quae vel Natalem Domini , vel sanctum Pascha praecedunt , licet ego taceam , vos tamen scitis , quia nonnulli heic sunt , qui absque diebus Dominicis duplex illud quadragesimale spatium totum jejunando transcurrere soleant , exceptis his tribus sollemnitatibus , S. videlicet Andrae , vel S. Benedicti , et Annuntiationis Dominicae .*

Haec alibi . Verum erat sane , quod nos , qui Romae nati , atque educati sumus , de beatissimi Apostoli gloria , et honore , inprimis solliciti essemus ; quippe qui B. *Petri* sanguine veluti regenerati , Fratris Filii haberi quodammodo , et vocari debemus , eumque tamquam Patrum amantissimum , colere , atque observare , ac velut praesentissimum Patronum , et Sospitatorem venerari . Nam , ut ejus officium a Gregorio M. , ut Joh. Belethus contendit , adornatum , aliaque , quamvis locupletis-

¹ Opusc. XIV , et apud Martenium T. IV. p. 327. de ant. Eccl. rit.

sima, singularis Romanorum Civium in eum pietatis argumenta praeteream, prodit Benedictus Canonicus, ejus Festi pervigilium, inter sollemniora habitum fuisse, ubi ait ¹. *Missam cantat Pontifex ibi, ubi fit Statio. In vigilia S. Petri, et in vigilia S. Laurentii, et in vigilia S. Mariae, et in vigilia S. Andreae, et in vigilia natalis Domini hoc officium fit ad Matutinum, sicut in vigilia S. Iob. Bapt. praediximus.* Praeterea discimus ex alio ejusdem Canonici loco ², qui item a Petro Mallio ³ confirmatur, ex veteri charta apud Archivum Vaticanum, unam e VII. *Stationibus nocturnalibus, ad S. Petri, diei festo S. Andreae assignatam.* Adde, quae idem Mallius ⁴ tradidit *de consuetudinibus Confessionis*, qui inter ea, quae D. Papa de consuetudine recepturus est ab illis, qui emunt Confessionem B. Petri, recenset *solidos sex in sex stationibus, in unaquaque sex, et sex solidos in festivitate S. Andreae, et duas aquaricias olei pro festo ejusdem.*

Quamquam, quid haec, si cum ceteris, quae festo ejus die fieri consueverant, conferantur? Rursus Benedictum Canonicum audiamus, qui haec edisserit ⁵, a Panvinio ⁶ item exscripta. *In festivitate S. Andreae debet esse D. Papa cum omnibus Scholis, ante S. Andream in Vaticano, ubi honorifice, sicut in Festivitate B. Petri, vesperum, et vigiliis celebrare, Matutinum vero ad Fratrem ejus facere, idest ad Altare S. Petri. Mane canitur Missa super Altare B. Andreae, ut omnis Populus cum benedictione laetus recedat. Praefectus cum adjutorio decimae illuminat, Ecclesiam, et facit prandium Curiae. Deo gratias. Quos*

¹ T. II. Mus. Ital. p. 149.

² ibid. in additionib. ex Cod. Valli-celliano Ord. XI. p. 153.

³ Caps. II. fasc. 255. et Tom. II. Mus.

Ital. p. 158.

⁴ ibid. p. 162.

⁵ in Ord. XI. n. LXXVI. p. 152.

⁶ T. III. ms. p. 179.

quidem ritus diu obtinuisse constat; etsi in Ord. xiv. qui Cajetano inscribitur, apud Mabillonium¹, et Gattico, in additione facta, Johanne xxii. Pont., haec occurrant². *In festo S. Andreae, et praedicatur, et Romae habebat antiquitus vesperae Papales, et Matutinum, licet hodie non sic servetur.* Ibidem vero alio loco adnotatur³. *In Festo S. Andreae non fit Consistorium.*

Itaque Sacrum, praeter vesperam, et vigiliis, sollemni ritu Pontifex celebrabat *super Altare B. Andreae in Vaticano*, quod non nisi Templum ibidem a *Symmacho* aedificatum esse potuit, ut SS. Apostolus in Aede, quam cum Germano Fratre communem habebat, communi etiam gloria immortaliter frueretur. Porro Andreas Sausayus in spisso volumine, ubi Aras, Templaque in ejus honorem ubicumque gentium excitata enumeravit, de hac etiam *Symmachi* Basilica mentionem facit, *prope Beati Petri Templum.*

Verum Barpth. Piazza 4, qui Templa in honorem Beati *Andreae*, Romae praesertim condita, recenset, hanc Basilicam a *Symmacho* aedificatam minime nominat, etsi praeter *novem* Ecclesias, quas adhuc ejus nomini consecratas exstare tradit, alias *quinque* eidem sacras antiquitus exstitisse scripserit. Quod pariter omisit in altero opere, quod *sacrum Emerologium* inscripsit, ubi tamen⁴, testem adhibens Martinellium, praeter ix. Ecclesias, de quibus ibi etiam meminit, alias xxv. olim exstitisse narrat eidem Apostolo dicatas, quod fortasse Caelitum Sanctorum nemini Romae, excepto *Andrea*, contigisse animadvertit.

¹ c. xcix. p. 381. ² p. 388.

³ ex Cod. 4737. p. 87.

⁴ in Sanctuario p. 416.

⁵ T. II. p. 511.

§. II.

De situ Basilicae Andreae Apost. a Symmacho erectae.

B. Andreae Basilicam, Vaticanam continentem, a Symmacho fuisse aedificatam, nemo unquam in controversiam vocavit. Quisque enim novit, id satis disertis verbis ab Anastasio testatum fuisse, in ejusdem Pontificis vita, ubi ait ¹. *Hic fecit multas Basilicas; Basilicam S. Andreae Apostoli apud B. Petrum.* Quod ipsum pluries etiam, uti postea observabimus, confirmat. Verumtamen hanc Basilicam illam ipsam fuisse, quae in *Sacrarii* usum postea conversa est, quamque ante hos non multos annos solo aequari vidimus, nemo, quantum equidem sciam, praeter Grimaldum, Martinellium, et Vignolium, quorum loca infra afferemus, adhuc certo affirmavit. Itaque, ne lectoribus hariolari videar, qui rem ceteris Scriptoribus hactenus inexploratam, longaque inquisitione frustra indagatam, hosce Triumviros dumtaxat assequutos esse putem, gravissima, eademque plurima rationum momenta exponam, viamque veluti commonstrabo, quae me ad hujus rei indaginem, et assequutionem, eorum sententiae plane conformem deduxit.

Itaque, quum animadvertissem, apud omnes recentiorum temporum Scriptores Templum, quod pro *Sacrario* adhuc fuit, *S. Mariae a Febris* titulo venire, ante omnia diligenter inquirendum duxi, ad quam aetatem referenda esset insignis ejusdem Virginis imago, a qua Templo nomen impositum est. Sic enim statuebam. Si haec effigies remotissimam antiquitatem non redoleret,

¹ T. I. §. vJ. p. 176. edition. Vignol. et in ejus vita e vetust. Codice Veronensi apud Murator. T. II. rer. Ital. Par. II.

pag. 45. et in J. B. Sollerii de S. Symmacho P. Sylloge historica. Tom. IV. Iul. pag. 634.

neutiquam opinandum esse , huc ab ipsis Templi primordiis invectam , ac proinde hoc Superiorum alteri cuiquam , in prima origine dicatum fuisse . Quae dum mecum animo reputans , antiquas hujus rei memorias excutiebam , comperi , eam imaginem ab omnibus ferme Scriptoribus , seculo xii. plus minus assignari . Hoc autem jam tum mihi persuasit , quum a fundamentis erectum Templum fuit , ignoto nunc quidem nobis Caelicolae fuisse consecratum . Ejus enim forma , Sec. xii. longe antiquiorem prodebat aetatem .

Quaenam vero primi nominis abolendi caussae fuissent , quum viderem , certo statui minime posse , conjecturis indulgendum esse censui . Quas ipsas ex auctoribus , qui eodem circiter seculo floruerant , in primis eruendas , colligendasque esse , statim agnovi ; quae si deessent , tum vero de veritate assequenda , penitus animo despondendum esse . Accidit autem sane percommode , ut ad manus haberem *Petri Mallii historiam de Basilica antiqua Vaticana* , quam is Alexandro III. inscripsit , et primum Paullus de Angelis ¹ , deinde auctius , et accuratius Cl. Janningus ² publici juris fecit . Quam quum diligenter excuterem , certa spe ductus , me voti competentem factum iri , circa ii. capituli finem , haec reperi , quae quum alibi carptim , atque membratim a me ipso prolata sint , nunc , uti se habent , integra , ac continentia , referenda esse arbitror . Sic igitur scribit ³ . *Infra Palatium vero Neronis est Templum Apollinis , quod nunc vocatur S. Petronilla , in qua est reconditum Corpus ejusdem Virginis , ante quod est Basilica S. Angeli , quae vocatur Vaticanum , mirifico musibo laqueata , auro , et vitro . Ideo*

1 V. p. 269.

2 T. vi. Junii p. 37.

3 ibid. n. 25. p. 40.

vero dicitur Vaticanum, quia *Vates*, id est, Sacerdotes antiquitus canebant ibi sua officia, ante Templum Apollinis, et ideo tota illa pars dextra Basilicae B. Petri, quae vadit per Porticum Pontificum, et usque ad Portam argenteam, vocatur Vaticanum. Ibi quoque est aliud Templum, quod fuit Vestiarium Neronis, quod modo vocatur S. Andreas, in cuius Altare B. Gregorius Papa, ut a majoribus nostris accepimus, recondidit brachium S. Andreae Apostoli, et B. Lucae Evangelistae, quae cum magna devotione detulit Constantinopoli.

Quae quidem quum semel, atque iterum attente considerassem, in ea sententia magis, magisque confirmatus sum, Templum, quod S. Petronillae contiguum erat, S. Andreae sacrum fuisse, contra quam Ciampinio¹ visum est, qui ex ipsis Mallii verbis, Templum S. Andreae ab eo memoratum, idem esse, ac S. Angeli Basilicam putavit. Verum quum hoc a veritate alienum esse, satis jam supra² probavimus, ea tantum haec addenda sunt, quae me adducunt, ut credam, Mallii verba huic prorsus Templo convenire.

Et sane, si S. Angeli Basilica, una eademque, atque S. Andreae Templum fuisset, cur, quaeso, Mallius, quum innuit, ante Templum S. Petronillae fuisse Basilicam Sancti Angeli, non item Andreae nomen adjunxit, vel potius absolute S. Andreae Basilicam nominavit, uti porro debuisset, si ante Templum S. Petronillae, S. Andreae Basilica exstitisset, ubi tantum ara S. Michaeli sacra foret, quemadmodum Ciampinius, dum haec duo aperte inter se repugnantia conciliare studet, argumentatur? Quare si Mallius S. Angeli Basil. a Templo S. Andreae, non modo nomine tenus, sed re secrevit, fatendum sane est,

¹ c. iv. §. ix. p. 56.

² p. 1074.

loco etiam, unam ab altero diversam agnovisse. Quod clarior etiam patebit, imo extra omnem dubitationis aleam, meo quidem iudicio, ponetur, ex eo quod, ubi Mallius ait, fuisse *Basilicam S. Angeli*, ibidem etiam fuisse refert, locum *Vaticanum* appellatum, quia Vates inibi canebant *ante Templum Apollinis*; qui locus proinde a Mallio pro ejusdem Templi vestibulo acceptus videtur. Vbi vero ait, fuisse *Templum S. Andreae*, *Neronis Vestiarium* ibidem fuisse declarat. Consequens enim inde est, quod si *Templum S. Andreae* idem fuisset, quod *Basilica S. Angeli*, *Vestiarium* quoque *Neronis* idem esse debuisset, quod *Vaticanum*, seu *Vestibulum Templi Apollinis*. Quod nimis aperte, non tam veritati, quam ipsius Mallii sententiae adversari, nemo non videt. Quare minime dubitari potest, quin Mallius de Templo *S. Petronillae* contermino loquutus sit, quum *S. Andreae* Templum nominavit. Praeterea ex hoc altero Mallii loco res comprobatur¹. *Iuxta Portam aeneam, quae vadit ad S. Petronillam, et ad S. Andream, est Oratorium SS. Processi, et Martiniani, a Paschali I. excitatum, quod in tab. Alpharani n. 20. designatur. Nonne enim, si Mallius, ubi ceteri, Andreae Templum agnovisset, ex Oratorio SS. MM. ad Portam aeneam lectorem manuducens, hunc primum ad S. Andream, ac deinde ad S. Petronillam ducere debuisset?*

Id ipsum mirifice confirmavit Anonymus de *Mirabilibus Romae*, quem sequenti seculo XIII. floruisse scimus. Hic equidem, fateor, sese prodit antiquitatis imperitum, resque identidem ex vulgi opinione describit. Quum tamen illo aevo monumenta, ut recte animadvertit Montfauconius², *priscum nomen vel apud Populares retinerent, non*

¹ n. 24. p. 40.

² in Diar. Ital. p. 282.

parum inde lucis mutuabitur, quicumque Romanis antiquitatibus indagandis operam impendat. Is igitur, postquam eadem Mallii verba exscripsit, (qua ex re patet, quam presse Mallii sententiae adhaeserit), in *S. Andreae* Templum veluti digitum intendens, locum, ubi stabat, multo, quam a Mallio factum est, clarius etiam, ut jam vidimus, designavit. Sed juvat, iterum ejus verba audire. *Infra Palatium*, inquit¹, *Neronianum est Templum Apollinis, quod dicitur S. Petronilla in Basilica S. Petri, ante quod est Basilica, quae vocatur Vaticanum, quia Vates, id est Sacerdotes canebant ibi sua officia ante Templum Apollinis, ibique aliud Templum, quod fuit Aerarium Neronis, ubi nunc est Ecclesia S. Andreae, juxta quod est memoria Caesaris, id est Agulia*. Item in antiquiori ejusdem Anonymi editione, Montfauconio ignota, per Valerium Doricum adornata, legitur. *Ante Templum Apollinis fuit Castrum Neronis, ubi nunc est Ecclesia Sancti Andreae*. Quaeso, quodnam aliud Templum heic describitur, praeter *Sacrarium*? Quum enim inficiari nemo possit, *Obeliscum Sacrario* proximum fuisse, manifestum est, *Ecclesiam S. Andreae, prope memoriam Caesaris, seu non longe a sepultura Iulii Caesaris*, ut loquitur pervetustus Codex infra afferendus, fuisse Templum, *S. M. Febrifugiae* nomine deinde insignitum, ac denique in *Sacrarii* usum conversum, a Basilicae *Vaticanum* dicebatur, *ante Templum Apollinis*, nimirum ab aditu Templi *S. Petronillae*, plane diversum. Quidni? Num, ut in diversa sententia, de ceteris Scriptoribus pronuntiandum esse, supra animadvertimus, aede *B. M. a Febris* excepta, omnia loca, *B. Petronillae* Templo contigua, ab Anonymo descripta esse censebimus?

¹ ibid.

Neque vero magis consentanea esse possunt tam Anonymi, quam Mallii verba, quum uterque asserat, Templum, quod ipsi pro *Neronis Vestiaro* accipiebant, *Sancti Andreae* nomine venire. Nihil enim refert, quod in Anonymo, *Aerarium* pro *Vestarium*, seu *Vestiarium* offendatur, quum ibidem librarii mendum pro certo irrepsisse putem; ac praeterea, etsi *Aerarium*, aut *Castrum* legendum esset, id diversam Scriptoris sententiam de Templi nomine, non de situ manifestaret. Quod vero, etsi uterque hoc Templum sua aetate *S. Andreae* sacrum fuisse noverat, ignoravit tamen, a quo Templum revera conditum fuerit, ac proinde primitus a Nerone constructum conjectaverint, hujus rei causam in ejusdem Templi antiquitatem, jam tum remotissimam, arbitror esse conferendam. Ac mirum profecto est, quod tum Mallius, tum Anonymus, quibus ceteroqui verum hujusce Templi nomen debemus, etsi hoc ab Ethnicis antiquitus constructum opinati sunt, nihilominus secus, ac ceteri scriptores, non *Marti*, vel *Matri Deum*, sacrum illud ab initio fuisse, sed potius *Neronis Vestiarium*, Circi usibus inserviens existimaverint.

Quid, quod multo post tempore, hoc est, Sec. xv, id ipsum *B. Andreae* nomen, loco, ubi tum *Neronis Vestiarium* exstitisse putabant, etiamnum haerebat? Quum enim Maph. Vegii opusculum *de rebus antiquis memorabilibus Bas. Vaticanae*, pariter a Janningo¹ in lucem editum pervolutarem, veluti sponte, sese mihi ejus verba superius allata obtulerunt. Ceterum ex iis patet, Templum, quod *Vestiarium Neronis* nuncupabatur, ac *S. Andreae* nomen vulgo tum retinebat, aditum fuisse Templi *S. Petronillae*,

1 I. IV. n. 127.

Vegium pronunciasset. Quae quum mecum animo cogitarem, non videbam tamen, quid inde damni conflare in me ejusdem posset opinio, contra Mallii, et Anonymi sententiam. Nam quid demum consequeretur, nisi errasse Vegium, quum Templum a Symmacho erectum in Vestibulo S. Petronillae statuerit, ubi tantum Altare S. Andreae sacrum exstitit, etsi a Symmacho Basilicam, sive Ecclesiam, S. Andreae erectam fuisse, non vero Altare solum Anastasius testetur?

Sed multo ante Vegium, verum hujus Basilicae locum incompertum fuisse colligimus, ex veteri Calendario ms. apud Turrigium¹, ubi haec habebantur. *Die xxx. Novembris S. Andreae Apostoli. Habemus Cappellam, et Caput, et de gamba, cum tibia ejus, et habebamus Oratorium. Nunc est dirutum.* Ex quibus sane intelligimus, quum Oratorium S. Andreae a Symmacho juxta Petri Basilicam excitatum fuisse, neminem latuerit, de vero ejus loco adeo nihil illis temporibus suboluisse, ut jam dirutum haberetur, quippe quod in aditu Templi S. Petronillae jamdiu exciso, dumtaxat exstitisse, pro certo habebant.

§. II.

De cultu ejusdem Templi.

Quum satis, ni fallor, probatum sit, hoc loco S. Andreae Basilicam, Symmachi jussu, a solo fuisse excitatam, illud nunc reliquum esse video, ut quot, quantisque ea donis a Romanis Pontificibus cumulata, quantaque reverentia, jam inde ab initio habita sit, inspiciamus. Quod quum praestabimus, illud etiam efficiemus, ut lectorum, si qui futuri sint, nimis fortasse morosi, atque

1 l. iv. n. 127.

2 p. 231.

difficiles, qui de rei veritate etiamnum dubitent, offensionibus occurramus.

Ac, ut a *Symmacho* Templi conditore, ut par est, initium ducam, is¹, Anastasio teste¹, *fecit ciborium ex argento purissimo in Confessione, pensans libras cxx, arcus argenteos III. pensantes libras IX.* Et sane mirandum jure esse, animadverterunt Binius, Labbaeus², et Giacconius, sub Rege barbaro, sub quo Vrbs ipsa quodammo- do captiva misere teneri videbatur, tot, ac tanta, quan- ta certe sunt, quae ab Anastasio de *Symmacho* memo- rantur, praestari potuisse; quamquam idem Pontifex pas- torali munificentiae in redimendis captivis, alendisque ccxx. Africanis Episcopis in Sardiniam a Trasamundo Wandalorum Rege delegatis, non defuerit.

Post *Symmachum*, en tibi aliorum Pontificum elen- chum ex eodem Anastasio, qui *B. Andreae* Templum do- nariis quantivis pretii certatim ditarunt. *Honorius*³ *fecit ad B. Andream Apostolum, juxta eandem Ecclesiam B. Petri Apostoli, ante Confessionem ejus, tabulam argenteam, quae pensat libras LXXIII.* Hujusmodi tabulas, quarum tamen va- rium fuisse usum Lazarus Boquillotius⁴ demonstrat, sae- penumero a Romanis Pontificibus oblatas, in Anastasio memorari video. Idemque sacrorum anathematum genus, jussu Theobaldi Abbatis S. Liberatoris⁵, et Hilmeradi Episcopi Helenensis⁶ constructum occurrit, praeter Ta- bulas argenteas, quas Georgius⁷ recenset. Joh. VI.⁸

1 T. I. §. vI. p. 176.

2 T. III. Anastas. edit. Blanch. p. 220.

3 T. I. §. II. p. 244.

4 Traité historique de la Liturgie sacrè chap. v. a Paris 1701.

5 Muratorii Antiqq. niedii aevi T. IV.

pag. 168.

6 in Appendice Marcae Hispanicae . Parisiis 1668.

7 de Sacro Ministerio . in Liturgia Rom. Pont. T. I. disquisit. c. xxix.

8 T. I. §. III. p. 316.

fecit in Basilica S. Andreae Apostoli, quae ponitur, infra Ecclesiam B. Petri Principis Apostolorum, ambonem noviter. Gregorius III. ¹ fecit autem et tectum noviter simul, et cameram S. Andreae Apostoli ad S. Petrum Apostolum, quam et depinxit, et fecit ibi imaginem auream B. Andreae cum gemmis pensantem libras viii, et intra confessionem vestivit argento, quam deauravit auro purissimo. Idemque Gregorius ² fecit vestes ad Altaria, in Ecclesia scilicet D. Salvatoris, S. Dei Genitricis, SSque Apostolorum Petri, et Pauli, atque Andreae, et ceterorum SS. in diversis Ecclesiis. S. Zacharias ³ fecit vestem, super Altare B. Andreae Apostoli, ad B. Petrum, nimis opimam. Stephanus III. ⁴ fecit tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad Altare, ubi imagines in frontispicio constitutae sunt, unum quidem in Basilica B. Petri Apostoli, et alium in Basilica B. Pauli, et alium ad B. Andream Apostolum. Adrianus ⁵ in Ecclesia B. Andreae Apostoli sita juxta eandem B. Petri Apostoli Eccl. Ciborium noviter ex argento mundissimo ipse ter BB. Pontifex fecit, quod pensat libras cxxxv. Leo III. ⁶ fecit autem et in Basilica B. Andreae ad B. Petrum Apostolum rugas argenteas pensantes libras lxxx. Praeterea ⁷ super Altare B. Andreae fecit vestem chrysoclavam cum margaritis, sed et presbyterium ex marmoribus sculptis ornavit. Fecit autem ⁸ idem BB. Pontifex in Basilica B. Andreae, ubi supra, regnum ex auro purissimo cum gemmis pretiosis ornatum, pensans libras ii. et uncias v. Hoc amplius, fecit ⁹ ad B. Andream Apostolum ciborium ex argento purissimo pensans libras ccc. et v. Isdem vero ¹⁰ praesagus

¹ T. II. §. XI. p. 52. ² ibid. §. xvi. p. 56.

³ ibid. §. xxviii. p. 84.

⁴ ibid. §. xxviii. p. 156.

⁵ ibid. §. XLVI. p. 196.

⁶ ib. §. vi. p. 241. ⁷ ib. §. xxxv. p. 261.

⁸ ibid. §. LV. p. 274.

⁹ ibid. §. LXV. p. 378.

¹⁰ ibid. §. Lxviii. p. 282.

Antistes, ubi supra, ad B. Andream Apostolum investivit Altare majus ex argento purissimo deaurato, miro decore ornatum, quod pensat undique libras CXXXV. cantharas ex argento purissimo XII. pensantes simul libras LII. canistros XII. ex argento pensantes libras LXXVIII. Nec satis. In Ecclesia¹ B. Andreae Apostoli, quae ponitur ad B. Petrum Apostolum, fecit coronam ex argento pensantem libras LVIII. Quid praeterea? etiam. Nam et in Oratorio S. Andreae², ubi supra, obtulit vela duo holoserica, ornata ut supra. Gradus vero³, per quos ingressus est in Ecclesiam B. Petri Apostoli a S. Andrea Apostolo, qui vetustate consumpti erant, a novo refecit. Qui quidem gradus primum constructi fuerant in Templi erectione a Symmacho⁴, qui et cantharum posuit pro ascendentibus ad B. Andream, ubi tamen potius descendentibus, cum Vignolio legendum esse, quis non adsentiat, si per eosdem gradus in Bas. Vat. multo altiorem ingressum fuisse animadvertat? Ac demum idem Leo III.⁵ fecit super Altare B. Andreae, ubi supra, vestem albam holosericam rosatam cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam dominicae resurrectionis, et in circuitu listam de chrysoclavo. Quid vero Leo IV? Obtulit⁶ in Oratorio B. Andreae, quod ponitur in dicta Basilica B. Petri Apostoli, vela modica de fundato tria. Idem Pontifex⁷ fecit in Oratorio S. Andreae Apostoli ad S. Petrum vela majora de fundato duo, et alia minora quinque ornata in circuitu de blattin. Praeterea fecit⁸ et in Eccl. B. Andreae Apostoli ciborium super ex marmore, necnon et calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem ciborio, numero duodecim, pen-

1 T. II. §. LXXI. p. 284.

2 ibid. §. LXXXIII. p. 296.

3 ibid. §. xc. p. 302.

4 T. I. §. viii. p. 177.

5 T. II. §. cI. p. 308.

6 T. III. §. ix. p. 71.

7 T. III. §. xx. p. 75.

8 ibid. §. LV. p. 102.

san. .- libras Fecit etiam ibi ipsum Campanile , et posuit campanam cum malleo aereo , et cruce exaurato. Qui etiam ¹ Porticum , quae S. Andreae cohaeret Ecclesiae , quum cerneretur casura , in melius noviter restauravit .

Quae vero fuerit hujusce Templi tam magnifice , splendideque exornati dignitas , quae majestas , nihil me attinet dicere , quum satis superque ex hac sola Anastasii locorum recensione intelligi possit ; quae praeter Paullini , Prudentii , Salviani , Victoris Vitensis , Optati Millevitani testimonia , manifeste declarat , plenis calathis , pretiosa donaria Templis constantissime oblata . Verum , quod multo pluris interest , de hoc *Symmachi* Templo , quod in *Sacrarium* postea conversum fuit , eundem Scriptorem loquutum esse , minime dubitandum est . Quum enim ab eodem istiusmodi Templum , *infra* Ecclesiam B. Petri , *juxta* B. Petri Ecclesiam , *ad* B. Petrum , *apud* B. Petrum designetur , constetque aliunde , hoc non ibi exstitisse , ubi ceteri illud collocarunt , quum in eo loco Templum *S. Michaeli Archangelo* sacrum fuisse demonstravimus , consequens est , fuisse ipsum alteri *S. Petronillae* contiguum , quocum fere semper ab Anastasio conjungitur , et nominatur . Quid enim ? dices Anastasium , Templum *S. Petronillae* , ejusque aditum toties nominasse ; nunquam vero alterum Templum rotundum ei plane geminum ?

Quapropter nemo non videt , minus recte a Janningo , qui , etsi uberrimam ex Anastasio messem collegerit , multos tamen mihi Spicilegii manipulos reliquit , hanc locorum congeriem Templo *S. Michaelis Archangeli* , pro hoc altero *S. Andreae* Templo ab se accepto , attri-

¹ ibid. 9. LXXXV.

² T. VI. Iunii p. 93.

butam. Quid vero dicam de Ciampinio ¹, qui cum Janningo paria sentiens, haud obscure prodidit, penitus sese ignorasse, quod Janningi eruditionem non omnino fugit? Nam disserens de hac *S. Andreae* Basilica, dumtaxat adnotavit, *Iohannem VI. hac in eadem Ecclesia ambonem noviter fecisse*. Siquidem nulla ratio erat, cur Johannis ambonem, ceteris longe praestantioribus aliorum Pontificum ornamentis praeferret, ac solummodo nominaret.

Etsi vero allata Anastasii loca ad Templum hoc nostrum referenda esse contendo, non idem de aliis duobus sentiendum esse arbitror, ubi *Monasterium S. Andreae* nominatur *juxta Basilicam Apostolorum*. Ea sic habent ². *Sed* (Leo III.) *et in Monasterio S. Andreae, quod ponitur juxta Basilicam Apostolorum, instar fecit canistrum ex argento pensantem libras 11*. Ac in vita Stephani V. ³ *In Oratorio S. Thomae, sito in Monasterio S. Andreae Apostoli, juxta Basilicam Apostolorum, fecit vestem unam*. Hoc enim *Monasterium*, quod etiam *Monasterium regionis Bibareticae* appellatum fuisse docent Martinellius ⁴, et Lubinus ⁵, situm erat *juxta Basilicam XI. Apostolorum*, nimirum prope Basilicam Apostolorum *Philippi, et Iacobi*, sub *Quirinali* positam, a Pelagio I. Pont. inchoatam, et a Johanne III. absolutam, de qua consule, si vacat, Martinellium ⁶, et Bonaventuram Malvasiam ⁷, qui eam peculiari opusculo illustravit. Sed ejus situm in quodam lapide in Monasterio S. Silvestri de Capite ⁸ in Campo Martio, olim exstante, descriptum, nobis Grimaldus etiam

¹ p. 93.

² T. II. §. LXXVII. p. 291.

³ T. III. §. XIV. p. 272.

⁴ p. 16. et 336.

⁵ p. 330. ⁶ p. 64. et seq.

⁷ Compendio Historico della Ven. Bas. de' SS. XI. Apostoli. Roma 1665. 8.

⁸ Giacchetti Historia della Ven. Chiesa, et Monastero di S. Silvestro de Capite. Roma 1629. p. 63.

indigitat. Ait enim ¹. *Monasterium S. Andreae, juxta Basilicam Apostolorum, hanc esse puto Ecclesiam S. Andreae, juxta Columnam Antoninam, solo aequatam sub Paulo III. erecta perpetua Cappellania ex redditibus ejus in Ecclesia Sanctae Mariae in via.* Haec autem vidit etiam eruditissimus Vignolius in vita Iohannis VI. ², cui tamen Anastasii verba de vita Stephani V. ³, ad *S. Andreae* Ecclesiam pone Basilicam XII. Apostolorum omnino pertinentia fucum fecerant; ac propterea palinodiam cecinit, quod ea in *Symmachi* vita ⁴ de Ecclesia *S. Andreae* Apostoli, quae Vat. Bas. proxima erat, interpretatus est.

Sed, ut aliarum quoque rationum vi, ac pondere nostram sententiam magis, magisque roboremus, age, experiamur, an item ex eodem Anastasio erui possit, ubinam *Symmachus B. Andreae* Templum excitaverit? Atqui idem locus in vita *Stephani* II, qui nobis veram *S. Petronillae* Templi originem patefecit, gemini hujus Templi ortum liquido declarabit. En tibi illum ⁵. *Fecit et juxta Basilicam B. Petri Apostoli, et ab alia parte B. Andreae Apostoli, in loco, qui Mosileos appellatur, Basilicam in honorem S. Petronillae.* Quibus perlectis, statim vix est, ut revocari in dubium possit, utrum amplius *B. Andreae* Templum, in Templi *S. Petronillae* vestibulo agnoscendum sit, an potius in altero Templo rotundo, quod, quum e regione esset, ab altera parte Templi *S. Petronillae* exstabat. Quid ita? quod scilicet, si Templum *S. Andreae* in aditu Aedis *S. Petronillae* exstitisset, nunquam certe Anastasius *B. Petronillae* Templum ab altera parte *B. Andreae* Apostoli positum fuisse pronunciasset. Sed ne ullus

¹ c. II. de Canon. S. Petri ms.

⁴ T. I. p. 176.

T. J. 9. 111. p. 316.

³ T. 111. p. 272.

⁵ T. II. Anast. edit. Fabrotti p. 124.

relinqui videatur dubitationi locus, quin ad hunc plane modum Anastasium intelligendum esse, pro certo habeamus, altera ejusdem Scriptoris verba heic lubet expendere in vita *Paulli* I. Pontificis, quae sunt hujusmodi ¹. *Oraculum in S. Dei Genitricis honorem construxit, juxta Oraculum B. Leonis Papae, secus fores introitus S. Petronillae, atque B. Andreae Apostoli*. Cur autem, ut situm tam illustris Cellae, titulo *S. M. in Oratorio*, aut de *Cancellis* decoratae demonstraret, adjunxit, *secus fores B. Andreae Apostoli*? Ecquis non videt, si Templum *S. Andreae Apostoli*, in aditu *S. Petronillae* exstitisset, primum hanc aedem, in quam e Basilica Vat. foribus introitus fuisset, ac deinde alteram *S. Petronillae* nominandam? Quare, ne otiose, aut praepostere ab Anastasio hujusmodi verba adjuncta fuisse opinemur, fatendum est, Templum *B. Andreae*, quum proximum esset alteri *S. Petronillae*, ab eodem nominatum fuisse, ut clarius Oratorii, quod *Paullus* erexerat, situm describeret, illudque aequè contiguum uni, atque alteri Templo fuisse intelligeremus. Quamquam, si cui forte haec minus arriderent, absque ullo sententiae meae dispendio, possem annuere, ibidem Anastasium de *Vestibulo* Templi *S. Petronillae*, ubi Altare *S. Andreae* sacrum fuisse concessimus, loquutum fuisse; quum ibi Oratorium nominet a *Paullo* I. conditum, qui *Stephano* II. successit, a quo idem *Vestibulum*, una cum ipso *S. Petronillae* Templo, erectum fuisse conjicimus.

Huc etiam referenda sunt *Freheriani* Codicis verba, quae superius ² attulimus ex *Fabrotto*, ubi legitur in vita *Paulli* ³. *In Mausoleo, juxta Ecclesiam B. Andreae Apostoli, quod praefatus BB. Stephanus Papa ejus Germanus,*

1 T. I. p. 130.

2 p. 272.

3 T. II. p. 248.

dum adhuc superstes erat , Ecclesiam in honorem ipsius Sanctae Christi Martyris Petronillae , picturae miro decore illustravit . Nam si Mausoleum B. Petronillae erectum fuit juxta Ecclesiam B. Andreae Apostoli , nonne argui potest , heic de altero Templo , ei contiguo , sermonem fieri ?

Praeterea Templi hujus meminisse Anastasium videmus , non tam in *Symmachi* ejus conditoris vita , quam in aliis Honorii I , Johannis VI , et Zachariae , priusquam a *Stephano* II. Aedes B. Petronillae aedificaretur . Quod , quum satis probet , Templum S. Andreae , Sec. VI. ineunte , excitatum , longe ante illud S. Petronillae , quod Sec. VIII. exstructum fuit , exstitisse , illud etiam declarat , hoc neutiquam pro illo esse accipiendum , quod exstare dicebatur in aditu Templi S. Petronillae , quodque una , vel ipsum *Stephanum* II. aut alterum deinde Pontificem condidisse , putandum est ; sed pro eo tantum , de quo disputamus . Vix enim , aut ne vix quidem credibile profecto est , Altare , quod in Templo S. Michaelis Archangeli , in honorem B. Andreae erectum , non negamus , tam remotae fuisse antiquitatis , ut ipso B. Petronillae Templo vetustius dicatur , ac Vestibulum , priusquam ipsum Templum , constructum sit ; quod quidem nulla alia de causa erectum videtur , quam ut ex Aede S. Petronillae in Vaticanam Basilicam aditus pateret .

Haec multo verius ad Templum nostrum accomodabis ; quod praeterea Anastasius , quoties deinde nominat , toties fere , et alterius contigui S. Petronillae mentionem facit . Nam in Leone III , ubi ait ¹ , super Altare B. Andreae , fecit vestem chrysoclavam , continuo addit , et in Altare B. Petronillae fecit vestem holosericam . Et rursus

1 T. II. p. 261.

in eadem vita ¹. In *Bas. B. Andreae fecit regnum ex auro purissimo illico adjecit , nec non et super Altare B. Petronillae fecit regnum aureum cum gemmis pretiosissimis . Ac demum*, ne nimius sim , in eadem vita , inquit ². *Super Altare B. Andreae fecit vestem albam holosericam , ac paullo post subdit , verum etiam et super Altare B. Petronillae fecit vestem albam holosericam .*

Ex quibus non inepte conjeceris , utriusque Templi similitudinem , ac propinquitatem , Anastasio in mentem venisse , quoties alterutrum nominaret ; hincque propemodum inductum fuisse , ut , dum de altero scriberet , alterum etiam memoraret , ne ea , vel in sua historia , quodammodo dissociarentur . Praeterquamquod nequaquam putandi sunt Pontifices , iisdem donariis ornare voluisse *Altare S. Andreae in aditu Basilicae S. Petronillae* , atque ipsam tanto augustiorem ejusdem *S. Virginis Basilicam* ; quod alioqui probabilius est , eos praestare voluisse erga *B. Andreae Basilicam* ei adnexam , ut quum forma externa , duo haec Tempa simillima essent , tum etiam iisdem ornamentis interius collucerent .

Ad haec accedit , quod legimus in eodem Anastasio ³, *in Ecclesia B. Andreae Apostoli Leonem IV. fecisse ipsum Campanile , et posuisse campanam cum malleo aereo , et cruce exaurato .* Quis autem credat , Leoni in mentem venisse , Turrim Campanariam exstruere , prope *Aditum Templi S. Petronillae* ? Quare dicendus est , hanc erexisse prope nostram *S. Andreae Basilicam* , uti suo loco demonstrabimus , quum de *Gallo aeneo* supra eandem posito , disseremus . Praeterea ex Anastasio audivimus ⁴,

¹ *ibid.* p. 274.

² *ibid.* p. 308.

³ T. 11J. p. 102.

⁴ *ibid.* p. 223.

eumdem Leonem, *Porticum*, quae S. Andreae cohaeret Ecclesiae, quum cerneretur casura, in melius noviter restaurasse. Atqui Templum S. Michaelis laeva, B. Petronillae Templo, cuius erat *Vestibulum*, dextra Bas. Vaticanae adhaerebat, in quam inde aditum patuisse vidimus. Propterea, quonam pacto hujusmodi Anastasii verba de *Altari* S. Andreae, quod in Templo S. Michaelis exstabat, accipienda sint, equidem plane non intelligo.

Hanc autem *Porticum*, quae ab Anastasio designatur, revera B. Andreae Templo cohaerentem fuisse, dubitare non sinit Alcuinus, aut quicumque fuerit auctor, certe antiquissimus, *Notitiae Ecclesiarum Urbis*, quae ejus operibus assuta est, ubi ita scribitur.¹ *Pro intrante in Porticu S. Andreae, occurrit tibi in sinistra manu Altare S. Laurenti, deinde S. Viti, deinde S. Cassiani, deinde ipsius Andreae in medio rotundae, et sic S. Thomae, et sic S. Apollinaris, novissime S. Xysti.* Qui quidem locus, quum non solum *Porticum* Ecclesiae S. Andreae adnexam fuisse testetur, sed, quod magis est, hanc ipsam Ecclesiam *rotundam* fuisse doceat, mirifice, si verum amamus, nostram opinionem confirmat, Templumque S. Andreae a *Symmacho* excitatum, in dejecto *Sacrario* statuendum esse, apertissime declarat.

Denique, si vel ipsa nomina expendamus, quibus B. Andreae Templum Anastasius indigitat, liquidum sane erit, de nostro tantum Templo loquutum fuisse. Nihil enim refert, quod aliquando *Altaris* nomine illud donavit, quum ita vel ipsa *Templa* saepe numero fuisse indicata, pluribus jam supra demonstraverim. Sed tamen multo frequentius *Ecclesiam*, *Basilicam*, *Oratorium* appel-

¹ T. II. in App. II. par. II. p. 598.

lat, quod certe nusquam fecisset, si unum in aditu Templi *S. Petronillae Altare* nominare voluisset. Et illud quâ fieri potuit, ut *Turris Campanaria*, atque etiam *Porticus S. Michaelis* Templo adhaerent?

Praeterea eritne cuiuspiam credibile, ut rursus heic moenam, toties Anastasium de *S. Petronillae* Templo, nusquam de contiguo altero mentionem fecisse? Id tamen profecto dicendum foret, si detur Templum *B. Andreae* a Symmacho exstructum, in aditu Templi *S. Petronillae* esse statuendum. Ostendant igitur, si qui contra sentiunt, quo nomine dejectum *Sacrarium*, quod certe ab antiquissimis temporibus stetit, apud Anastasium veniat; tum quod volent, efficiant. Quis autem sibi persuadeat, Pontifices tantam auri, argenti, gemmarumque vim in Templum *S. Petronillae*, atque in ejus aditum, ubi tantum *Andreae* Templum agnoscunt, conguessisse; nullum vero ornamentum in proximum ei Templum unquam contulisse, quod Anastasius memoria dignum putaverit, ac proinde silentio omnino praeterire debuerit, verumque ejus nomen, toto historiae suae cursu, occultare? Quum enim multo post Symmachi aetatem, *B. M. a febribus* dicatum fuisse constet, ut loco suo aperte demonstrabimus, palam est, alteri cuidam Caeliti sacrum ab initio fuisse. At quum semper Anastasius solum *Andreae* nomen in medium proferat, id argumento est, Templum, de quo disputamus, *B. Andreae* revera nuncupatum fuisse. Sed diutius, quam antea constitueram, in Anastasii verbis perpendendis immoratus sum, ex quibus nostra sententia de situ Templi *S. Andreae* apprime confirmatur. Nunc ad alia, quae non minorem profecto vim, et pondus afferent ad eandem comprobendam, progrediamur.

§. IV.

De Conciliis in eodem Templo celebratis .

Basilicam *S. Andreae* nequaquam in Templi *S. Petronillae* Vestibulo agnoscendam, ex eo etiam argui potest, quod in *Consistorio B. Andreae Apostoli*, Concilium Romanum ¹ 111, anno salutis 1331. post Consulatum Lampadii, et Orestis VV. CC, die vii. Iduum Decembrium, *praesidente Venerabili Viro Papa Bonifacio II. residentibus* iv. Episcopis, xxxix. Presbyteris, *adstantibus* iv. Diaconibus, et Tribuno Archidiacono, celebratum fuisse, compertum est. Quod quum loci capacitatem demonstrat, *quis inficiabitur*, ut Bull. Vat. editores ² pronuntiant, *Consistorium B. Andreae, celebre quondam fuisse Oratorium ad Basilicam S. Petri?* Ego vero addam, quis inficiari poterit, haec illud etiam apertissime declarare, Ecclesiam *S. Andreae*, cum angustiiori *S. Michaelis Archangeli*, in *aditu Templi S. Petronillae* perperam fuisse commutatam? Siquidem constat, nullum aliud praeter hoc, pone Vaticanam Basilicam, Templum fuisse *S. Andreae* sacrum. Itaque perspicuum est, *Consistorium B. Andreae*, uti notat Holstenius ³, et cum eo Pagius ⁴, Norisius ⁵, et Blanchinius ⁶, *habitum ad S. Petrum in Vaticano*, in Templo, de quo agimus, celebratum fuisse.

Quis autem cum Ciampinio ⁷, qui falso hoc Concilium Bonifacio III. tribuit, Ianningo ⁸, et Bull. Vat. editoribus, sibi persuadeat, *aditum Templi S. Petronillae*,

¹ Tom. 11. Concil. Hard. col. 1111. Act. I. et 11.

² T. I. p. 2.

³ in Coll. Rom. V. M. Part. I. p. 1. et p. 250. Par. 11.

⁴ ad ann. 532.

⁵ Hist. Pelag. lib. 11. cap. xx11.

⁶ in T. 111. Anastas. p. 256.

⁷ p. 87. et 89.

⁸ p. 87.

a Bonifacio II. selectum fuisse, ut Concilium eodem congeret? Etsi enim unum ex iis, cum Holstenio ¹, Garnerio ², et P. Bianchi ³ fuisse concedam, quae ex Clero Romano, atque ex Episcopis, qui forte in Vrbe aderant aliis de caussis, identidem constabant, tamen praeclarum, atque insigne fuisse, nemo diffitebitur, non minus ob rerum ibidem gestarum gravitatem, quam ob ritus Rom. Eccl. proprios in Synodis celebrandis, qui tum maxime enituerunt, ut cum Holstenio apposite adnotavit eruditissimus Petrus Lazerus ⁴. Verum quâ potuit Bonifacius Synodum congregare in aditu, quem, nonnisi a Stephano II, constructum fuisse, censendum est? Quapropter illud potius, meo quidem iudicio, tenendum est, quum olim Pontificibus, et Episcopis sollemne fuerit, Concilia in Vrbe celebrare, in vicinia exsularum Principis Apostolorum, ut *coram Beatissimo Petro*, juxta Leonis M. ⁵ consilium, quodammodo habita dici possent, utque in suis cineribus propemodum adhuc vivens, atque Ecclesiam gubernans, sua muniret auctoritate, quod illi pro crediti muneris ratione, et ad Christ. Reip. bonum sanciebant, Bonifacium II, singulari quadam erga *B. Andream* pietate incensum, illud magni momenti negotium, in Aede ejus nomini sacra, tractare voluisse, ut Germanum Fratrem, ad feliciorum totius rei exitum, intercessorem apud *Petrum* interponeret.

Sed, si quae alia hujus rei excogitanda, ac reddenda ratio est, ac demus, jam tum, etsi Templum *S. Petronillae* nondum erectum esset, hunc aditum, ibique jam Al-

¹ in Observat.

² in Dissertat. I. de Synod. habit. in caus. Pelag. p. 194.

³ T. v. P. I. p. 97.

⁴ in dissertatione de Consiliis Romanis prioribus IV. Ecclesiae sec. Romae 1754. p. 4. et 8.

⁵ T. I. Ep. olim IV. c. VI. p. 157.

tare *Andreae* sacrum exstitisse, angusto hujusmodi loco longe amplior hujus Templi situs Bonifacium potuit inducere, ut hunc alteri, ad cogendum Concilium praeferret. Nam rotunda ejus forma, *Basilicae, quae et Trullus appellatur*, intra *Palatium* Constantinopolitanum quodammodo praelusit, ubi *sub regali cultu*, ut Anastasii verbis dicam in vita Agathonis ¹, *residente Constantino Augusto, et cum eo Georgio Patriarcha CP., et Macario Antiocheno, suscepti sunt Missi Sedis Apostolicae, deinde Metropolitae, vel Episcopi Orientalium partium numero CL, ac VI.* Synodus inchoata, quam Leonis II. Pontificatu absolutam, ex eodem Anastasio ² fuisse discimus. Ita enim denominatum fuisse diximus, Imperialis Palatii Triclinium, quod Tholus superimpositus ei esset, *Trullae inversae* formam referens ³.

Quod si Ciampinio credimus, necesse est, ex doctrina ejus fateamur, magnam hinc etiam fieri huic Templo honoris, laudisque accessionem. Putavit enim ⁴, ex hac Synodo, habita in *Consistorio B. Andreae*, et ex altera habita sub Symmacho Papa in *Consistorio Lateranensi*, Purpuratorum Patrum Congregationes, in quibus Episcoporum electiones fiunt, amplissimum *Consistorii* nomen primo desumsisse. Verum de hujus vocis origine, praeter Cardinalem Paleottum ⁵, consulendi sunt Petrus Coustantius ⁶, et Christianus Lupus ⁷, qui *Consistorium*, Presbyterio, seu Cleri Romani conventui, cui Pontifi-

¹ T. I. §. VI. p. 278.

² ibid. §. II. p. 288.

³ pag. 179. Ducangius. in Cpoli Christ. lib. II. c. IV. num. XIX. et XX. et lib. III. c. XXI. II. Christ. Lupus. T. III. pag. 68. Dissertat. de Synodi Trullanse causa,

tempore, loco, Episcopis, auctoritate. et Vignolius. T. I. p. 278.

⁴ p. 87. ⁵ de Sacro Consistorio.

⁶ in Praef. T. I. Epist. Rom. Pont.

⁷ de appellat. ad Petri Cathedr. diss. II. cap. XIV.

ces graviora negotia deferebant, antequam quidquam decernerent, successisse arbitrantur. Hoc enim Synodi genus, primo *Compresbyterium*, deinde *Consistorium*, nuncupatum fuisse tradit Holstenius¹, qui eò spectasse censet Hieronymum, ubi scribit², *et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, Coetum Presbyterorum*, vocabulo a civilium Principum usu desumpto, quem egregie illustrant Jo. Filleau³, et Just. Christ. Thorschmid⁴, etsi *Consistorium* Principis, CP. *Silentium* quoque nuncupabant, et *Silentiarium* locum, ubi *Silentiarium* excubabant, id est *Consistorii Principis Excubatores*, et quietis ministri⁵.

Alterum in hoc eodem Templo Concilium a *Gregorio M.* celebratum fuisse puto, ex vita S. Gregorii Agrigentorum Episcopi⁶, quam Leontius Monachus graece conscripsit, quamque latine redditam, una cum editione ejusdem Gregorii operum, eruditissimis prolegomenis, atque adnotationibus locupletata, a Stephano Ant. Morcellio in dies cupidissime exspectamus. Narrat enim Leontius, Episcopos, qui eò convenerant, *Pontificem Maximum veneratos, in magno Vestibulo, quod S. Andreae Apostoli dicunt, consedisse*, ibique Gregorii caussam ab iis esse absolutam. Heic autem eadem, quae supra attulimus, argumenta recurrunt. Nam si Bonifacius in Templum rotundum, a Symmacho S. *Andreae* honoribus excitatum, Synodum coegit, multo magis id *Gregorium M.*

¹ in Observat.

² Comm. in Isai. lib. 11. cap. 111.

³ de Comitib. Consistorial. Paris. 1633.8. et in T. I. Thes. Meermannii p. 342.

⁴ Historia Comitum Consistorianorum in Imperio Orientis. Wittebergae 1720.

⁵ P. Diacon. hist. Misc. lib. 21. Buleng. de Imp. lib. 11. cap. 61. Zipe de Mag.

lib. 2. cap. 5. n. 15. Ios. ab Exea, et des Cartin Recit. ad L. 42. Cod. de Palatiis p. 413. T. 11. Thes. Meermannii.

⁶ V. ejus vitam ex Simeone Metaphraste in Surii vitis SS. die 21. Nov. p. 487. et Ioh. Lancea de Gregorii Agrigentini aetate Diss. in T. 21. Opuscul. di. auctori Siciliani. Palermo 1760.

Apostoli studiosissimum praestitisse, putandum est. Qua vero de caussa Leontius idem Templum, *magnum Vestibulum* appellaverit, ignoro. Quid, si vulgari opinioni adhaerens, quum Synodum in Aede *Andreae* dicata habitam descripsit, non ubi re ipsa tunc acta esset, sed ubi actam fuisse, sibi persuasisset, indicasset? Forte autem Templum rotundum *Andreae* sacrum, antea fuisse *Vestiarium Neronis*, quod *Vestibulum* quoque dictum fuit, et ipse censuit; atque ita, dum *Vestibulum* nominavit, Templum rotundum indicare potuit; aut demum falso sibi persuasit, ubi aevo suo Altare Apostolo dicatum exstabat, a Stephano II, aut paullo post exstructum in aditu Aedis S. Petronillae, Templum a Symmacho erectum esse agnoscendum.

Hic ille idem locus fuit, ubi, Seculo viI. S. Wilfridus Episcopus Eboracensis haec vota *B. Andreae* nuncupavit, uti narrat Eadmerus in ejus vita, cujus haec sunt verba ¹. *Vt autem Romam venit, BB. Apostolorum Principis limina, orandi gratia petiit, et egressus, Germani B. Petri, eadem caussa ductus, Oratorium est ingressus, humique prostratus, hac prece fertur, pium Apostolum, quem mente praesentem videbat, palam rogasse. Piissime Apostolorum Dei, frater Beatissimi Apostoli Petri, en ego peregrinae Provinciae civis, ad tua limina veni, veniam pro peccatis meis postulaturus. Precor te igitur per pietatem, quam ceteris praestare, totius Orbis attestazione probaris, ut veniam peccatorum, quam per te obtinere confido, non quaeram in vanum, ne mihi tantae progressio vitae procedat incassum. Verum ut experiar vincula meae impietatis per me-*

¹ Secul. 11I. Annalium Benedictinor. part. I. pag. 199. et apud Bollandum in

T. 11I. Aprilis pag. 295. ad diem xxiv. Aprilis.

rita tua solvi , solve , quaeso , impedimenta ingenii mei , et linguae meae Non citius orationis verba complevit , quam vivacissimum mentis ingenium , et promptissimum elocutionis modum sese percepisse cognovit .

§. v.

De Sacris Ordinationibus , quae statis diebus in eodem Templo habebantur .

Praeter ea , quae hactenus attulimus , quamplures aliae accesserunt caussae , cur hujus Templi nomen in dies clarius evaderet , ac *magnae* , ut perperam de aditu *Templi S. Petronillae* ait Vegius ¹ , *semper fuerit apud omnes devotionis* . Propterea , haud gravabor , alterum decus , quod eidem falso Mabillonius assignat , alteri *S. Andreae* Templo ultro deferre . Vir enim doctissimus , illustrans primi Ordinis Rom. locum , ubi *S. Andreae* Templum occurrit , statim hunc ad Templum a *Symmacho* erectum pertinere judicavit . Afferam autem integrum ordinis locum , qui talis est ² . *Ad Vesperas diei Paschae Sancti , conveniente Schola temporius cum Episcopis , et Diaconibus in Ecclesia majore , ad locum Crucifixi incipiunt Kyrie eleison , et veniunt usque ad Altare Deinde dicit Sacerdos orationem , et tunc vadunt ad S. Iohannem ad vestem , canentes Ant. Lapidem , quem reprobaverint , deinde all. cum Psalmo cxii. Deinde primus Scholae dicit cum pueris allel. Venite exultemus Domino . Post hoc sequitur Diaconus Ant. Cito euntes , deinde oratio , semper absque Kyrie eleison , et tunc vadunt ad S. Andream ad Crucem , canentes Antiphonam , vidi aquam egredientem de Templo a latere dextro alleluja .*

¹ lib. iv. n. 127. p. 82.

² T. II. Mus. Ital. in Ord. I. n. 12. p. 36.

Huic loco Mabillonius notulam apposuit a Cl. Vez-
 zosio in appendice *Respons. et Antiphon.* ¹ cooptatam, ubi
 de situ Templi *S. Andreae*, quod generatim juxta Bas.
 Vat. statuebat, quid sentiret, caute praetermittens, haec
 tantum illevisit. *Templum S. Andreae proximum erat Bas.*
Vat., a Symmacho Papa constructum. Verum, ut egregie
 animadvertit Phil. Dionysius, in perquam erudita lucu-
 bratiuncula *de Vesperarum Paschalium ritu in Bas. Vat.* ²,
 totus ille Rom. Ordinis locus, sollemnes caeremonias
 dumtaxat describit, quae Vesperis Paschalibus, in Pa-
 triarchio Lateranensi celebrabantur, quasque accurate
 describunt Rituale Card. S. Severinae sub titulo *de pro-*
cessione post Vesperas, et Josephus Aloysius Assemannus ³.

Porro, idem Mabillonius continenter ad ea verba,
ad S. Iohannem ad vestem, primo in quibusdam codici-
 bus *ad vestem* deesse adnotavit, et apud vulgatum Al-
 cuinum haberi *ad S. Ioh. Bapt. ad Fontes, seu ad vestem*.
 Deinde etiam adjecit, exstare adhuc *Oratorium S. Ioh.*
Bapt. ad Fontes Lateranenses ab Hilario Papa constructum,
 quod, quia fortasse sacro latice abluendi, vestes ibi de-
 ponebant, eandemque jam baptizati resumebant, *S. Io-*
hannis ad vestem, dictum esse conjecit. Quam doctissi-
 mi viri conjecturam amplexatus est etiam Dionysius ⁴,
 cui forsani illud in mentem venit Benedicti Canonici ⁵,
 et Cencii Camerarii ⁶, quod rem aperte declarat, *prop-*
ter infantes noviter baptizatos, in Ecclesia deponentes veterem
tunicam. Sed tamen hujusmodi nomen loco inditum, ex
 eo etiam esse potuit, quod Neophyti, vetustioribus sal-

¹ T. iv. Op. Th. p. 310.

² Romae 1780. 8. p. xvi.

³ in III. Cod. Liturg. p. 27.

⁴ loc. cit.

⁵ in Ord. xI. p. 145.

⁶ in Ord. xI. p. 202.

tem temporibus, vestes albas, quas, ut tradit Augustinus ¹, in octava Paschae dimittebant, Ecclesiae donarent ². Ceterum, ut dicam, quod est, haec mihi vix probantur. Verius enim, ac multo probabilius videtur, quod sentiunt Maurini, Gregorianorum Operum editores in *Observationibus praeviis ad antiphonarium* ³, etsi ad eundem allati Ordinis locum, antea ⁴ et ipsi, Mabillonio subscripserant. Ajunt itaque. *Libro tertio S. Gregorius jubet ad se transmitti Tunicam S. Iohannis, quae penes quemdam Episcopum erat. Eam, ut optaverat, Romam delatam, et sub Altari S. Iohannis in Basil. Constantiniana collocatam narrat Ioh. Diaconus* ⁵. *Quae quidem vestes, inquit Iohannes, usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur Ab hac fortasse sacra Tunica, Basilica S. Iohannis, in qua asservabatur, dicta est S. Iohannis ad vestem.* Et sane apud Anonymum a Valerio Dorico evulgatum, inter reliquias Bas. Lateranensis, adnumeratur *Tunicella Sancti Iohannis Evangeliste, que posita fuit supra tres mortuos, et confestim surrexerunt.* Quare eruditissimus Paciaudus ⁶ Ioh. Diaconum ⁷ recte scripsisse pronunciavit, quod *Iohannis Evangelistae, non autem Baptistae, (Tunica) sit, nemo est, qui dubitet.* Ecquis autem non intelligat, quanto verisimilior sit huiusmodi interpretatio, quae Cl. quoque Vezzasio proba-

¹ Serm. I. in Oct. Pasch. qui est CLVII. de Temp.

² V. inscript. vetustissimam ap. Fabretum p. 577. Norisium, et Borgia de Vatic. Confess. B. Petri p. 195. Trombellium. T. v. diss. xvi. Quaest. i. quo die deponerentur vestes albae in baptis. susceptae? p. 339. Ios. Vicecomitem. lib. v. de Rit. Baptis. cap. xii. Theoph. Raynaudum. in Christiano, Christi, et Ecclesiae per baptismum filio cap. vi. Gottfredum

Wegnerum. de alba veste baptizat. Regionon. 1700. 8. et 1734. Andream Wilkium. de Dominica in Albis, sive clausa Paschae. in Plejade 1. Orat. vii. p. 161. et Ioh. Schmidium. de usu vestium albarum. Lipsiae 1704.

³ T. i. p. 370. ⁴ ibid.

⁵ lib. ii. vitae S. Greg. c. LVII.

⁶ in Antiqq. Christianis de cultu S. Ioh. Baptistae dissert. L. cap. v. p. 24.

⁷ l. ii. c. LIX.

tior visa est, ubi notulam Thomasio illustravit ¹, qui, cur Oratorium *S. Iohannis ad vestem* in eodem Ordine diceretur, sese ignorare profitebatur?

Sed, ut ad Mabillonium revertamur, id certe concedendum, eum Ordinis verba, ad Oratorium *S. Iohannis*, prope Lateranum pertinere, procul dubio agnovisse. Nam paullo infra legitur in eodem Ordine. *Feria II. iterum ad vespere ad Lateranis, ordine, quo supra, ingrediuntur... descendunt ad S. Andream*. Post haec, quis non miretur, eidem continuo e Laterano ad Bas. Vat. convolare placuisse? Atqui tanti erat, investigare, utrum etiam prope Bas. Lateranensem, aliquod *S. Andreae ad Crucem* Templum exstaret, quin statim ex plane opposita regione, Lectorum animos ad Templum Vatic. evocaret? Porro etsi *Monasterium*, quod ab Anastasio in vita Adriani ², et Leonis III. ³ *SS. Andreae, et Bartholomaei*, atque etiam *Monasterium Honorii Papae ad Lateranum*, ut notat Rasponius ⁴, vulgo audiebat, sibi ignotum fuisset, tamen *Altare SS. Andreae, et Luciae*, eodem loco positum, Museum ipsum ab se editum exhibebat. Ibi enim in libro Joh. Diaconi *de Ecclesia Lateranensi ad Alexandrum* ⁵, agitur *de Oratoriis ad fontes, et de Sanctuariis, et donis eorum*, atque ita legitur. *Sub alia absida est Altare S. Andreae Apostoli, et S. Luciae V., quod et praedictus Anastasius P. consecravit, et in eo recondidit de reliquiis utriusque, videlicet Andreae Apostoli, et Luciae V.* Quapropter quis non videt, per ea Ordinis verba, vadunt ad *S. Andream ad Crucem*, vel *Monasterium* ab Anastasio memoratum, vel *Altare* a Ioh. Diacono descriptum indicari po-

¹ T. IV. p. 310.

² T. II. p. 215.

⁴ p. 240.

³ *ibid.* p. 239.

⁵ T. II. Mus. Ital. §. XI. p. 257.

tuisse; nusquam vero Templum a *Symmacho* exstructum pone *Basilicam Vaticanam*?

Id ipsum mirifice confirmatur ex perantiquo codice, ubi altera *Ecclesiae Lateranensis* descriptio, a Ioh. Diacono concinnata occurrit, quae plurimum differt ab ea, quam *Mabillonius* evulgavit. Ibi enim legimus apud *Dom. Georgium*¹, qui eum publici juris fecit. *Retro Ecclesiam S. Salvatoris, quattuor sunt Oratoria, unum est, quod habet duas absidas, sub una est Altare S. Andreae, et S. Luciae, sub alia absida est Altare SS. Rufinae, et Secundae.* Ac demum id etiam manifeste patet ex *Orationibus, et Precibus de Anni circulo*, quas edidit *Ven. Thomasius*. Ibi enim quoties notatur *Statio in Basilica Salvatoris ad Fontes*, toties ibidem notatur *Statio ad S. Andream*, ut videre est in *Natali S. Ioh. Evangelistae, in Dominica Sancta Paschae ad Vesperos, et Feria II. III. IV. V. in Albis ad Vesperos*, apud eundem *Thomasium*, et apud *Nic. Antonellium* in *Missali Lateranensi*.

Quae quidem satis superque demonstrant, allatum Rom. Ordinis locum ad Templum a *Symmacho* erectum nequaquam spectare. Itaque, quin nos ejusdem laudum aestus abripiat, falsas, atque adscititias ultro rejicimus, ut veras, atque, ut ita dicam, nativas dumtaxat prosequamur, quibus jam satis ejus celebritas, ac reverentia innotescet.

Illud igitur potius, ad hujusce Templi celebritatem agnoscendam, nos moveat, quod libri rituales perspicue testantur, nimirum, ad principem ejus aram, Romanum Pontificem, sollemnem sacrorum Ministrorum ordinationem de more habuisse, quorum nomina populo

¹ in T. II. Liturg. Rom. Pont. p. 551.

pridie annunciaverat in Bas. Liberiana, quò ex Aede Petri in Exquiliis, supplicandi causa, in publicum prodibat ad sacrum peragendum. Hanc primitus in *Monasterio S. Martini*, Ord. IX. testimonio ¹, peractam fuisse demonstrabimus, ad hujus operis calcem, ubi de eodem *Monasterio* disserendum est. Deinde vero statutum fuit, ut in Aede *Andreae Apost.* obiretur, ut etiam Macer ², Sarnellius ³, Martene ⁴, et Borgia ⁵ adnotarunt. Atque, ut aliquem e multis hujus rei testem audiamus, Canonicus Benedictus in Ord. XI. *de Sabbato IV. Temporum*, haec habet ⁶. *Sabbato Statio ad S. Petrum, ubi debet ordinatio fieri a Pontifice, et celebrari Missa. Dum vero canitur Officium celeberrime a Schola, et hymnus trium puerorum Benedicite, descendit Pontifex ab Altari S. Petri, et vadit ad S. Andream. Ibi facit consecrationem. Facta consecratione, revertitur ad Altare, quia ad hoc Altare nulla consecratio debet fieri, nisi de Romano Pontifice, et sic in omnibus quattuor temporibus debet fieri.*

Haec autem disciplina nonnihil immutata fuisse videtur, ex Pontificum Rom. in Vrbe Avenionensi comoratione. Quin imo, quod pluribus jam actis seculis unius Pontificis munus fuerat, arbitrium sensim evasit, uti patet ex Ord. XIV. ⁷, et ex altero P. Amelii in *Officio Sabbati Sancti* ⁸. Nihilominus veterem disciplinam, sub Innocentio VIII, quum Aug. Patritius *Caeremoniale* scribebat, jam tum revocatam fuisse, censendum est. In

¹ in Tom. II. Musei Italici pag. 91.

² in Altare.

³ nel Lume a' Principianti Part. II. Quest. XXI. che nell'Altare, nel quale ha celebrato il Vescovo, non sia lecito ad un altro Sacerdote nello stesso giorno

celebrare. p. 175.

⁴ T. II. de ant. Eccl. rit. p. 32.

⁵ in Vat. Confess. B. Petri p. 227.

⁶ T. II. Mus. Ital. p. 124.

⁷ c. XCIX.

⁸ c. LXXIX. p. 497.

eo siquidem sic legimus ¹. Nota, quod secundum institutionem Gregorii I, hujusmodi consecrationes non debent fieri apud Altare S. Petri, quia ibi solus Romanus Pontifex consecratur. Quando Papa aliquis vult ordinare publice in S. Petro, consuevit actus Ordinationis, et Consecrationis facere in Cappella S. Andreae, vel alia, et reliquum Missae finire ad Altare S. Petri. Quae tamen, ut supra ² monuimus, intelligenda sunt de Cella, S. Andreae a Pio II. dicata, ubi tum priscas caeremonias obire solebant, quae primitus in Templo rotundo peragebantur.

Exstat vero etiamnum tam veteris disciplinae, totque seculorum intervallo relligiosissime servatae vestigium insigne, ac perenne testimonium in *Stationibus*, quae celebrantur in Basilica Vaticana, singulis *Sabbatis* iv. *Temporum*, quae *sacris Ordinationibus* peragendis addicta sunt. Cetera enim prorsus oblitterata fuerunt, Sec. xvi. adolescente, quum primum Paullus III. Cardinali, vice sacra Antistiti relligionum Urbis, de quo vide Bellarminum ³, eadem per se, vel per alium ab se eligendum, faciendi potestatem concessit, uti constat ex *Bullario Romano* ⁴. Quae quidem erudite animadversa, mutuatus sum a cc. Bull. Vat. editoribus ⁵, qui tamen aequae, ac ceteri, haec eadem de *Templo S. Michaelis Archangeli* intelligenda esse contendunt, quod pro Templo, quod *Symmachus D. Andreae* dedicavit, acceperunt. Fortasse enim vix credibile iisdem visum fuerit, Pontifices usque ad Templum rotundum, recens dejectum, pro Ordinationum, et Consecrationum Caeremoniis peragendis sese conferre voluisse

¹ lib. I. §. viii. c. xx.

² pag. 707. 805.

³ li. 20. de Rom. Pont.

⁴ T. I. p. 672.

⁵ Tom. I. p. 80. et T. III. pag. 346. in Append. p. 2.

quas in propiori aditu Templi S. Petronillae obire potuissent. At nonne vidimus, ipsos Pontifices in VII. Stationibus, nocte concubia, turis adolendi caussa, multo longius dissita S. Gregorii, Tiburtii, Chromatii, et Sebastiani Altaria adire consuevisse?

Sed ad supra apposita Benedicti, et Patritii loca expendenda nos conferamus. Eadem perspicue demonstrant, a vetustissimis usque temporibus, singulare solius Romani Pontificis privilegium fuisse, ut ad *Altare S. Petri* ejus consecratio ageretur. Quod ipsum praeterea constat ex Ordine IX. ¹, et in altero Cencii Camerarii ², quorum verba, brevitatis gratia, praetermittimus. Verumtamen Maph. Vegius Benedicti locum perperam est interpretatus, quodque ibidem scribitur de aliorum ordinatione, quam Pontifex obire solebat in *Altari S. Andreae*, de ipsa Pontificis consecratione, parum caute accepit. Loquens enim de *Confessione B. Petri*, haec ait ³. *Constituit B. Gregorius Papa, ut nullius ibi, etiam Archiepiscopi, aut Patriarchae consecratio fieret, nisi solius Rom. Pontificis, quem et voluit descendere ad Altare S. Andreae, ibidemque consecrari, demumque reverti ad Altare majus, ac tunc Missae sacrificium explere.* Quibus postremis verbis, in *Templo S. Andreae* praecipuam Pontificum consecrationis partem fieri declaravit, ut luculentius alibi etiam confirmat, ad hunc modum ⁴. *Altare S. Andreae a Papa Symmacho exstructum, magnae semper apud omnes devotionis, et in quo Summos Pontifices consecrari solitos fuisse, supra diximus.* Quis enim credat, utrobique Librarii mendum inesse, ac consecrare, pro consecrari, legendum esse? Nonne apertum est, ibidem de sola Pontificis Con-

¹ p. 92.² p. 212.³ lib. III. num. 86. p. 75.⁴ l. IV. n. 127.

secratione M. Vegium disserere, post quam *demum reverti ad Altare, ac tunc sacrificium explere solitum* fuisse narrat?

Hic autem Vegii error in aliorum etiam scripta manavit, qui in ejus sententiam incaute abierunt. Panvinius enim, etsi P. Mallii verba ¹, Benedicti Canonici loco plane gemina, semel ², atque iterum ³ recitaverit, describit ⁴ *Templum S. Andreae a Symmacho factum, magnae semper apud omnes devotionis, in quo Romanos Pontifices sollemnia quaedam in sua coronatione, vel consecratione celebrare consuevisse, infra ostendam*. Nil itaque mirum, Alpharanum, Vegii, et Panvini auctoritate deceptum, haec eadem, ut supra vidimus, pronunciasse.

Verum levi sane negotio, Vegii errorem deprehendere potuissent, quum sibi ipsi manifeste repugnaverit. Quaeso enim, si Pontificis consecratio in *Altari B. Petri* facienda erat, ut idem profitetur, qua de causa debebat *descendere ad Altare S. Andreae, ibidemque consecrari*? Numquid fortasse Rom. Pontifex partim in *Altari S. Andreae*, partim in *Confessione B. Petri* consecrandus erat? Sed quid argumentatione opus est, ubi res ipsa demonstrat, aliorum consecrationem a Pontifice peragi consuevisse in *Altari S. Andreae*, quod ipse tantum, ad *Confessionem B. Petri* consecrari posset? Audi P. Mallium, qui recte rem alibi declaravit ⁵. *Praecipit quoque, ut ad Altare majus B. Petri nulla consecratio fieret, nisi Romani Pontificis, et quando Dominus Pontifex facit consecrationem ibi, descendat ad S. Andream, et faciat ibi consecrationem, qua expleta, revertatur ad Altare majus, et expleat Missam*. Quapropter nemo non videt, duplicem esse causam,

¹ n. 54. p. 43. ² T. I. ms. c. xl. fol. 43.

³ T. I. ms. fol. 8.

⁴ T. I. c. xvii. p. 26.

⁵ T. VI. Iunii n. 54 p. 44.

cur Vegii, Panvinii, et Alphanani diligentiam, atque acumen desiderem, qui non solum alio loco, secus quam rei veritas postulabat, *Templum S. Andreae* statuerunt, sed etiam pro aliorum Episcoporum consecratione, ipsius Pontificis consecrationem ibidem celebratam fuisse, temere affirmarunt.

Ego vero facile Mallio concedam, *Gregorium I*, qui cautum voluit, ne quis praeter Pontificem, in *Altari Confessionis B. Petri* consecraretur, statuisse, ut aliorum consecratio, in *Altari S. Andreae* perageretur. Quum enim ipse esset ejusdem Apostoli studiosissimus, cujus nomen, praeter ejus Officium, ut supra diximus, quod in Cruce, ut Christus, ac Petrus, suffixus fuit, in sacrificii prece¹ addiderat, verisimile quidem videtur, sese hoc privilegio, ejus Templum distinguere, atque ornare voluisse, ut Antistites, Pontificis Maximi Fratres, in Aede Petri Fratris *Andreae* consecrarentur. Siquidem unusquisque statim agnoscit, eodem tempore, quo aliorum consecrationem in *Confessione B. Petri* fieri vetuit, alium locum assignari debuisse, ubi ceterae rite conficiendae essent.

Atque heic illud etiam subit animadvertere, non levis momenti, quod hac de causa *Templum rotundum S. Andreae*, non modo cum *Templo S. Michaelis Archangeli*, ubi *Ara D. Andreae* sacra, permutatum est, sed etiam cum *Altari*, quod *Pius II. SS. Andreae, et Gregorio*, uti superius docuimus², in Vat. Bas. excitavit. Postquam enim *Gregorii* Oratorium, super *Secretarii antiquissimi* ruinas, a *Gregorio IV.* exstructum, in honorem *B. M. a febris* deinde conversum, penitus defecisset, quia ut prisco-

¹ Gemma lib. I. c. 90. ad libera nos.

² pag. 702.

rum rituum in *Cella Gregoriana* habitorum memoria retineretur, eosdem in Piano Altari, ante Pontificum consecrationem obire solebant; iccirco, nulla temporum, ac caeremoniarum habita ratione, nonnulli Scriptores, ac Vgonius¹ praesertim, hujusmodi ritus eodem in loco peractos semper fuisse, sibi persuaserunt. Quod tamen de recentiorum, uti supra¹ demonstravimus, non item de superiorum temporum Pontificibus pronuntian- dum est. Quum enim Altare, quô translata fuerunt *Gregorii* Corpus, et *Andreae Caput*, a *Pio II.* primum erectum fuisse probaverimus, luce clarius est, Romanos Pontifices in vetustiori *Cella Gregoriana* descriptas in consecrationis die caeremonias obiisse. Sed hoc peccati genus de veterum institutis, ex recenti consuetudine, non ex re, atque ex veritate judicandi, ac antiquissimorum rituum morem ex aetatis suae more aestimandi, jamdiu docti viri animadverterunt, et castigarunt. *Gregorii* vero aetate, qui aliorum consecrationis ritum in Templo *D. Andreae* celebrandum instituit, unum dumtaxat Templum, in ejus honorem a *Symmacho* erectum pone *Bas. Vat.* exstabat, ac forte nondum constructus fuerat aditus, ubi deinde Altare ejusdem Apostoli honoribus dicatum fuit, quemque *Stephano II.* tribuendum esse puto. Verum quum etiam Templum rotundum, deinde sacrum *B. M. a febris* fuerit, omnisque erga Apostolum *Andream* cultus ad Altare a *Pio II.* in ipsa *Bas.* excitatum translatus sit, ipsas etiam Sacerdotum Ordinationes, et Episcoporum consecrationes, quae pridem in ejus Templo fieri solebant, in *novo Altari Piano* fieri deinde coeptum est, ut jam ex *Patritio* didicimus. Ita vero in *Altari*, quod *Pius*

¹ pag. 707.

condidit, tum quae in veteri *Cella Gregoriana*, circa caeremonias ante Pontificum consecrationem obeundas, tum quae in Templo *S. Andreae* circa aliorum consecrationes a Pontificibus peragendas, deinde exsequi, in communi consuetudine receptum est.

§. VI.

*De Brachio S. Andreae, et Capite S. Lucae
ibidem a Gregorio reconditis.*

Vnusquisque, opinor, videt, quum *Gregorius* sanxit, ut Romani Pontifices in *Confessione B. Petri*, ceteri vero in *Altari S. Andreae* consecrarentur, id nullo alio in loco fieri potuisse, quam in Templo, quod *Symmachus* extruxit, quod nempe unum ejus nomini dicatum pone Bas. Vat. Gregorii aevo fuisse diximus. Verum, etsi solum *Andreae* nomen, quod miro cultu *Gregorius* prosequeretur, satis fuisset, ut hoc Templum, tam insigni decoris nota, prae ceteris honestandum curaret, peculiaris etiam, graviorque causa accessit, cur id a SS. Pontifice praestitum fuisse opinemur. Nam, post Tiberii Aug. obitum, Levitae, et Apocrisarii munere functus, Laurentio Diacono, quem Pelagius novo Imperatori Mauritio novum Apocrisarium destinavit, locum cessit, ac Romam rediit, magnis muneribus ditatus, in primis reliquiis *S. Andreae Apostoli, et B. Lucae Evangelistae*, tempore Justiniani re-fossis, et honorificentiori loco reconditis in Bas. Apostolorum, quam idem Imperator pro dignitate instauraverat. Quae quidem sacra pignora ex loco, ubi ea Pelagius condiderat, anno secundo sui Principatus, in hoc idem Templum invexit, ibique relligiosisime collocavit.

Dabo hujus rei testem optimum, ac luculentissimum

ex Cod. Bibl. olim Altaempensis, deinde Othoboniana, ubi traditur¹. Quae Pelagius Papa intra Palatium suum in Eccl. S. Laurentii, Scholae Basilica reposuisse memoratur: ubi quieverunt usque ad ipsius Gregorii Pontificatum, qui anno praesulatus sui secundo, manum S. Andreae Ven. Abbati S. Andreae ad Clivum Scauri dedit, Brachium vero S. Lucae Evangelistae, atque Brachium S. Andreae Apostoli absque manu, praecepit deportari ad Ecclesiam B. Andreae juxta Basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, non longe a sepultura Julii Caesaris, quam idem Pontifex consecravit. Partem vero Brachii ejusdem S. Andreae dedit religioso Abbati S. Sabae², quae Ecclesia posita est prope Portam S. Pauli Apostoli, ubi quotidie mirabilia fieri dicuntur. Adde Petrum Mallium, qui scriptum reliquit³. Ibi est aliud Templum, quod fuit Vestarium Neronis, quod modo vocatur S. Andreas, in cujus Altare B. Gregorius, ut a Majoribus nostris accepimus, recondidit Brachium S. Andreae Apostoli, et B. Lucae Evangelistae, quae cum magna devotione detulit Constantinopoli. Mallio autem Vegius etiam adstipulatur hujusmodi verbis⁴. In Altari quoque B. Andreae repositum est Brachium ipsius Apostoli, nec non et B. Lucae Evangelistae, ex Constantinopoli utrumque delatum, ac a B. Gregorio postmodum etiam illuc translatum, quorum nunc alterum, Brachium scilicet S. Andreae, argento pulchre elaborato, inclusum honorifice a Canonicis conservatur. Pari modo et Caput S. Lucae, quod Brachio ejus, de quo diximus, junctum erat. Quibus apprime consonant, quae

1 in Tom. I. Annal. Bened. Mabillonii sec. VII. n. XX p. 166.

2 Seriem Abbatum Monasterii S. Sabae dabit doctissimus Steph. Ant. Morcellius in aureis Prolegomenis ad opera

S. Gregorii Agrigentini, e graeco in latinum sermonem conversa, ac prope diem edenda.

3 cap. II. p. 41.

4 lib. IV. n. 127.

tradidit Turrigius, ubi refert ¹ argentea theca inclusum, adservatum fuisse vetusta hujusmodi inscriptione. *Caput B. Lucae Evangelistae per D. Gregorium Papam primum.* Id ipsum confirmat auctoritate alterius MS. ubi inter alia, quae de postrema Urbis direptione recitantur, haec memoriae consignata fuisse narrat. *S. Lucae Evangelistae Calvaria a gloriosae memoriae D. Gregorio Papa primo, argento tecta, quae hodie cernitur, tunc retro chori Sacellum, ut antiquorum habet traditio, et constans viget fama, in Puteum, in tanto rerum anfractu, a minore Sacrista projicitur, absconsa ibi per dies breves, immanissimae praedae superfuit ingens thesaurus.* Sed disertius etiam ex altero MS. Archivi Basilicae rem comprobavit, ubi legitur. *Nunc Sacristia, Templum rotundum fuit a M. Constantino exstructum, in quo B. Gregorius Papa primus recondidit brachium S. Andreae Apostoli, et S. Lucae Evangelistae. Brachium S. Andreae donavit Xystus IV. Hospitali S. Spiritus, et habent Bullam donationis, et S. Lucae arbitror ab eodem Pontifice donatum fuisse Eccl. S. Mariae de Populo.* Hic autem, ut supra Mallium fecisse vidimus, perperam pro Capite S. Lucae, Brachium nominatur. Id tamen ex eo fortasse profluxit, quod ante Eccl. S. Iohannis ad fontes erat Oratorium S. Luciae, quod ¹, ut a suis majoribus accepisse tradidit Mallius ², consecravit B. Gregorius Papa, et ejus venerabile Brachium in eo recondidit, et parietes illius, ut apparet, musibo depinxit.

¹ p. 185.



² n. 114. p. 48.

De eodem situ Alpharanus haec habet. Appresso questo sepolcro (di Marcello I) nella facciata del muro nuovo, che divide la Chiesa da quella parte, che fu rinovata, fatto da Paulo III. seguita la Cappella de S. Lucia V. M. quale fu

trasferita dalle ruine della parte della Chiesa, ma nel transverso di d. Chiesa, et consecrato con le medesime reliquie el braccio di S. Lucia l'anno 1544. Questa Cappella anticamente era dotata de Cappellano, e sotto questo Altare è il braccio di S. Lucia, quale PP. Gregorio Primo haveva riposto.

Quae quidem hujusce translationis testimonia me adducunt, ut sibi potius adjungendam fidem existimem, quam Baronio ¹, qui tamen sua auctoritate, non ipsum modo Turrigium ², Panvinium ³, Lubinum ⁴, et Sausayum ⁵, in suam sententiam induxit, sed etiam Franciscum dal Pozzo ⁶, et Maurinos in vita Gregorii M. ubi haec habent ⁷. *Rediit magnis muneribus, nimirum SS. reliquiis ditatus, scilicet Brachio S. Andreae, et Capite S. Lucae, quae sacra pignora ab Imperatore impetrata, in suo Romano Monasterio collocavit, ut refert Baronius ex prior. pag. Vat. Cod. signati num. 153.* Ceterum, quanti momenti eorum testimonium putandum sit, contra tot vetustorum testium auctoritatem, quisque, opinor, intelliget. Alterum vero Apostoli *Brachium*, Abrincantianenses ejusdem studiosissimi, sese possidere gloriantur.

Certe, quod, praeter Mallium, et Vegium, per vetusta MSS. tradiderunt, longa, nec unquam intercisa derivatione, ad posteriora usque tempore profluxisse video. Nam Alpharanus etiam hoc idem luculenter declarat, ubi recensens reliquias omnes, quae in duodequadragesima tabernaculis, sive thecis in veteri Basilica servabantur, in undetrigesima exstare scripsit ⁸. *Caput S. Lucae Evangelistae totum optimo argento opertum cum hac inscriptione.*


 ΑΡΡΥΘ·ΒΑΡΤΙ·ΛΥΑΑ·ΑΥΝΓΑΛΙΣΤΑ·ΤΡΑΛΗΤΥ·ΔΑ·

 ΑΟΣΤΗΤΙΝΟΡΟΥ·ΡΟΜΑ·ΠΑΡ·ΒΕΤ·Μ·Σ·ΔΟΑΤΟ·ΡΑ·ΠΡ·ΠΡΙΜΜ·

¹ in not. ad Mart. Rom. die ix. Maii, et T. viI. arn. 586. n. 25.

² p. 26.

³ de viI. Eccl. p. 142.

⁴ p. 349.

⁵ pag. 474.

⁶ Istoria della Vita, e del Pontificato di S. Gregorio M. Roma 1758. 4. p. 19.

⁷ lib. I. p. 213.

⁸ ms. p. 43.

etiamsi S. Pontifex ex eadem Civitate transtulit, Brachia S. Lucae, et Andreae Apostolorum, quae summo cum honore collocaverat sub Altari S. Andreae antiquissimo, quod erat in ingressu Templi S. Petronillae Virginis hujus Sacros. Basilicae. Atque alio loco ¹ hunc eundem situm describens, inquit. In hujus igitur Vestibuli medio erat Altare S. Andreae a Symmacho erectum, sub quo dicti S. Andreae, et S. Lucae Brachia Gregorius M. Constantinopoli translata magna veneratione recondidit. Quae, licet ostendant, Alphanum cum ceteris, Altare S. Andreae, in Templi S. Petronillae Vestibulo collocasse, nihilominus ex iis etiam evincitur, S. Andreae Brachium, et Caput S. Lucae, in Altare a Symmacho constructum illata fuisse. Hoc autem a Janningo ², et Ciampinio ³ receptum fuisse vidimus, qui tamen in aditu Templi S. Petronillae, Altare a Symmacho exstructum cum Alphanano videre sibi visi sunt.

Equidem novi, Joh. Diaconum, et alterum Anonymum, Gregorii vitae scriptorem, a VV. CC. Henschenio, et Papebrochio ⁴ relatum, de hac sacrarum exsuviarum translatione, et collocatione silere. Quis tamen ignorat, multa ab aequalibus scriptoribus memoratu dignissima saepenumero silentio praetermitti, quae nihilominus ex iis etiam, de aliis disserentibus, aut ex posterioribus, vera esse discimus? Id profecto notius est, quam ut a me pluribus dici necesse sit. Ceterum, si exemplo res careret, illud in promptu esset Paulli Diaconi, qui ejusdem Gregorii vitam, ante Johannem conscripsit. Nihil in ea, ut eodem argumento usus recte animadvertit Fr. Ant. Zaccaria ⁵, offendas de Regina Theodelinda, rebus-

¹ c. x. num. 153. p. 59. ms.

² p. 156. ³ p. 86.

⁴ T. II. Martii p. 130.

⁵ in T. III. Bibl. Liturg. p. ccxvII.

que insignibus pro Ecclesia, hortatu Gregorii, ab ea gestis, quae tamen Paullus, deinde res Langobardorum scribere adgressus, sibi commemoranda esse duxit¹. Quapropter dubitandum minime est, Gregorium sacra haec pignora Constantinopoli Romam detulisse. Quod vero eadem in Templo hoc nostro collocaverit, res per se ipsa quodammodo vociferatur. Nam etsi Gregorius domum maternam, quam in *Monasterium* converterat, et Templum ab se conditum prope Basilicam *SS. Iohannis, et Paulli*, peculiari quodam studio prosequeretur, non tamen probabile est, eas Aedes antiquiori Basilicae, quam *Symmachus* ejusdem *S. Andreae* honori construxerat, praetulisse. Adde, quod quum nullae tunc temporis praestantissimi Apostoli in Vrbe exstarent exsuviae, neque augurari tum optimus Pontifex posset, ejus aliquando *Caput* ex Achaja in Urbem deferendum, verisimile admodum est, juxta Petri Fratris cineres, *Brachium S. Andreae*, potius quam alibi collocasse.

Verum his intercedit Vir doctissimus Petrus de Castro in epistola, quam Maurinis inscripsit², *super quibusdam parum consonis, praetermissis, atque improbabilibus in vita S. Gregorii M. ab ipsis adornata, et in T. IV. Operum in lucem edita repertis*, et sacra hujusmodi dona ab Imperatore *Gregorium* impetrare minime potuisse contendit. Itane ergo mihi persuadeam, historiam a tot, tantisque Scriptoribus, multo ante Maurinos, quodammodo per manus traditam, falsam plane, ac commentitiam esse judicandam?

Sed, ut rei veritas luculentius innotescat, locum epistolae xxx. libri iv. ipsius *Gregorii*, quo Petrus de Ca-

¹ lib. iv. c. 2.

² T. xvi. Oper. S. Greg. edit. Galliciol.

stro Maurinorum narrationem penitus everti censuit, paullo diligentius excutiamus. Itaque *Gregorius* ibidem scripsit Constantinae Augustae, vehementer mirari se, ac vix credere, a *Graecis Sanctorum ossa levare, quod in totius Occidentis partibus id omnino esset intolerabile, atque sacrilegum*; ac propterea dubitare, *utrum verum esset, quod levare veraciter ossa SS. dicerentur*. Quid ad haec? Num fortasse, quod collegit Petrus de Castro, Imperatoris donum ipsius *Gregorii* verbis excluditur? Minime omnium. Hinc enim, si quid video, nil aliud demum extundas, quam contra Graecorum morem fuisse *violentam, seu clandestinam*, cujus insimularentur, sacrarum exsuviarum adsportationem; nusquam vero Graecorum consuetudini, ac, quod multo magis est, Imperatorum potestati, atque arbitrio adversatum fuisse sacrarum huiusmodi donorum usum. Siquidem etsi Christophorus Broverus ¹, Christianus Lupus ², Iustus Fontaninus ³, Ludovicus Muratorius ⁴ pro certo habeant, ante Sec. viii. nefas fuisse de Sanctorum Corporibus quocumque modo ossa, ac particulas decerpere, tamen non modo in Oriente, pie peregrinantium gratia, sed etiam in Occidente, contra usuvenisse, innumeris exemplis evincunt Iohannes Ferrandus ⁵, et Honoratus a S. Maria ⁶. Quocirca potuit Imperator *Gregorium* M. sacro thesauro ditatum dimittere; potuit etiam *Gregorius* de ceteris, quae Graecis tribuebantur, adsportationibus dubitare. Itaque nulla profecto ratio est, cur amplius de *Gregoriana Andreae*,

¹ in Antiquitatibus Fuldensibus lib. ii. c. xii. Antuerpiae 1612.

² in notis ad Concil. T. ii. Bruxellis 1677.

³ de Corpore S. Augustini cap. xxxiv. Romae 1728.

⁴ Anecdotorum T. ii. Mediolani 1668.

⁵ Disquisitio reliquiarum lib. i. cap. xii. Lugduni 1647.

⁶ Animadversiones in regulas Critices. T. ii. diss. vi. Venetiis 1739.

et *Lucae* exsuviarum translatione dubitemus, quae probabilior etiam videbitur, consulentibus egregium sane locum Observationum in primam partem Dissertationis v. Quesnelli, quam *Ballerinii* ⁷ protulerunt, ubi de reliquiarum muneribus fuse, sciteque tractatur, ejusdemque *Gregorii* epistolae ad Constantinam Augustam verba explicantur.

§. VII.

*Num Monasterium SS. Andreae, et Luciae
in Vrbe extiterit?*

Andreas, et Lucas ² (verba sunt S. Gaudentii ³ Brixianensis post Philastrium Antistitis) *apud Patras, Achajae Civitatem consumati referuntur*. Atque ut cum Martyrologiis Vsuardi, Bellini, Maurolyci, et Romano notant Bollandiani ⁴, *Andreae, et Lucae* exsuviae, CP. simul auctae olim fuerunt. Nam Fasti Consulares, quos Viri docti *Idatianos* vocant, a Philippo Labbeo in lucem editi, ad annum cclvii. haec habent ⁵. *Constantio IX, et Iuliano Caes. II. His Cons. introierunt Cpolim reliquiae SS. Apostolorum Andreae, et Lucae, die v. Non. Mart.* Iisdem vero conjunctum fuisse Corpus S. Timothei Apostoli, Episcopi Ephesini ⁶, testem habemus locupletissimum Theo-

¹ T. II. Operum S. Leonis p. 906.

² Sim. Metaphrastae Commentar. rerum S. Apostoli Lucae in Franc. Combefisii auctario noviss. Bibl. PP. Graec. p. 513. Ejus vita apud Surium mens. Octobris pag. 289. Joh. Abrah. Koehleri S. Lucas Evangelista dissert. historica descriptus. Lipsiae 1698. 4. Iohannis Matth. Florini exercitatio historico-philologica de Luca Evangelista. cum ejusd. exercit. de Orig. et progressu linguae Graec. pag. 53.

Francof. 1707. 4. Iac. Jacobetti Oratio de S. Luca Evangelista. int. ejusd. Opuscula. Venet. 1738. 4.

³ Serm. dedic. Basilic. in Collect. veter. PP. Ecclesiae Brixianae. Brixiae 1748.

⁴ T. II. Maii p. 359.

⁵ in Biblioth. nova MSS. libr. Paris. 1657. fol. T. I., et in T. VI. Thes. Graev. p. 263.

⁶ V. Laur. Surii Vitas SS. Januar. p. 411. et in T. II. Ian. Boll. p. 567. Hier. Witsii exercitationem de vita Timothei. inter

phanem in Chronographia, cujus haec sunt verba ¹. *Iulii mensis die xxviii. iiii. feria, SS. Apostolorum Aedis facta est consecratio, et SS. reliquiarum Andreae, Lucae, et Timothei, qui S. Apostoli, depositio. Episcopus vero Menas una cum sanctis reliquiis progressus est, vehiculo aureo Imperatorio, gemmis exornato, vectus; tres autem SS. Apostolorum gestabat loculos supra genua, atque ita dedicationem celebravit. Insignis est etiam locus Paulli Diaconi, qui ait ². Facta sunt encoenia SS. Apostolorum apud CP., et recondita sunt Lipsana Andreae, Lucae, ac Timothei Apostolorum, et transit Menas Episcopus cum sanctis Lipsanis, sedens in Carruta aurea, Imperatoria, lapidibus insignita, tenens tres thecas SS. Apostolorum, et ita Encoenia celebravit. Atque hinc singularis causa exstitit, cur Apostoli, et Evangelistae cultum a vetustissimis usque temporibus fuisse conjunctum, nonnulli existimaverint. Iccirco Monasterium, quod Romae fuit sacrum SS. Andreae, et Luciae, cujus fuit Abbas Probus ille, qui condendi testamenti ³ facultatem impetravit, alii melius SS. Andreae, et Lucae dicatum fuisse existimarunt, quibus recens adjunxit calculus Gallicioli ⁴.*

Verum huic conjecturae nequaquam certe indulissent Viri eruditi, si notum iis fuisset Altare SS. Andreae, et Luciae, quod a Ioh. Diacono pone Bas. Lateranensem descriptum ⁵ fuisse vidimus, quodque suum fortasse nomen commodare facile potuit cuidam e multis Monaste-

ejus exerc. Acad. p. 316. Ultraj. 1694. 4.
et in T. II. Miscell. Sacr. pag. 557. Ioh.
Henr. a Seelen de Timotheo Confessore
ad I. Timoth. vi. 12. Lubecae 1733. 4.
Fabricium in Bibl. Graec. T. IX. pag. 150,
et in Cod. Apocrypho N. T.

¹ p. 192.

² Historiae miscellae lib. vii. cap. xxxv.

³ ad calc. Epist. Greg. et in ann. Bened.
T. I. lib. ix. num. 26. p. 229. et lib. x.
num. vi. pag. 243.

⁴ Tom. xvi. in vita S. Gregorii Maur.
pag. 10.

⁵ pag. 1184.

riis, quae Bas. Lateranensem circumstabant, quin omnia eorum nomina, ac loca adhuc comperta probe sint, atque explorata. Tunc enim multo confidentius, quam Mabilonius¹ fecit, qui Monasterium titulo tenus agnovit, situmque ignoravit, pro Coenobio S. *Andreae* ad Clivum Scauri minime accipiendum esse pronuntiassent, quod, nulla S. *Luciae*, aut S. *Lucae* mentione facta, cujus caput nunquam ibi collocatum fuit, tantummodo S. *Andreae* Monasterium, dum Gregorius vixit, nuncupatum fuit.

Sed non modo *Monasterium S. Andreae ad Clivum Scauri*, quandoque pro *Monasterio SS. Andreae, et Luciae*, aut *Lucae* acceptum, verum ejus etiam Ecclesia pro Templo, de quo nunc agimus, habita fuit, ut mox ostendemus.

§. VIII.

Vbi Gregorius in die Natali S. Andreae Homiliam recitavit?

Inter luculentissimas Homilias *Gregorii M.* unam habemus² in *Basilica B. Andreae*, in natali ejus die recitatam. Maurini ejus operum editores, quos Barph. Piazza³ sequutus est, adnotarunt⁴, *Homiliam habitam esse in Ecclesia Monasterii, quod Gregorius ipse condiderat*. Verum multa sunt, quae me adducunt, ut iis repugnem.

Etsi enim Ecclesiam, ibidem a *Gregorio* excitatam, ex Ordine XI. pateat⁵, *Basilicae* etiam titulo insignitam fuisse, nunquam tamen mihi persuadeam, hanc *Gregorium* ei, quam *Symmachus* extruxerat, quamque idem postea *Andreae Brachio* ab se nobilitatam, rursus consecraverat,⁶ antetulisse;

¹ loc. cit.

² Tom. I. Ousc. S. Gregor. num. 8.

p. 1451.

³ in Sanct. Rom. p. 415.

⁴ in admonitione T. I. p. 1432.

⁵ T. II. Mus. It. p. 151. ⁶ V. p.

maxime quum lege cautum esset, ne in *Monachorum* Ecclesiis, *Stationes* fierent, quae eorum quieti, ac solitudini officerent, ac ne ulla popularis conventus praeberetur occasio, vel mulierum fieret introitus, quia non expediret animabus eorum ¹. Nec est, ut unum, vel alterum exemplum moremur, quo hanc Iohannis Frontonis ² sententiam impugnare nituntur ³ Maurini. Quis enim putet, *Gregorium* veteris disciplinae servantissimum, quem eandem Stationum institutorem, teste Joh. Diacono, fuisse scimus, sanctissimam hanc legem in suo *Monasterio* violare voluisse? Cur autem hoc faceret, si amplius, insigniorque suppetebat locus, eidem Apostolo dicatus, quò in sollemni ejus festivitatis die confluentem Populum congregaret? Quare facile quisquam, opinor, intelliget, Maurinos Patres, ignoratione hujusce Basilicae, hoc loco a *Symmacho* erectae, et falsa *S. Andreae Brachii* collocationis persuasione, in hujusmodi opinionem descendisse.

Eadem de causa lapsus videtur Dom. Georgius ⁴, qui disserens de hac Homilia a *Gregorio* I. habita in *Basilica B. Andreae*, in die ejus natali, contra Maurinorum sententiam subjunxit, *Gregorium* eam recitasse in vetustissima *S. Andreae Basilica in Exquiliis*, in *Cata Barbara nuncupata*. Quibus aperte demonstravit, hanc alteram, prope Vaticanam Basilicam, aequè sibi prorsus incompertam fuisse.

Quae tamen sententia, cui subscribendum censuit etiam Gallicioli, in notula, ad vetustissimum *Capitu-*

¹ in Can. sum. xviii. quaest. i. V. Lit. Eccl. Pomp. Sarnelli in Tom. v. pag. 23. Onde avvenga, che le donne non entrino

nelle Chiese de' Certosini?

² in praenotatis ad Calend. Rom. §. 11. pag. 80. ³ Tom. I. p. 1451.

lare ¹ *Evangeliorum*, ubi die xxx. Novembris notatur *Natale S. Andreae*, multo minus a vero recedit, quam altera a Maurinis propugnata. Etsi enim in MS. magno Homiliario Bas. Lateranensis, inter Homilias *S. Gregorii* occurrat Homilia ejusdem habita in *Basilica S. Andreae Apostoli*, in *Evangelium*, ambulans Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos Fratres, sine ulla loci adjectione, tamen in Gregoriano Missae Antiphonario ², *Dominica I. de adventu Domini*, indicatur *Statio ad S. Andream Apostolum post Praesepe*. Quapropter facile suboriri poterat suspicio, eodem in loco, quo *Statio* celebrari consueverat, prima Adventus *Dominica*, item in eodem festo die *S. Andreae* supplicia *Stativa* fuisse, et *Gregorium* Homiliam habuisse. Idque CC. Viris eo probabilius videri potuit, quod ipsis praeluserat doctissimus Thomasius, qui in suo *Evangeliaro* ³ die xxx. Novembris, et *Stationem*, et *Homiliam ad Basilicam S. Andreae post Praesepe*, nimirum *prope S. M. Majorem*, a Simplicio Papa dedicatam retulerat; quae nescio, an eadem sit, quae memoratur in veteri charta anni mcccvi, ubi Card. Neapoleo Vrsinus *Protector*, *Corrector*, *Visitor*, ac *Defensor*, nuncupatur a Monialibus *S. Andreae ad Praesepe* ⁴, quae forte eadem fuerunt, ac *Moniales inclusae in S. Maria Majore* ⁵.

Verum, etsi ex Codice Antiphonario Carnutensis Ecclesiae, ceterisque Seculi xI. monumentis, quae adhuc supersunt, *Stationem I. Dom. Adventus* celebratam fuisse constet in *Bas. Liberiana*, tamen Thomasio non invitum concessero, in *Bas. a Simplicio erecta*, *Stationem* ea die

1 T. xI. Opp. S. Greg. p. 418.

2 T. xI. Opp. S. Greg. p. 2.

3 T. v. p. 508.

4 apud doctrina ne, an purpura emi-

nentissimum Card. Garampi, Memorie della B. Chiara di Rimini p. 347.

5 ibid. pag. 528. ex Divers. Cameral.

T. 187. p. 3. in Arch. Secr. Vat.

fieri, antiquiore aevo, consuevisse. Ejus enim sententiae aperte favet Gradalis Codicis Modoetiani, Basilicae Sancti Joh. Baptistae, testimonium, ubi diserte I. Dom. *Adventus Statio ad S. Andream Apostolum post Praesepe* designatur. Quid tamen inde nos urget, ut ibidem et alteram quoque *Stationem* peractam in *Natali B. Andrae*, et a *Gregorio M.* Homiliam recitatam fuisse opinemur?

Ego vero, quum Basilicam a *Symmacho* erectam haud amplius in *aditu* Templi *S. Petronillae*, sed in *Templo rotundo* nuper dejecto, agnoscendam demonstraverim, priori quidem jure arbitror, ibidem festo B. Apostoli die, Homiliam a *Gregorio* fuisse recitatam, ut vetustissimo huic Templo effusiolem Populi cultum, et venerationem conciliaret. Quae quidem sententia multo gravissima Benedicti Canonici auctoritate fulcitur, cujus verba huc revocanda sunt. *Mane canitur Missa super Altare B. Andrae in Vaticano, ut omnis Populus cum benedictione laetus recedat.* Quid, si praeterea cum Ruperto Tuitiensi¹ contenderem, neque in *Basilica post Praesepe*, neque in *Aede S. M. Majoris*, sed tantum in *Aede S. Andrae ad D. Petrum*, vel ipsam *Stationem I. Adventus Dom.* fuisse celebratam? Verum nostri hujusce Templi honoris augendi studium, nolo alterum veritatis, quod antiquius habere debeo, unquam praetergrediatur. Quapropter Rupertum hac in re salvere jubeam; pariterque nihil statuam de ceteris *Stationibus*, quae in *Sacramentario Gregoriano*² indicantur *ad S. Andream, in Dominica sancta, feria II. in Albas, et feria III.* Quum enim plura jam tum essent Tempora in *B. Andrae* honorem dicata, quaenam pro iis *Stationibus* certo fuerint assignata, difficile est investigare.

¹ lib. 111. de divm. Off. c. 11.

² T. x. edit. Venet. S. Greg. p. 166. 157. 158.

§. IX.

*Gasparis Alveri conjecturae , de Gregorii M. sepultura
in hoc Templo , expenduntur .*

Heic autem Gasparis Alveri locum afferendum esse arbitror , ex quo , quum primum eum offendi , non parum mihi negotii oblatum est . Scribit enim ¹ . *Penes quamplurimos Historicos dubium est , utrum hoc Templum (id est Sacrarium) quale demumcumque esset , illud idem fuerit Oratorium , ubi referunt a Gregorio IV. Gregorii M. Corpus depositum . Verum has , aliasque conjecturas praetermittens , quum rei nimium obscurae innixae sint , veritatem aliis eruendam relinquo .*

Haec prima , ut ajunt , fronte magnam mihi molestiam objecerunt . Multae enim caussae animo obversabantur , quae me ad amplectendam hujusmodi opinionem quodammodo invitabant , ac multae etiam erant , nec sane levioris momenti , quae contra ab ea retrahebant . Equidem non ignorabam , *Gregorii Corpus* , e *Vestibulo Secretarii antiquissimi* , a *Gregorio IV.* aliò translatum , ac vehementer probandum hujus consilium mihi videbatur , si in *S. Andreae Basilicam* , in qua ille *Brachium Constantinopoli delatum collocaverat* , ejus quoque *Corpus intulisset* , ut ei , quem vivus adeo impense coluerat , propior etiam mortuus esse posset , ac pari honore , eodem in Templo , cum Apostolo suo frueretur . Praeterea , quum animadverterem , *Pium II. Gregorii Corpus* e loco , quò a *Gregorio IV.* translatum fuerat , sub *Altari* , ubi *S. Andreae Caput* condidit , reposuisse , mihi valde arridebat illorum opinio , qui *Gregorium IV.* in

¹ Roma in ogni Stato T. II. p. 205.

aedibus a *Symmacho* D. *Andreae* positis, magni Decessoris sui *Gregorii* Corpus tumultatum conjecerant. Ea enim de caussa, qua ibidem a *Gregorio* IV. collocatum esset, itidem arguebam, a *Pio* II. translatum fuisse ad *Altare* S. *Andreae*; nimirum ne *Gregorii* Corpus unquam a dilectissimo *Andrea* divelleretur, ac ut etiam SS. Doctor, tam cari Capitis, quod ex insperato Romam advenerat, conspectu, ac jucundissima propinquitate quodammodo recrearetur, magnaque illius translationis pompae, ac triumpho interesset.

Verum, dum haec mecum animo cogitabam, statim agnovi, me amabili quodam errore lusum esse; atque iccirco hanc conjecturam abjiciendam, alteram, de qua dicere ingredior, amplectendam mihi esse intellexi. Nam praeterquamquod hujusmodi sententia nulla fulciebatur auctoritate, eam praeterea *Anastasio*, et *Joh. Diaconi* testimoniis, quae magni facienda, hac praesertim in re nullus dubito, aperte refragari videbam. Quum enim prior asserat, *Gregorium* IV. non longe ab eo loco, quo prius fuerat sepultum, in alium noviter constructum, *Gregorii* Corpus perduxisse, hoc satis manifeste declarat, quam longe a vero aberraverint, qui illud in Templum S. *Andreae* sacrum, illatum fuisse existimarunt, quod a *Vestibulo Secretarii antiquissimi*, ubi prius sepultum fuerat, longe distitum, et a *Symmacho*, non a *Gregorio* IV. constructum fuerat. Quum autem *Ioh. Diaconus* dicat, ante novellum *Secretarium*, constructis *apsidibus*, a *Gregorio* IV. collocatum, id omne dubium, quod prius animo insederat, plane eliminavit, quum nusquam S. *Andreae* Templum ante novellum *Secretarium* exstiterit. Quae, aliaque rationum momenta, me in eam sententiam compulerunt,

quam superius, quanta maxima fieri licuit perspicuitate, Lectoribus meis declaravi.

§. x.

Cetera ad Andreani Templi situm stabiliendum afferuntur.

Age jam, cetera, quae ad hoc Templum procul dubio spectasse scimus, videamus. Equidem sic existimo, praescriptum Innocentii III. ¹ de *Altaribus SS. Philippi, et Iacobi, SS. Simonis, et Iudae, B. Gregorii, et S. Andreae*, quae a quodam Sacerdote noctu per visum, semel, iterum, ac tertio, a B. Petro admonito polluta, profanataque dicebantur, ut iterum rite consecrarentur, ad hoc item Templum esse referendum. Nam si super tribus aliis Altaribus, quamvis inter praestantiora Vaticanae Basilicae numeranda essent, quum ea adire, eaque Romani Antistites, dum nocturnas in Vaticana Basilica Stationes celebrabant ², turis suffitu adolere consueverant, suspicio de eorum *exauguratione* oborta est, quid, quaeso, erit, quod B. *Andreae* Altaris celebritati possit officere, si hoc etiam *exauguratum* fuisse Innocentius dubitavit?

Sed Innocentii injecta mentio me monet, ut quid Bull. Vat. editores ad hoc praestantissimi Pontificis rescriptum adnotarunt, huc advocem. Ajunt enim ³, *hujusce Altaris laudes in unum veluti fascem colligentes, B. Andreae Apostoli Oratorium, quod Majores nostri Ecclesiam saepius appellarunt, ad australem veteris Bas. Vat. partem Papa Symmachus erexit. Plura SS. Corpora, quae constructis ibidem Altaribus, Sanctus ipse Pontifex supposuit, Romana Synodus in Consistorio B. Andreae Apostoli sub Bonifacio II.*

¹ in Reg. I. Bull. Innoc. III. sub an. I. et II. Ep. 354. et in T. I. Bull. Vat. p. 79.

² Benedictus Canonicus num. VIII. in Ord. XI.

³ T. I. p. 80.

Torrigo Grotte Vatic. p. 175.

coacta, egregia tandem summorum Antistitum dona, Sacellum, de quo agimus, maxime cohonestarunt. Adeas Anastas. Bibl. Rom. Can. tit. 18. p. 68. et Alph. litt. c. et num. 153. ad principem praelaudati Sacelli aram D. Andreae nomine dicatam, Sacrorum Ministrorum ordinationem Romanus Pontifex pro more habebat, quemadmodum antiqui rituales libri et Canon. noster Benedictus in Ord. cit. num. 12. perspicue testatur. Haec illi; qui quum nullum aliud, ut vidimus, S. Andreae Templum agnoverint, quam quod una cum ceteris statuerunt in aditu Templi S. Petronillae, haec de eodem situ intelligenda esse contendunt.

Quis autem ex hac ipsa laudum amplissimarum recensione statim non agnoscat, isthaec convenire illi minime posse? Quî enim fieri potuisset, ut in Templi aditu Synodi cogerentur, Ordinationes peragerentur, tot, ac tanta Pontificum donaria collocarentur? Praeterea, si alia etiam Symmachus Altaria, quibus plura SS. Corpora supposuit, praeter aram Cellae principem D. Andreae sacram construxit, an non id unum satis docet, a Symmacho non solum Altare B. Andreae constructum, sed ei Templum dicatum, ubi alia aliis Caelitibus Sanctis consecrata Altaria erigi potuerunt? Etenim, etsi ubi Altare ei sacram exstitisse non diffitemur, alia duo praeterea fuisse vidimus, non inde tamen recte argui potest, haec etiam fuisse ab eodem Symmacho exstructa. Siquidem vix, aut ne vix quidem credibile videtur, Pontificem Michaeli Principi Angelorum unum ex iis dedicasse, atque alterum S. Ursulae, nullum vero, Sancto cuiquam ex aliis, quorum Corpora ibidem supposuisse perhibetur. Heic enim neutiquam sermo esse videtur de SS. reliquiis, quae in Altarium dedicatione rite supponebantur, quum

diserte de *Symmacho* Mallius tradat ¹. *Fecit Basilicam Sancti Andreae Apostoli ad S. Petrum, in qua et Altaria statuit, ubi plura SS. Corpora, sicut carmina indicant, posuit.* Quis itaque malit difficultatibus tot, tantisque obrui, quam manum dare?

At vero, si quis forte ex me quaerat, cur quae de *Altari S. Andreae* occurrunt, ad Templum hoc nostrum referenda existimem, nil vero ad alterum *S. Andreae Altare*, quod ego quidem prope illud *S. Michaelis*, in Templi *S. Petronillae vestibulo* fuisse, ultro adsensus sum, reponam, hoc ea ipsa me fecisse de causa, quod Scriptores omnes, apud quos haec offendi, omnia eidem Altari, quod Templum a *Symmacho* erectum fuisse censebant, tribuisse animadverti. Quamobrem quum satis probaverim, nullo alio in loco, *Symmachum B. Andreae* Altare collocasse, quam ubi eidem Templum erexit, consequens inde est, ut jure a me omnia ad hoc tantummodo referantur.

§. XI.

Nicolai V. testimonium de Templo rotundo Andreae sacro.

Nec tamen haec mihi satis sunt. Aliud habeo in eadem rem argumentum, quod praeterire sit nefas, quodque in cumulum heic adjiciam. Nescio enim, an tale sit, ut in illo uno momenta omnia ad hanc opinionem penitus stabiliendam posita esse putem. Nicolaus V, anno MCDXLIX, ² *Ecclesiam Sancti Vincentii, nec non Canonatus omnes, et Praebendas, ac Capellanas dictae Ecclesiae S. Vincentii, et omnium annexorum, ac unitorum suorum, maxime Capellae S. Mariae della Freve in Ecclesia*

¹ n. 42. p. 41. T. VI. Junii Bolland.

² T. II. Bull. Vat. p. 131.

S. Andreae , juxta dictam Basilicam *sitae* , *suppressit in perpetuum* , *et extinxit* . Obscura hujusmodi verba , si de *Templo rotundo a Symmacho* erecto intelligenda essent , visa sunt Bull. Vat. editoribus , qui in Sole caligantes , ut habet vetus proverbium apud Quintilianum , quod suis oculis usurpabant , neququam viderunt . Sic enim scribunt . *Quippe in hocce Oratorio , Capella S. M. de Febris nunquam exstitit* . Ita sane . Quid igitur ? Num forte iccirco putandum erit , Nicolaum , ibidem Cellam *Andreae* sacram , ubi Pius II. Apostoli Caput collocavit , indigitasse ? At , praeterquamquod eandem ab ipso Pio erectam fuisse demonstravimus , etsi dandum esset , vel ejusdem Nicolai aev^o exstitisse , perspicuum tamen est , de eadem minime loquutum esse . Haec enim *Cella* , non *Ecclēsia* , *intra* , non *juxta* Basilicam exstabat , ac praeterea nunquam eodem B. V. effigiem translata fuisse , constat . Itaque , quum nullo alio in loco Bas. Vat. *Andream* tum cultum fuisse , exploratum sit , quid restat , nisi *Ecclēsiam S. Andreae* a Nicolao nominatam , *Templum rotundum* , deinde in *Sacrarium* conversum , ac D. N. M. *Febrifugiae* dicatum , fuisse fateamur ? At bene est . Iidem Bull. Vat. editores , quum Nicolai diplomatis verba nullo pacto detorqueri posse animadverterent , ad *Oratorium S. Andreae* , quod in *aditu Templi S. Petronillae* Symmachum condidisse putabant , *Sacellum vetustissimum* , quod *hodie pro Sacrarii commodo inservit* , ibidem indicari pronuntiant . Nolim tamen putes , id eos adnuisse , quod hoc loco *B. Andreae* Aedem a *Symmacho* exstructam agnovissent . Longe enim alia fuit ratio , cur in id judicii aegre descenderent , quam rei veritas postulabat . Siquidem continenter subjiciunt , *Nicolaum* , *Capellam S. M.*

de Febribus, in Eccl. S. Andreae positam affirmasse, quod in hoc eodem Sacello, Alpharano teste ¹, peculiaris exstabat Capella S. Andreae, et Iacobo Minori dicata. Verum in hoc est, cur minus praecipites, magisque lento, et circumspecto iudicio usos vellem, ne dum locum illustrare, et explanare studebant, densioribus tenebris offunderent. Nam si Templum a Nicolao V. indicatum, revera S. Andreae sacrum neutiquam fuisset, sed ibi tantum Cellam, suis honoribus dicatam habuisset, profecto nemo non videt, nimis ambigue, et obscure, Nicolaum loquutum esse. Quod quum nec deberet, et cavere facile posset, qualecumque alterius Caelitis Sancti nomen, cui dicatum esset, usurpans, quisnam eum nihilominus praestitisse, sibi persuadeat? Quin imo si Templum B. V. a Febribus sacrum fuisset, ut Bull. Vat. editores contendunt, omnem prorsus ambiguitatem e medio sustulisset, si Capellam S. M. della Freve in propria Eccl. sitam nominasset. Quare quin Nicolaum injuriose obscuritatis arguamus, quum disertè Cappellam ab Ecclesia distinxit, atque hanc Andreae, illam S. M. della Freve sacram fuisse dixit, germanus diplomatis sensus est, in Ecclesia S. Andreae, sitam fuisse Capellam S. M. de Febribus; quumque haec nusquam, iis etiam adnventibus, exstiterit in aditu Templi S. Petronillae, ubi S. Andreae Eccl. a Symmacho excitatam contendebant, hinc patet, veram S. Andreae Ecclesiam, fuisse Templum rotundum, ubi imago B. M. a febribus postea collocata fuit. Itaque Nicolao V, qui hoc idem Templum instaurandum curavit, ut infra declarabimus, verum etiam ejus nomen debemus; quod tamen conjiciendum est, ob magnam imaginis Deiparae celebritatem, quae in eo coli

¹ c. xiiI. num. 170.

coepta est , sensim de possessione dejectum fuisse , atque ex animis , et ex usurpatione hominum penitus evanuisse . Interea tanti Pontificis testimonio me tuebor , cujus quidem verba legisse , ac , quod multo magis est , interpretatos esse , et tamen nihilo plus ceteris praeclaros explanatores vidisse , mirari satis nequeo .

§. XII.

*Recentiorum Scriptorum testimonia , qui dejectum Sacrarium
B. Andreae Templum fuisse tradiderunt .*

Quum videam , etsi tot , tantisque argumentis res hactenus comprobata fuerit , nonnullos tamen adhuc esse posse , qui nondum satis acquiescant , eis ulterius etiam indulgendum reor . Quare in medium proferenda sunt alia hujusce veritatis testimonia , eaque locupletissima , quorum auctoritatem elevare , sanus nemo possit . Haec autem nobis copiose suppeditat Jac. Grimaldus , qui disserens de *S. Petronillae* Templo nostram sententiam egregie confirmat , his verbis ¹ . *Superest adhuc Templum aliud eidem simile , a dicto loco non multum distans , quod pridem S. Andreas , postea S. Maria de febris vocatum est , nunc ad Sacrarii usum inservit .* Quid igitur exoptari a me , a Lectoribus exspectari poterat luculentius , quod veram , primamque hujus Templi appellationem firmiter tueretur ? Atqui id Grimaldo persuasum adeo erat , ut quoties eadem de re ipsi sermo inciderit , toties idem nobis oggesserit . Nam alibi etiam *S. Andreae* sacrum idem Templum fuisse scripsit . En ejus verba ² . *Templo S. Petronillae olim demolito , superfuit alterum , dudum sub nomine S. Andreae ; nunc Sacrarium est , brevi et ipsum solo*

¹ in lib. Instr. p. 38.

² ibid.

aequandum. Sed iterum eandem denominationem aperte indicantem audiamus.

Bonifacius VIII. ad Orientalem Bas. Vat. plagam, ut Bosius tradidit ¹, inter Portam *Ravennianam*, ac *Iudicii*, nobile Oratorium, atque Altare in honorem Sancti *Bonifacii* IV, qui ibidem quiescebat, exstruxit, atque instrumento anno mcccI. confecto ², ac suis etiam literis ³, in proximo sua humari ossa praescripsit. Quod vivens tanto studio decreverat, id post ejus obitum religiose servatum est. Vix enim Anagnia in Urbem reversus, in Vaticanis Aedibus, ubi eatenus Pontificum nemo rebus humanis interesse desierat, vita functus est, ejus Corpus maxima nobilium Virorum frequentia, et Karolo II. Siciliae Rege funebrem pompam augente ⁴, ad *S. Petri* delatum, et in Sepulcro, quod sibi vivus poni curaverat, tumultatum fuit. Ibi autem jacuit ad annum mdcIII, quo anno, eodem, quo vita excesserat, die, id est v. Idus Octob. ⁵, integrum recensque repertum est. Deinde authenticum instrumentum illius inventionis a Jac. Grimaldo confectum fuit, quod non solum ad vindicandam ejus famam, improborum osorum ⁶ calumniis iniquissime laceratam, mirifice valuit, sed etiamnum ad asserendum exciso *Sacrario B. Andreae* nomen, quam maxime conducet. Hoc Joh. Rubeus ⁷, et Abrahamus Bzo-

¹ lib. I. cap. viII. pag. 263. V. insigne opus praestantissimi Card. Garampi inscriptum Sigillo della Garfagnana p. 92.

² T. I. Bull. Vat. pag. 237.

³ ibid. p. 239.

⁴ ex ms. Odorisii apud Turrigium p. 371. Eggs Pontificium doctum p. 510.

⁵ apud Raynal. ad an. 1303. et Argolum ad Panv. de Lud. Circens. lib. II. c. 111.

⁶ Caferrum in Synthem. Vetustatis p. 291.

Oldoinium in Atheneo Roman. pag. 114. et Eggs loc. cit.

⁶ Paulli Ernesti Jablonski Institut. hist. Crit. Crit. T. I. p. 295. La Croze Entretien sur divers sujets de histoire p. 389. Ludevwig Dica Jubilaeorum. Micrelij Syntagm. hist. Eccl. p. 542. aliorumque apud P. Bianchi della Podestà, e Polizia della Chiesa T. II. p. 448.

⁷ in Bonif. viII. p. 352.

vius¹ publici juris fecerunt, ac rursus ex ipso autographo V. C. Phil. Dionysius², cujus haec extrema sunt verba. *Acta sunt haec Romae in Basilica S. Petri, et in Sacrario ejusdem respectiue, Templo scilicet rotundo, quod antiquitus dicebatur S. Andreas.* Jam vero quis amplius dubitare poterit, hoc Templum S. *Andrae* dicatum a Symmacho fuisse, quum Grimaldus, rerum ad Bas. Vat. pertinentium peritissimus, id toties, tam diserte testetur? Et tamen quis credat, haec tam perspicua Grimaldi verba a Saussayo in opere *de gloria S. Andrae*³ relata, tanti apud eum non fuisse, ut hoc Templum aliis in ejus honorem in Vrbe erectis adnumeraret? Quod etiam Dionysio accidit, qui perinde in culpa est; eum quippe tam in *Bullario Vaticano*, quam in *Cryptis Vaticanis*, Sancti *Andrae* Templum in aditu Aedis S. *Petronillae* perpetuo agnovisse, apparet.

Verum adeo obesae naris non fuit eruditissimus Vignolius, quem Grimaldi auctoritate permotum, veterem de Templo S. *Andrae* opinionem reliquisse comperi. Ipse enim in Scholiis, quibus Librum Pontificalem egregie illustravit, pluries Ecclesiam S. *Andrae*, quae ad S. *Petrum* dicebatur, esse illius Basilicae *Sacrarium*, forma rotundum, declaravit. Siquidem in *Gregorii III.* vita haec adnotavit⁴. *S. Andrae Apostoli Ecclesia, quae ad S. Petrum dicitur, est hodie illius Basilicae Sacrarium, forma rotundum.* Et in *Stephani II.* vita, S. *Petronillae* Templum illustrans, ait⁵. *Aedificium erat rotundum, alteri B. Andrae, quod est hodie Basilicae Sacrarium, non dissimile.* Et in S. *Zacharia* itidem scribit⁶. *B. Andrae Ecclesia*

1 num. 303. an. 1303.

3 p. 657.

5 ibid. p. 124.

2 p. 128.

4 T. II. p. 52.

6 ibid. p. 84.

olim, quod hodie Bas. Vat. Sacrarium. Ac demum in *Stephano* III. ¹ de eadem loquens, rursus inquit. *Cujus Ecclesia, ubi nunc Basilicae Vaticanae Sacrarium*; quousque nimirum explanando pervenit, quum quae in Pontificali reliqua erant, eo immatura morte sublato, Joh. Franc. Baldinius, et Vgolinius illustrarint. Verum sententiam suam luculentius antea aperuerat ad vitam ipsius *Symmachi* ², ubi fontem, a quo rem hausit, ostendit hujusmodi verbis. *Aedificium est antiqui operis rotundum, ad Neronis Circum pertinens, hodie Bas. Vat. Sacrarium, ex Grimaldi sententia*; ac iterum in vita *Iohannis* VI ³, ubi ait. *Basilica S. Andreae, quae olim, ubi hodie Bas. Vat. Sacrarium.*

Quae dum a me inter legendum detecta sunt, non potui mihi non vehementer de Grimaldo, et Vignolio, quos nactus eram, egregiis opinionis meae adstipulatoribus, quodammodo gratulari. Quod enim supervacaneum mihi esse videram, ad alteram meam opinionem comprobendam de *origine Templi S. Petronillae*, quae sese satis per se ipsa tuebatur, Anastasii auctoritate, id mihi quam maxime necessarium esse noveram pro hac altera, peraeque incomperta, cunctisque ferme Scriptoribus adversa opinione, de *Templo rotundo S. Andreae*. Quumque heic non modo de ejus *origine*, sed etiam de *situ* disputandum esset, equidem sentiebam, id nunquam satis lectoribus meis persuasum iri, si meo unius iudicio, quod video, quam sit exiguum, subscribere debuissent, quin illud longe graviorum etiam scriptorum testimonio, praeter allata argumenta, niteretur.

Ceterum, ne quid dissimulem, de hac tamen re idem Vignolius in ejusdem *Symmachi* vita ⁴ quodammodo du-

¹ p. 156.

² T. I. p. 177.

³ ibid. p. 316.

⁴ T. I. p. 177.

bitasse mihi videtur. Nam ad Anastasii verba, *alios quoque gradus adscendentes ad B. Andream fecit*, haec subnectit. *Verum si quod olim Oratorium S. Andreae, hodie Sacrarium esset, ut Grimaldus censuit, descendentes potius dici oportuisset.* Minime tamen id mirum. Quum enim non satis accurate rem ipse perpenderit, sed obiter tantum Grimaldi nixus auctoritate, ea scripserit, non satis sibi constare debuit. Quod contra mihi accidit, cui Grimaldi auctoritas eo majoris ponderis videri debuit, quo plura ad idem, quod ipse adservit, confirmandum, fuere mihi praesto argumenta.

Verum, si cui praecipua, post Grimaldum, laus hujusce investigationis debetur, ea Floravanti Martinellio tribuenda est, qui de *Templis in Vrbe obsoletis* scribens, haec habet¹. *Templum S. Andreae in Vaticano, excitatum a Symmacho Papa anno 408. Eidem ambonem fecit Iohannes VI. Tectum, et cameram Gregorius III. Dona contulerunt Stephanus III, et IV, Adrianus I, Leo III, et IV, ut Bibliothecarius. Idem vocatur Oratorium ab eodem. Leo IV. fecit in Oratorio B. Andreae, quod S. Petri cohaeret Ecclesiae, vestem. Hodie esse Sacrarium Basilicae Vaticanae describit Grimaldus. Quae Martinellii verba referens Franciscus Blanchinius², locum hujusce Oratorii a Bibliothecario, Basilicae nomine liberaliter donari pronuntiat; quo facto ostendit, sese Oratorium in aditu Templi S. Petronillae cum aliis vidisse, ac tum Grimaldo, tum Martinellio, minus profecto tribuisse, quam erat tribuendum.*

Hos ego habui in re obscurissima duces, ac socios, atque horum me instituisse vestigiis glorior; etsi neque tamen Grimaldo, et Martinellio penitus adsenserim, qui

¹ p. 341.

² T. 11I. Anast. pag. 220.

mira inconstantia sibi repugnarunt. Alter enim ¹ repugnantem Vgonii sententiam sequutus est, ac Templum, ut supra ² vidimus, *Matri Deum* primitus dicatum fuisse censuit, alter vulgi opinione deceptus, *Marti* sacrum fuisse ³ scripsit. Sed hos relinquamus, nostramque de *Symmacho* hujus Templi auctore disputationem absolvamus.

§. XIII.

Scriptores de rebus gestis, et gloria posthuma Andreae Apostoli recensentur.

Nunc de Templi forma, atque *Altaribus* disserendum esset, ut de *Templo S. Petronillae* fecimus. Verum haec satis habebo paullo infra ostendere, postquam, praeter ea, quae supra attulimus de *Andreae cultu*, nonnulla heic de rebus ab eo gestis, et gloria posthuma addiderim.

Hoc autem loco mihi temperare non possum, quin vehementer doleam, VV. CC. qui immortale Bollandi opus, Christianae, ac Literariae Reip. longe utilissimum prosequerentur, diutius etiam illud, ac saltem usque ad integrum Novembrem mensem, propagare non licuisse. Plura enim certe, atque exquisita, uti jam Solerius ⁴ promiserat, ex amplissima, et inexhausta illa ecclesiasticae eruditionis, et antiquitatis penu, maximo cum emolumento, et *S. Andreae* gloriae accessione protulissent, quae nunc in tenebris pessimo publico delitescunt. Non enim tantum mihi tribuo, neque ea me esse praeditum eruditionis, et doctrinae facultate sentio, ut huic argumento graviter, ornateque pertractando, par esse possim.

¹ T. III. Anastas. p. 220.

² p. 1105.

³ p. 218.

⁴ in Martyrologio Vsuardi Monachi ia T. VI. Iunii Bolland.

Sed, ut saltem aliqua compensatione utantur ejusdem Apostoli studiosi, heic in eorum gratiam, aliorum Scriptorum censum adtexam, qui de ejus gestis, et gloria pertractarunt.

Salutarem Evangelii lucem attulit Scythis, Sogdianis, Saccis, et in augusta Civitate, quae cognominatur Magna, sive Sebastopolis, ubi est irruptio Apsari, et Phasis Fluvius. Nam ut de Scythia testatur Origenes¹, ita de eadem, ceterisque locis Sophronius², et Prologus Oecumenii. Theodoretus³ vero Graeciae, Epiro Nazianzenus⁴, Hieronymus⁵, aliique⁶ Achajae quoque eundem Apostolum Evangelium annunciassent tradiderunt.

Ejusdem Episcopatus, sive Cathedra, Patris Vrbe Achajae, die v. Februarii, celebratur in vetustis Martyrologiis MSS. Hieronymi, seu veteri Amano, MSS. Trevirensi, Bedae vulgato, Rabani, et Notkeri. De eadem praecipue consulendi sunt Bollandus⁷, et Florentinius⁸. Praeterea te adire velim, quid auctoritate Rom. Martyrologii ad diem xxxI. Oct. disputent Natalis Alexander⁹, Tillemontius¹⁰, Sandinius¹¹, ac prae ceteris Guilielmus Cuperus¹² de Byzantina Eccl., quam Nicephorus CP.¹³, Nicephorus Callistus¹⁴, Codinus¹⁵, aliique recentiores Graeci apud Lambecium¹⁶, a *S. Andrea* institutam esse tradunt.

1 apud Eusebium hist. Eccl. l. III. c. I.

2 in addit. ad Catal. VV. illustrium S. Hieronymi.

4 Orat. xxv. 5 in epist. CXLVIII.

6 V. Ioh. Alb. Fabricium in Salut. Luce Evangelii p. 98.

7 die v. Febr.

8 in Indiculo Apostolorum.

9 sec. I. c. VII.

10 T. I. Monum.

11 de S. Andrea §. III.

12 in in dissertatione praevia ad Histor. Chronologicam Patriarcharum Constantinopolitanorum, de exordio Cathedrae Constantinopolitanae, seu potius Byzantinae.

13 in Chronico.

14 hist. Eccl. lib. II. c. xxxix.

15 in Originib. CP.

16 T. III. p. 55. et 154.

Patris in Achaja crucifixus est, Aegaei Proconsulis jussu, ut ejus Acta, Sophronius, Chrysologus, Bernardus, aliique testantur. Achajae Presbyteri, et Diaconi, paullo post medietatem I. Seculi, scripserunt ad universas Ecclesias encyclicam epistolam de Apostoli Passione, cui praesentes interfuerant, anno Chr. LIX. Neronis Imp. VI. Hujusmodi acta ¹ non modo a Caveo ², aliisque Heterodoxis, sed etiam a Dupinio, Tillemontio, et Bailletto rejecta sunt. Sed iis praeter Gardeboscium, Eliam d' Amato ³, Honoratum a S. Maria, ex asse satisfacit Natalis Alexander ⁴. Quid vero nunc? quum haud ita pridem in Codice Anglicano, cui geminum est Venetum Bibl. S. Marci, graeco idiomate eadem acta reperta sunt, absque iis additionibus, quae Criticorum censuram offenderant. Haec autem e regione graeci autographi, italice versa, ac veteri latina interpretatione, propediem expectamus a P. Chiesa Presbytero Philippiano, singulari doctrina, ac pietate spectatissimo.

Plura dabunt de ejusdem Cruce, quam Massiliae adseruari tradunt Lipsius ⁵, Molanus ⁶, Combefisius ⁷, Chiffletius ⁸, et Sarnellius ⁹; ac de antro subterraneo ¹⁰ ad

¹ Passio S. Andreae Apost. per Presbyteros, et Diaconos Ecclesiarum Achajae scripta. in T. iv. Vit. SS. Laurent. Surii d. 30. Nov. pag. 653. Presbyterorum, et Diaconorum Achajae de Martyrio S. Andreae Epistt Encyclica, graece nunc primum edita, latine versa, notisque, et dissertationibus illustrata a Kar. Christ. Voog. Lipsiae 1741, et 1749. 8.

² Caveus in Antiq. Apostolic. p. 480.

³ Riflessi su gli Atti di S. Andrea Apostolo scritti da' Chiesastici dell'Achaja, e su la Pistola a Barnaba attribuita. fra le sue Lett. erudite. Part. I. 139.

Genua 1714.

⁴ hist. Eccl. sec. I. c. xli. art. 10.

⁵ de Cruce lib. I. c. vii.

⁶ lib. iiii. hist. imaginum c. LVII.

⁷ in not. ad Hyppolitum de xli. Apost.

⁸ in Vesontione Part. I. cap. XLVIII.

Crux Andream Victrix, seu de Cruce

Burgundica caelitus in Ariensi obsidione

visa Commentarius. Antwerp. 1642. 12.

⁹ Della Croce del glorioso Apostolo

S. Andrea. in T. x. Lit. Eccl. p. 4.

¹⁰ in ejus inscriptionibus a Car. Morono

editis 1654. pag. 81, et apud Georg.

Fabricium in ejus Roma. c. xli. p. 113.

ejus Aedem Patris in Achaja, Cyriacus Anconitanus.

Si vero, quidquid pertinet ad ejus gesta, a SS. Patribus in disertissimis Homiliis persaepe laudata, et ab Hist. Ecclesiasticae Scriptoribus enarrata, rescire, et de ejus gloria posthuma edoceri cupis, consule dissertationes Godofridi Hanchii ¹, Joh. Floriani Hammer Schmid ², Christophori Lemmii ³, ac praesertim spissimum opus Andreae Saussai ⁴. Adisis etiam Joh. Christophorum Olearium ⁵, Joh. Mich. Weinrichium ⁶, David. Kohelerum ⁷, Kar. Schlaegerum ⁸, et Kar. Christophorum Voog ⁹ de numis in ejus honorem percussis, praeter Scriptores Historiae Ord. Militarium, et Equestrium ¹⁰, ubi plura de Ordinibus ejus nomine decoratis.

Claudat hanc scriptorum seriem *Ioh. Geor. Lotteri epistola ad Andr. Balthas. de Schnurbein de Viris aliquot Andreae titulo, ac praenomine condecoratis, qui vel juris, vel civilis doctrinae, historiceve studii gloria illustre nomen adepti sunt* ¹¹.

Haec autem, magnam partem, e Franc. Antonii Zacariae eruditionis fonte ne, an flumine ¹² derivata profiteor, ut illi gratiam, ac memorem animum rependant *Andreae cultus studiosi*.

¹ De Sancto Andrea Apostolo. Lipsiae 1698. 4.

² Cruciger Apostolicus, idest S. Andreas Apost. in vita, morte, martyrio, miraculis, encomiis descriptus. Pragae 1699. 4.

³ Memoria Andreae Apost.

⁴ Andreas Frater Simonis Petri, seu de gloria S. Andreae Apostol. libri XII. Lutet. 1646. fol.

⁵ in Prodrogo Hagiologiae Numismaticeae. Arnostadii 1709.

⁶ epistola de Numis Sanctorum imagines exhibentibus. Erfordii 1709.

⁷ in Deliciis Numariis.

⁸ Historia Numorum SS. imagines exhibentium.

⁹ Epistola de S. Andrea Martyre in numis. Dresdae 1749. 4.

¹⁰ Ordine del Tosone instituito nel 1429. a' 10. di Gennajo da Filippo il Buono, Duca di Borgogna, e Conte di Fiandra Le Mire Orig. Ord. Equestr. Ashmol de l'Ordre de la Giarratiere. Macer in Hierol. in Andreas.

¹¹ Halae Venedor. 1724. 4.

¹² in Supplemento ad Nat. Alexandri histor. Eccl. Venet. 1777. fol. pag. xxxiv. 2. 13. 54.

CAPUT III.

De Templo S. Andreae in Sacrarium converso.

Quum vetustissima Templi Vaticani moles a *Constantino* excitata, haud satis firmo *Caii*, et *Neronis* Circi fundamento innixa, senioque consumpta, diutius stare non posset, proximamque ruinam minitaretur, *Nicolaus V.* omnium primus, ut *Baronius*¹, *Manettus*², aliique tradiderunt, novam amplioribus spatiis a fundamentis erigere meditatus est. Ac propterea manu operi admota, novam, amplissimamque absidam musivi operis, *Bernardo Rossellinio* Architecto, inchoavit, magnisque sumptibus ad tres cubitos supra pavementum, mira celeritate perduxit aedificium. Sed mors³ coeptum opus abruptit, quod *Paullus II.* prosequutus est, ut tradidit *Mich. Canesius*, ubi scripsit⁴. *Aggressus est absidem, quam Tribunam vocant, juxta Aedem Petri Apostoli, a Nicolao V. magnificentissime inchoatam, ipse suis expensis perficere, in quam supra v. millia aureorum dedit.*

Verum ut *Nicolaus* de novo aedificando Templo cogitavit, quum solo aequandum quoque esset *Secretarium*, quod tunc temporis Basilicae inserviebat, idem in alium locum transferendum cognovit, ante quam novum Basilicae majestate dignum ex integro aedificaretur, quod jam delineaverat, uti *Manettus*⁵ testatur, *opportune a parte superiore, amplum, et ingens, pulcrum, ac devotum.*

¹ 2d an. 1395. n. vI.

² in vita p. 934.

³ apud Condiv. in vita Bonar. p. 16.

⁴ in ejus vita 2pud Muratorium T. 11I.

hyst. rer. Ital. P. 11I. Rod. Venutum in

Numismat. Praestantior. Rom. Pontificum Quirinum in Pauli II. p. 29. V. Ang. M. vita. Rom. 1740. 4.

⁵ in vita p. 934. T. 11I. Script. Rerum Italic. Muratorii.

§. I.

De primo Templi Instauratore .

Dum Pontifex in his esset , vetus Templum B. *Andreae* , ubi jam exstabat *Capella S. M. de Febris* dicata , restaurandum curavit , *animo fortasse* , ut cum Martinetto ¹ dicerem , nisi allata Manetti verba repugnarent , *in Sacrarium usum redigendi , etiamsi hoc non usu venerit , quam Julii II. aetate , posteaquam suo jussu veteris Basilicae Sacrarium dejectum fuit .* Quod etsi frustra quaesierim apud Platinam , et Jannottum Manettum , ceterosque ad unum omnes , qui tanti Pontificis vitam literis mandarunt , non tamen dubitandum est , quin hoc *Nicolaus* praestiterit , ceterisque ejus operibus , quae *Bonaventura de Rubeis* , et *Dom. Georgius* peculiari diligentia enumerarunt , adjiciendum sit.

Habeo hujus rei testes locupletissimas , claves B. *Petri* decussatas , quas ipsismet oculis nos usurpavimus , quaeque in absidis centro exstabant cum siglis hujusmodi V. QQ. N. hoc est , NICOLAI PAPAE V. Nunquam enim aliter uti voluit , ex antiquissimo Romanae Ecclesiae more ² , etsi jam insignia gentilitia usurpare *Adrianus V.* coepisset , quae postea *Clemens VI.* in ipsis diplomatibus insculpsit .

Praeterea hoc idem Templum a *Nicolao V.* restauratum fuisse , aperte tradit Panvinius , qui ait ³ . *Sacrarium S. Petri , quod antiquitus S. M. de Febre vocabatur , est octangulum , testudineum , cum tecto lateritio , pavimen-*

¹ Pregj della Bas. Vat. l. 11. p. 219.

² Raynaudus. de Clavibus symbolo scientiae , potentiae , jurisdictionis in corona aurea Pontif. Praenotione iv. Bonannius. in Numism. Pontif. T. I. p. 434. Bollandiani de Clavi S. Petri T. v. Junii p. 453. Sarnellius . dell'origine dell'armi genti-

lizie , coll'occasione di quelle de'Sommi Pontefici . T. 1v. delle lett. Eccl. p. 112. Fioravanti . Denar. Pontif. p. 45. Ciampinius . de S. Aed. c. 1v. sect. 11. pag. 42. Garampius . illustraz. d'un antico sigillo della Garfagnana p. 107, et Dionysius. p. 16. ³ T. 11. ms. p. 140.

tum marmoreum, multis Defunctorum tabulis refertum habet, totum a Nicolao V. restitutum. Id ipsum praeter Ciacconium ¹, Turrigius ² confirmat, qui Templum an. MCCCCLV. instauratum fuisse docet.

§. 11.

De Templis rotundis a Nicolao V. instauratis.

Ceterum, vel si omnia deessent monumenta, quae Nicolaum V. D. Andreae Templum reparasse testarentur, id nobis externa ejus structura quodammodo suasisset. Etsi enim LX. Urbis Ecclesias, in quibus ex antiquissimo, sanctissimoque instituto *Supplicia Stativa* hodieque haberi solent, aut renovaverit, aut a solo restituerit, singulari tamen studio fere omnes restaurandas Nicolaum curasse, quae figuram exhibent orbicularem, compertum est.

Siquidem in Caelimontio Templum rotundum Bacchi a Rufo, et Victore memoratum, juxta nonnullos *Fauni Capripedis* ex Anonymo apud Montfauconium ³, Andrea Fulvio ⁴, et Joh. Henr. a Pflaumern ⁵, *Claudii* ex Vgonio ⁶, et Donato ⁷, seu, uti placuit Nardinio ⁸, *Thermarum Calidarium*, quas in regione II. Sextus Rufus fuisse tradidit, a Simplicio P. ⁹ D. Stephano dedicatum, et ab Hadriano I. ¹⁰ instauratum, contracto ambitu, et tecto avulso, ut Blondus testatur, rursus restituit ¹¹. A fundamentis vero, ut ait Platina ¹², erexit Sancti Theodori Templum inter Palatinum, et Capitolinum

¹ T. II. in vita Callixti II. col. 983.

² pag. 98.

³ in Diar. Ital. p. 150.

⁴ lib. III. cap. III.

⁵ pag. 229.

⁶ p. 289.

⁷ p. 324.

⁸ lib. III. cap. VI.

⁹ T. I. Anast. p. 160.

¹⁰ apud Martinell. p. 309. et Nardinus loc. cit.

¹¹ circa finem vitae apud Platinam.

¹² ibidem.

Montem, in plano situm; Pantheon quoque in medio Urbis positum, vetustissimum M. Agrippae opus, plumbeo tecto restituit.

Quae quidem Tempa, ea tempestate, erant omnia ejusmodi, quae formam rotundam haberent. Alia enim quattuor, SS. Cosmae, et Damiani in via sacra ¹, S. Petronillae, S. Constantiae, seu Constantinae, ut cum aliis mavult Alexander Leslaeus ², propter Basilicam S. Agnetis de via Nomentana, et S. Stephani Curruum, seu B. V. de Sole prope Scholam Graecam, quod prius alii Solis, aut Lunae Fanum, alii Deae Volupiae, aut Vestae, quidam Matutae, seu verius Herculi ³, aut Portumno sacrum fuisse contendunt, tum mole sua stabant, nec quidquam restaurandum exhibebant. Nondum vero unum ex aquarum Castellis, quae ad Thermas Diocletiani usui erant, seu potius Sphaeristeriis, aut Calidariis, ut nonnulli ⁴ volunt, in Ecclesiae usum conversum, ac D. Bernardo dicatum fuerat, quod anno tantum MDCVII. fieri curavit Catherina Sfortia, S. Florae Comitissa. Quod nequeo mihi temperare, quin cum Montfauconio ⁵ exoptem, ut pariter aliquando tandem fiat de Templo venustissimo Minervae Medicae in regione v, sive Exquilina, quod Pantheon a Rufo vocatur, proximumque est Vrso Pileato ad S. Vivianae, seu ad Capud Tauri, juxta Palatium Liciniani, ad formam Claudii, uti ex Vivianae actis diserte habetur in vetustissimo Codice Vat. 5696, qui fuerat Canoniorum S. M. ad Martyres. Hujus enim

¹ Vide Ciampin. Vet. Men. cap. viI. et Marangonium p. 257.

² in epist. ap. Gasp. Odericum in diss. 1I. p. 39. Nardin. lib. iv. c. iv. Serlius lib. 11I. c. 20. Marangon. p. 299.

³ Montfaucon. in Diar. It. p. 168. Fabrettus

apud Mabill. T. I. Mus. Ital. p. 188. Alex. Donatus p. 104. Io. Henr. a Pflaumern p. 221.

⁴ Ligorius, Laurus, et Nardinius l. iv. cap. viI. Frid. Lebbegott Pittschelius de Sphaeristerio. Lipsiae 1740.

⁵ in Diar. Ital. p. 121.

adhuc superest fornix elegantissimus , qui tamen misere in ruinam vergit , et nisi suppetias ferant , brevi omnino periturus est .

§. III.

*Quis Templum rotundum S. Andreae
in Sacrarium convertit ?*

Jam vero ad *Nicolaum V.* redeamus . Is morte sublatus , neque maxima , quae mente volvebat , consilia de novo Templo Vaticano extruendo , deque *Sacrario* excitando , ad exitum potuit deducere , neque ingentem illum *Obeliscum* , qui prope *S. Andreae* Templum inglorius , humili in loco , terraque obrutus paene delitescebat , in *Areae* Vaticanae meditullio , ante *Vestibulum* , ac Templi frontem collocare , ut eum statuuisse docet *Manettus* , in haec verba . *Pro IV. pusillis , aeneisque Leonibus , quibus Colossus ipse nunc pro basibus , ac sustentaculis paullo superficiei sua altioribus utitur , quatuor magnas totidem Evangelistarum Statuas ex solido , liquefactoque aere in staturam humanam fabrefacte conflatas , in superficiei soli distantibus inter se proportionibus , secundum Colossi latitudinem ponebat . In summitate vero ipsius Colossi , alteram Iesu Christi Salvatoris Nostri statuam , dextera ejus manu auream Crucem bajulantis , ex aere confectam accomodabat . Nihilominus fatendum est , verissime Maphaeum Vegium de Nicolao praedicasse¹ , summam ejus in aedificando prae omnibus Pontificibus laudem fuisse . Aliis enim Aedificiis Urbem mirum in modum exornavit , et si ejus opera profligari potuissent , nulli veterum Imperatorum magnificentiae cessura videbantur . Sed tamen summis etiam laudibus ob id unum efferen-*

¹ sub initio I. IV. ejus vitae .

us esset, quod intentatam novae Basilicae Vat. structuram, primus omnium aggressus, Successoribus exemplo fuerit, atque incitamento, ut de nova Templi Mole construenda, cujus futurae magnitudinis rudimenta quaedam in eo posuisse videtur, tandem aliquando deliberarent.

Quod vero anno MDLXXXVI. praestitum a Xysto V. feliciter fuit de *Obelisci translatione*¹, a *Paullo IV*, aut, quod serissimum esset, a *Pio V.* de *Sacrario* confectum fuisse, conjicio. Narrat enim M. Antonius Ciappi de Gregorio XIII.² *Da Paolo IV. fu eletto, et creato Vescovo di Veste, et celebrò la sua prima Messa nella Sacristia di S. Pietro, nel giorno di S. Gregorio suo Avvocato.* Nulla profecto, quantum equidem sciam, superest memoria, in *Secretariis majori*, aut *minori* supra descriptis, Altaria exstitisse. Quare nonnemo suspicari posset, Ciappium de Templo rotundo loquutum esse, ubi certe plura exstabant Altaria. Praeterea, ut infra demonstrabimus, usque sub *Paulli IV.* Pontificatu, constat imaginem *B. V. a Febris* in Oratorio Gregoriano cultam fuisse. Ipsius autem translationem contigisse narrat Alpha-

1 *Praeter ea, quae supra attulimus.* p. 1119. 1120. V. *Carmina et Epigr. Varior.* in *Obeliscum a Sixto V. in Foro Vat. erectum.* Romae 1587. 4. Mich. *Mercati degli Obelischì di Roma.* 1589. 4. *Considerazioni sopra gli avvertimenti di Lat. Latini intorno ad alcune cose scritte nel libro degli Obelischì.* Roma 1590. 4. Gio. Iodati *Dialogo sopra l' Obelisco innalzato in Vaticano da Sixto V.* Roma 1586. 4. *Dialogo di Cosimo Gaci, nel quale. . . si parla delle valorose operazioni di Sixto V. P. O. M. ed in particolare del trasportamento dell' Obelisco del Vaticano, con alcune allegorie al*

componimento di quella gran macchina accomodate. Roma 1586. 4. Fontana *trasportazione dell' Obelisco Vat. e sua erezione.* nel l. 111. della descrizione del Tempio Vat. p. 107. Della *trasportazione dell' Obelisco Vatic. e delle fabbriche di Sixto V. da esso fatte.* Roma 1590. fol. e in Nspoli 1604. fol. e co' Castelli, e Ponti di Nicola Zabaglia pubblicati da Lelio Cosatti. Roma 1743. fol. *Milizia Vite de' più celebri Architetti.* Roma 1768. p. 269. e in Parma 1781. 2 *Compendio delle gloriose attioni, e santa vita di Gregorio XIII.* Roma 1591, 1596, 1606. 4. p. 3.

ranus, quum Templum rotundum, prima ejus Sedes, in *Sacrarii* usum destinatum fuit. Verum monumentorum defectu, quae frustra hactenus conquisivi, certo statui nequit, Templum, de quo agimus, sub *Paullo IV. Sacrarii* vicem praebuisse; quod tamen fidenter affirmare licet de *Pii V.* aetate.

Nam Bernardus Gamuccius, qui librum suum edidit anno MDLXV, ubi refert Ectypon Obelisci Templo rotundo continentis, diserte ait. ¹ *Per la lettera A, che è nel suo disegno, si dà a conoscere la Porta del Campo Santo, che vi è di rincontro, e per la lettera B. la nuova Sacristia di S. Pietro.* Jam tum igitur Templum D. N. M. *Febrifugiae* in *Sacrarii* usum venisse constat. Hoc idem luculenter confirmat Onuphrius Panvinius, quem an. MDLXIX. acerba morte praereptum Resp. Literaria nunquam satis elugebit. Nam in opere de VII. Ecclesiis, quod se *Pii V. P. M. incredibili religione incitatum adornasse* fatetur, quodque tamen, nonnisi post ejus obitum, nimirum an. MDLXX. a M. Antonio Lanfranchi latine, et italice editum fuisse constat, scriptum reliquit ². *Templum S. M. de Febre, in quo nunc Canonorum Sacrarium est.* Atque id ipsum pluries testatur in opere mss. de *rebus memorabilibus Bas. Vat.* Ast aliis posthabitis, quae alibi recitavimus, haec seligam, exempli caussa ³. *Templum antiquum S. M. de Febre, nunc pro Sacrario in usu est, Canonis Vaticanis, in quo omnia Basilicae ornamenta, aurea, et argentea, et serica, vestes sacrae, reliquiae, et libri servantur.* Id ipsum Tib. Alpharanus, qui die XVII. Octobris, anni MDLXVII, Clericus Beneficiarius renuncia-

¹ Le antichità della Città di Roma. Venezia 1565. 4. p. 196. e nella II. edit. di Thomaso Porcacchi. Ven. 1588. 8. p. 181.

² Le sette Chiese principali di Roma. ivi 1570. 8. p. 1, et 47.

³ T. III. ms. c. XIX.

tus fuit , haud una vice testatur in explanatione Tabulae Ichnographicae veteris Basilicae , ab se in lucem editae anno MDLXXXIX ; etsi ibidem , nescio qua de caussa , nunquam Templum S. M. a Febribus , *Sacrarium* appellaverit . Quid igitur huc accersam Attilii Serrani testimonium , qui anno MDLXXV. librum suum evulgavit , ubi docet ¹ ? *Adeundum est Ecclesiae Sacrarium , in quo multae SS. reliquiae servantur , inter quas eminet sanctum , ac omni honore dignum D. Ioh. Chrysostomi Corpus in Sacrario sacrae hujus Bas. sub Altare SS. Lamberti , et Servatii jacet .* Post haec , multo minus ex me quaeras Pompeji Vgonii auctoritatem , qui opus suum typis consignavit anno MDLXXXVIII , ubi ² Templum S. M. a febribus , Bas. *Sacrarium* fuisse declarat .

Ceterum animadvertendum est , etsi pro certo habendum sit , usque a Pii V. Pontificatu , Templum , de quo scribimus , *Sacrarii* vicem praebuisse , nondum tamen *Sacrarium majus* deletum fuisse . Sed quum jam statuta esset veteris Bas. partis , ubi situm erat , dejectio , putandum est , multo ante , quam re ipsa deleteretur , portiorem sacrae suppellectilis partem ex eo amotam , ac in Templum rotundum translata , quod iccirco usque a Pii V. Principatu *Sacrarium* vulgo appellaretur . Non enim audiendi sunt ii , qui vetus *Sacrarium* , Iulii II. jussu , dejectum fuisse pronuntiant . Hos enim aperte refellit Alpharani testimonium , tum in latina descriptione locorum , *novello* , ac *majori* veteris Basilicae *Secretario* adjacentium , tum in altera idiomate vernaculo exarata , cujus verba etsi superius ³ a nobis allata , interest nunc

¹ de VII. Urbis Eccles. Romae 1575. 8. p. 27. 28.

² Historia delle Stationi di Roma . ivi 1588. 8. p. 101. ³ p. 199.

rursus apponere . Doppo del Sepolcro , inquit ¹, di Pio IV. appresso il detto fu trasferito nella ruina della Chiesa il sepolcro de Papa Paulo II. bellissimo de marmore elegantissimo Questa sepoltura di PP. Paulo II. stava appresso la Porta della Sacristia della Chiesa ; a manó manca della Porta di detta Sacristia , era quella de Eugenio PP. quarto col suo Altare , dall' altra parte di Sacristia a mano destra era quella di Nicolò V. et non molto piú oltre stava l' Altare di S. Biasio verso la Cappella di Papa Xisto , quali furono tutti disjecti nel rinovar la Chiesa , et trasportare altri in un loco , et altri in altro . La pietra , che era a piede a questo sepolcro , sotto alla quale stava il corpo di detto Paolo II. l'anno del Sig. 1574. quando . . . fu restaurato il pavimento della Chiesa , fu posta nella Nave della Porta Giudicii , le sue ossa furono trasportati appresso l'Altare maggiore al loco comune , ubi dicitur Poliandrum . Ac paullo infra ². Nel 1573. si incominciò a demolire , e rimuovere l'Altare detto di S. M. de Conventu , ed il Deposito d'Innocenzo VIII , e di Francesco Cibo ec. Nel 1574. fu trasferito nella ruina della Chiesa il sepolcro di Paolo II, di Nicolò V. l'Altare di S. Marco , cioè dalla parte meridionale a destra , a sinistra della Sagrestia alla parte Boreale , circa il sito , dov'è presentemente l'Altare di S. Sebastiano . A di primo di Settembre l'anno 1574. fu trasferito nella Chiesa nova un sepolcro elegantissimo deaurato appresso l'Altar Maggiore (nimirum ad dextrum pilae maximo tholo suppositae loculamentum , ut alibi ³ tradit idem Alpharanus , ubi nunc Veronicae simulacrum exstat , unde rursus Urbani VIII. jussu ⁴, die xv. Jan. an. MDCXXVII. amotum , ad dexterum latus majoris absidis collocatum

¹ lett. G . num. 5. p. 8. ms.

² ibid. n. 5. p. II.

³ ms. p. 30.

⁴ Torrigio Grotte Vat. p. 103. 215.

fuit, duabus tantum Statuis ejusdem Mausolei ad Aedem Farnesianam translatis.) fatto fare dal Cardinal Alessandro Farnese suo Nepote. Ac demum alibi. L'anno 1578. volendosi far una strada nova per entrare in Sagrestia, atteso quella vecchia si buttava per terra, per far i fondamenti della Chiesa nova in questo loco della sepoltura (del Card. Cristoforo Marone) fu fatta una porta.

At, quum Paullus III. fato functus fuerit, mense Novembri anno MDCXLIX, quumque mirandum ejus sepulcrum, nonnisi post elapsam XII. annorum spatium, egregio Jacobi de Porta opere insculptum fuisse constet, nonne liquet ibidem an. tantum MDLXII. excitari potuisse? Si vero tunc idem sepulcrum, secundam inter, ac tertiam columnam, meridiem versus, in medio secundae navis, quae inter praecipuam, ac postremam media est¹, a tergo Altaris Transfigurationis, circiter xxv. palmos intra D. Andreae parastatam positum fuit; si item Paulli II. monumentum pone ostium majoris Basilicae Sacrarum, stetit usque ad ann. MDLXXIV; ac laeva ejusdem Sacrarum, Eugenii IV. cum sua Cella, dextra Nicolai V. monumentum usque ad idem tempus permansit, quis non videt, majus etiam Sacrum superstes adhuc fuisse, atque, ut disertis, ac perspicuis verbis narrat, dumtaxat anno MDLXXVII. solo aequatum? Quapropter censendum est, quum, quidquid reliquum erat veteris Basilicae a parte meridionali, ex utroque majoris Sacrarum latere, usque ad partem Borealem, prope situm, ubi nunc est Ara D. Sebastiano sacra, solo eversum fuit, majus etiam Sacrum a nobis supra² descriptum defecisse, ac tum unam, atque unicum Templum B. M. februm in novi Sacrarum usum

1 tab. ichn. n. 53.

2 pag. 852.

plane cessisse. Quae quum ita sint, quisnam inficias iverit, Bullarii Vaticani editores ¹, Martinettum ², Sindonium ³, Chattardum ⁴, aliosque, qui hujusmodi Templum, *Iulio* II. Pontifice, in *Sacrarium* conversum fuisse tradiderunt, a vero quam longissime aberrasse?

Post haec, primum *B. M. Februum* imaginis discessum e Templo rotundo, licet conjicere, quod sub ipsa Paulli IV. aetate, quum vel pro Basilicae *Sacrario* destinatum, seu jam in hunc usum conversum esset, contigisse, tenendum est. Haec autem potissima ratio esse videtur, cur neque post ejus discessum, vetus, ac primitivum *S. Andreae* nomen Templo redditum fuerit. Ex eo enim tempore Vaticanae Basilicae *Sacrarium*, sine alia ulla adjectione, nuncupari, et haberi coeptum est; quod etiam fieri consuevit, vel quum tandem eò rediit ipsa *B. M. Februum* imago. Quod ex Alphanano ⁵, et Ciampinio ⁶ aperte deprehenditur, et multo disertius antea Panvinius ⁷ tradidit.

Quod vero tradidit Karolus Fontana ⁸, *Xystum* IV. hanc aedem anno MCDLXXI. instaurasse, de *Oratorio Gregoriano*, quò translata fuit *B. M. Februum* imago, accipiendum esse, satis superque ⁹ demonstravi. Quocirca, ut paucis omnia complectar, hujusmodi Templum a *Symmacho* excitatum, et *Andreae* dicatum, a *Gregorio* M. rursus consecratum; deinde *B. M. a febris* sacrum, a *Nicolao* V. instauratum, postea a *Paullo* IV, aut *Pio* V. quantum quidem conjicere licet, in *Sacrarium* conversum, ac denique a *Pio* VI. solo aequatum est. Sed jam singulas ejus partes accurate inspiciamus.

1 T. III. p. 257.

2 lib. II. p. 217.

3 pag. 87.

4 pag. 227.

5 n. 172. p. 64. ms.

6 n. 172. p. 91.

7 T. III. ms. c. XIX.

8 lib. I. c. v. p. 70.

9 p. 778.

CAPVT IIII.

De ejusdem Templi Altaribus .

Etsi B. *Andreae* Templum, B. *Petronillae* Templo per omnia geminum fuerit, tamen *septem* Cellis, ut ex Alpharani tabula patet, et Paullus de Angelis, Severanus, Bonannius, aliique testantur, instructum erat, contra quam in altero fuisse vidimus, ubi *sex* tantum Altaria, binosque aditus fuisse constat. Sed tamen Joh. Ballionius ita Templum descripsit¹. *La Sagrestia è fatta all' antica, di architettura gotica, di fuori rotonda, e di dentro ottangolare, fabbricata di terra cotta, colla sua volta, e vi sono otto nicchie all' indentro sfondate.* Item Panvinius multo antea scripserat². *Habet octo Sacella, sive absidulas muro inclusas, egregia arte factas.* Ac deinde Ciampinius³ etiam, in parietum crassitie octo Cellas, singulas singulis in angulis habuisse tradit. Sequutus enim est Alpharanum, qui, aequae ac fecit in altera *Petronillae* Templi descriptione, ubi agit de iis, quae erant in Templo *S. M. de febris*, scriptum reliquit⁴. *Ingrediamur B. M. de febris Templum, quod integrum adhuc superest, et ab omnibus cerni potest, quod octangulare, et rotundum est, et octo Sacella etiam habet, et est ejusdem mensurae, et formae, sicut supra de B. Petronillae Templo expressimus.* Verum dum haec scripsit, se a semetipso discedere, secumque pugnare, non animadvertit. Ipse enim in tabula ichnographica⁵ adnotavit, locum sine Altari patere liberum debuisse, per quem aditus in Templum esset. Nostræ ve-

¹ Le nove Chiese di Roma per Andrea

Fei 1639. 12. p. 42.

² T. II. ms. p. 140.

³ c. IV. Sect. XII. p. 89.

⁴ c. XII. p. 62. ms.

⁵ num. 166.

ro aetate, e primis *septem*, *tres* tantum Cellae supere-
rant, quum ob varias temporum vices, aliae *quattuor*,
vel dejectae fuerint, vel in alium usum commutatae.
Verum de his singulatim, atque ex ordine disseramus.

CAPUT V.

De Altari S. Ludovici, postea S. Clementis.

Altarium tam vetustiorum, quam recentiorum hujus Tem-
pli descriptionem exordiar Alpharani verbis, qui ita eam
est auspicatus ¹. *Et in primis in dextra parte hujus Sa-
celli, per quod est ingressus ad hoc Templum, sequitur aliud
Sacellum* ² *cum Altari, quod inter Occidentem, et meridiem
est situm, cui consecratum, ignotum, in cujus pavimento,
sub marmoribus lapidibus multa Nobilium Corpora requiescunt,
inter quae Odonis Ianuensis Episcopi Interamnensis, Xysto IV.
Pontifice Maximo defuncti, et Durandi de Fagu, Galli no-
bilissimi.*

Quum vero scriptores omnes Alpharanum sequuti
sint, quod huic incompertum fuit, itidem Paullus de
Angelis, Ciampinius, Bonannius, Janningus, atque ipse
etiam Sindonius ignorarunt. Quodque mirum magis est,
Paullus de Angelis, Turrigius ³, Fontana ⁴, et Joh. Pe-
trus Chattard ⁵ Episcopum Interamnensem, cum Alpha-
rano *Odonem* perperam nuncuparunt, qui *Ludovicus* pro-
cul dubio vocabatur. Sic enim ejusdem inscriptio apud

1 e. xiI. p. 63. ms. Dentro la Cappella,
dove sta il nostro Armario, in Sagristia,
in mezzo al pavimento è questo titolo
di sepolcro nella lapide de marmo

De Fagu

A mano destra, dentro a questa Cappella

appresso il d. Sepolcro, segue quest'altro
in bel marmore sculpto

2 num. 167. Vide Tab. II. num. 7.

3 pag. 564.

4 p. 86.

5 p. 228.

Vghellium ¹. Romae decessit an. MCDLXXII, sepultusque est in Sacrario apud S. Petrum. Ibi humo affixus magnus spectatur lapis cum effigie, subjectoque epitaphio, Ludovicus Ianuensis Episcopus Interamnensis obdormiuit in Domino anno MCCCCLXXII. die VII. Februarii. Verum hoc luculentius constabit ex ipsa sepulcrali ejus inscriptione, quam alteri *Durandi de Fagu* adjunctam, loco suo evulgabimus.

Sed quod monumentorum copia destituti, de hujus Altaris erectione allati Scriptorum statuere minime potuerunt, id affirmare licuit Bull. Vat. editoribus, qui ex Archivo Vaticano, *Alexandri VI.* diploma ² depromserunt, ex quo apparet, in hac eadem Cella Altare, S. Ludovico sacrum, ex *Ludovici* Ep. Interamnensis testamento fuisse exstructum, ac ibidem Sacerdotium, ejusdem Pontificis decreto institutum. Temporis autem injuria, non solum Altare, sed ipsius etiam nomen oblitteratum plane fuit. Ac propterea omnia ibidem Basilicae ornamenta, aurea, et argentea custodiri coeptum est, ac locus ferreis cancellis proinde munitus fuit. Quod ex ipso etiam Panvino discimus, qui ³ nullum heic Altare fuisse docet, sed tantum in hac absidula, quam ipse *sexto* loco numerat, *Armaria* contineri.

Tandem anno MDCCLXXIII, antiquiori S. Ludovici Arae, alia S. Clementis P., et M. subrogata fuit, et biennio elapso, ab Equite Petro Leone Ghezio picturis, quibus varia S. Pontificis gesta repraesentabantur, novoque opere praeclare ornata.

In eadem Ara, duplici loculo plumbeo, cupressinis, et marmoreis tabulis contecto, plurium Sanctorum ci-

1 p. 227. T. I.

2 T. II. p. 274.

3 T. II. ms. p. 240.

neres ¹, ex veteri consuetudine apud Augustinum ², aliosque Ecclesiae Patres longe commendata, reconditi fuerunt cum hac inscriptione.

SACRI CINERES MVLTORVM SANCTORVM
ET SANCTARVM XIV. KALEND.
IANVARIII MDCCXXVI.

quod item sub mensa Altaris in tabula mormorea legabatur ad hunc modum

SACRI CINERES MVLTORVM SANCTORVM
DIE XIX. DECEMBRIS
MDCCXXVI.

Qui quidem sacri cineres prius a Bonifacio VIII. in Altari S. Thomae, cum reliquiis S. Bonifacii IV. collocati fuerant, uti docet sequens inscriptio apud Sindonium ³. *Cineres multorum Sanctorum, ac Sanctarum in Vaticana Basilica inter Portas Iudicii, et Ravennianam sub Altare Sancti Bonifacii Papae IV, ac sub ejus corpore intra lateritiam tumbam repertos, et in novum Templum Pauli Papae jussu illatos, hic juxta Corpus ejusdem Sancti Pontificis, loculo plumbeo recondendos curavit Evangelista Pallottus anno MDCVI. die xx. Ianuarii, Pauli Papae V. anno primo. Ac proinde ad novae hujusce translationis memoriam, in hanc S. Clementis Cellam, posita fuit hujusmodi inscriptio, ab eodem Sindonio allata. Sub hoc Altari solemniter translati, et reconditi fuerunt cineres multorum Sanctorum, ac Sanctarum olim existentes intra septum Altaris Sancti Thomae Apostoli die xviii. Decembris MDCCXXVI.*

Hoc eodem anno xi. Kal. Januarias Benedictus XIII.

¹ Relation. divin. Offic. l. I. c. vi. n. 23.

² in Comment. ad Psal. 126.

³ p. 66.

novum *S. Clementis* Altare sollemni ritu consecrari jussit, quod praestitum est a Karolo Majello Archiep. Emisseno, qui praeterea SS. MM. Maximi, et Severini reliquias ibi reposuit, cum hac inscriptione. *Karolus Majelli Archiep. Emissenus hujus Bas. Canonicus consecravit hoc Altare die XXI. Dec. MDCCXXVI.* Ac demum anno MDCCCLVI. rursus consecratum fuit, uti docebat hujusmodi inscriptio. *Georgius de Lascaris Archiep. Theodosiae hujus Sacros. Bas. Vicarius consecravit Altare hoc die XIV. Nov. MDCCCLVI.*

Sed priusquam ex hoc Altari discedamus, ejus pavimento inspiciendum est, sub quo, in loculo fornicato tumulatus exstabat *Hannibal Albanus*, Card. Tituli Sancti Clementis, Episcopus Portuensis, atque ejusdem Bas. Archipresbyter, qui innumera in Basilicam suae liberalitatis argumenta, perpetuo quodam munificentiae cursu, edidit; in quibus non postremo loco numeranda est Apostolicarum Literarum ad res, personasque Vat. Bas. pertinentium splendida collectio, quam omnibus Urbis Tabulariis excussis, ab eruditissimis Viris in lucem edendam aere suo curavit, quae *Bullarii Vaticani* nomine, doctorum manibus teritur. Capsae plumbeae, ubi ejus cineres quiescunt, inscriptionem insculptam, in *Sylloge veterum monumentorum* exhibemus.



CAPUT VI.

De Cella SS. Lamberti, et Servatii, seu Reliquiarum, vulgo etiam Cella Canoniorum.

Ad dexteram partem, austrum versus ingredientium, num. 168. altera erat Cella vetustissima SS. Lamberto, et Servatio Episcopis¹ dicata, quae tamen aliis duobus nominibus vulgo audiebat. Nuncupata enim quoque fuit *Altare Reliquiarum*, quod ibi omnes SS. Reliquiae², quae in Vatic. Bas. adservantur, et feria secunda post Pascha, Populo ostenduntur, honorificentissime custodiebantur; ac praeterea *Canoniorum Cella*, nimirum ab eorum sepulchris, quae eodem e veteri Basilica, ubi prius exstant, translatae fuerant.

Georgius de Caesarinis, ut ait Grimaldus³, ab Eugenio ad Xystum IIII. Canonicus S. Petri, Protonotarius Apostolicus, Germanus Frater Iuliani senioris Card. S. Angeli Archipresbyteri dictae Bas. fundator Capellae SS. Servatii, et Lamberti in eadem Basilica, ubi in pace quiescit in Sacratio, hoc Altare amplissimis redivitibus locupletavit, ibique Sacerdotium constituit cum iure Patronatus, ut patet ex quadam supplicatione apud editores Bull. Vat. 4, quam inepta sane, atque insolenti scribendi ratione usus

¹ Vita S. Lamberti, seu Landeberti Episcopi Traiectensis in Henric. Canisii Lect. Ant. Tom. II. edit. Basnagii p. 135. et apud Surium die 17. Septembris pag. 172. et in Sec. II. Act. SS. Ord. Bened. P. I. pag. 66. Const. Suiskeni de S. Lamberto, seu Landeberto Comment. praev. T. V. Sept. p. 518. God. Henschelii de S. Servatio Episcop. Traiecti ad Mosam

Comm. Histor. in T. II. Maii p. 209. Anonymi de S. Servatio Episc. Tungrensi, ejus nominis unico, adversus nuperum de S. Arvatio, vel duobus Servatiis commentum Dissert. historica. Leodii 1684. 8.

² Alph. n. 168: p. 63. vide Tab. II. n. 9.

³ in lib. ms. Descend. Canonic. fol. 11. et apud Turrigium Grotte Vat. p. 253.

⁴ T. II. p. 200.

nescio qui obtulit Xysto IV, et ex MSS. Jacobi Grimaldi apud Turrigium ¹, ubi legitur. *Georgius Caesarinus... Sacellum in Basilicae Sacrario SS. Lamberto, et Servatio Martyribus dicavit, ac pro sua, et Cardinalis (Juliani Caesarini) animarum expiatione, Sacerdoti ibi missam celebraturo, censum attribuit; et alio loco apud eundem Turrigium ex Cod. Chartaceo ². Capella SS. Servatii Episcopi Confess. et Lamberti Episc. Mart. in Sacrario Basilicae per Ill. D. Georgium de Caesarinis Sedis Apost. Proton. et Canon. Basil. anno 1475. erecta, et dotata fuit jure patronatus, et posteris suae familiae reservato, et jure institutionis Canonicis Basilicae relicto, cum onere, ut Capellanus ter in hebdomada in eadem Capella rem sacram faciat.*

Postquam vero Turrigius Cellae erectionis annum indicavit, Georgium anno MCDLXX. supremum diem obiisse, et in Cella SS. Lamberti, et Servatii, in tabula marmorea ejus memoriam insculptam fuisse declarat, hoc modo ³.

GEORGIUS DE CAESARINIS PROTONOTARIUS
APOSTOLICVS FIERI FECIT ET ORNAVIT

Quumque ibidem sibi sepulturam testamento destinaverit, ceteri etiam Canonici, illius exemplum sunt imitati, atque in hac Cella tumulari coeperunt.

Nam antiquum eorum Coemeterium, ut discimus ex diplomate Johannis XXII ⁴, erat *juxta Ianuas veteris Basilicae*; quod etiam Beneficiariis, ac Clericis commune fuisse prodit Antonius Petri, ubi narrat ⁵. *Item an. MCCCCXIV. isto die post horam Vesperorum fuit sepultus D. Bernabeus*

¹ p. 132.

² p. 467.

³ p. 253.

⁴ T. I. Bull. Vat. p. 255.

⁵ T. XXIV. Rer. Ital. Mur. p. 1050.

Canonicus S. Petri, et sepultus in Porticali Pontificum, ante Portam, quae dicitur Iudicii. Ac paullo infra ¹. Item sciatis, quod die Mercurii 23. Ianuarii anno mccccxv, hora Vesperorum, fuit defunctus supradictus Iacobus Roddi, et sepultus in Porticali Pontificum, videlicet in Tumba communi Dominorum Canonicorum, Beneficiatorum, et Clericorum.

Cautum quippe erat; vel multo ante Iohannis Pontificatum, ne quis intra Basilicam sepulturam haberet, absque Pontificis venia. Id enim, ut cetera praeteream exempla, perspicue probant adhuc exstantes in Cryptis Vaticanis huiusmodi tabulae ²

LICENTIA SEPELIENDI IN
 BASILICA S. PETRI CONCESSA
 PETRO EXTRIBVNO VOLVPTATIS
 ET IOHANNAE EIVS CONIVGI
 AB HORMISDA SVMMO PONT.
 ANNO DOM. DXXIII.
 E RVINIS SERVATA ANNO DOM. MDCVI.
 PAVLO V. PONT. MAX.

* FL. MAXIMO VC CON
 CONCESSVM LOCVM PE
 ROME EXTRB VOLVP
 ET CONIVGI EIVS IOHAN
 PAPA HORMISDA ET TR
 PRAEPST BASC BEATI PETR

¹ *ibid.* p. 1052.

² Grimaldus in lib. Instrum. Turrigius
 Grotte Vat. p. 94. Donius Inscr. p. 537.

Lodovici Muratorius in T. iv. Thesauri
 Inscr. p. 1874. Dionysius in Crypt. Vat.
 Monumentis p. 58. Tab. xxv.

1240 DE CELLA SS. LAMBERTI ET SERVATII

Huic gemina est altera ¹.

LICENTIA SEPELIENDI IN
BASILICA S. PETRI CONCESSA
A IOANNE PP. III. AN. DLXIII.
MARCELLO SVBDIACONO
REGIONIS VI. E RVINIS SERVATA AN.
MDCXVII.

LOCVS MARCELLI SVBD. REG. SECTE CONCESSVM SIBI ET POS
TERIS EIVS A BEATISSIMO PAPA IOANNE
QVI VIXIT ANN. PL. M. LXVIII DEP PC BASILI VC ANN XXII
IND. XI VNDECIM. KA IANVARIII

Veteris hujusce disciplinae usum Vrbanus IV. memorabili Epistola ad Capitulum Vaticanum inscripta sollicite, ac relligiose revocandum curavit. Ejusdem epistolae particulam omnium primus luce donavit Mabillonius ², ac deinde Papebrochius ³ recusit. Eam demum omni parte absolutam, integramque ex antiquo regesto Edmundus Martenius, et Vrsinus Durandus ⁴ ediderunt. Cujus quidem rei notitiam me debere profiteor omnigenae PONTIFICIS vere maximi eruditioni, qui tam insigne monumentum, quod in Bullarii Vaticani editione desideratur, mihi nunquam satis praedicanda benignitate communicavit. Heic itaque eam rursus ad lucis usuram revocabo. *Existentes in Principis Apostolorum Basilica,*

¹ Torrigio Grotte Vat. p. 93. Donius Inscript. Class. xx. n. 62. p. 537. Murator. Inscript. Thes. p. CDXXVIII. Gallettus in T. I. Inscript. Roman. p. iv. num. 8. Dionysius Crypt. Vat. pag. 53. Tab. xxiv.
² Mus. Ital. T. I. p. 51.

³ in Paralip. ad Con. Chronhist. p. 104. in T. viI. Mail.

⁴ Veterum Scriptorum, et Monumentor. collect. Tom. II. col. 1258. Ep. viI. ad Capitulum S. Petri, ut non sepeliantur Corpora Indeutorum in Ecclesia S. Petri.

et ubi sanctissimum Corpus ejus celebri memoria requiescit , et a qua cunctae per Mundum Ecclesiae ab ipso pene Christianae Religionis exordio , exemplum sanctae conversationis , et normam sumpsere vivendi , tanta deberetis actus vestros gravitate pensare , et tanta circumspectionis discretionem dirigere , ut nihil inveniretur in eis , quod oculos divinae majestatis offenderet , nihilque posset in mentibus Fidelium ad ipsam ex diversis Mundi partibus devota frequentia confluentium , scandalum suboriri . Sed proh dolor ! sicut veridica relatione , et frequenti assertionem multorum accepimus , ut de aliis sileamus ad praesens , loco , et tempore castigatione debita puniendis , erga Sanctos , quorum gloriosissima Corpora in eadem Basilica requiescunt , sic indevote vos geritis , sic vos irreverenter habetis , quod etiam contra canonicas sanctiones mortuorum Corpora quasi passim in ipsa , in qua vix passus pedis vacat sepultura Sanctorum , praesumptione temeraria tumultatis , coecae cupiditatis illecebritate seducti , potius quam miseratione pietatis induci . Inde fit , ut plerumque sepultura (sepulcra) reverenda Sanctorum , quae antiquorum Patrum sancta devotio debita diligentia consignavit , ausu sacrilego violantes , cum piis impios , cum justis injustos , et cum sanctis sotes , dispari consortio , ac societate damnabili , impie sociatis . Quod quam sit detestabile in conspectu Dei , et hominum , et quam horrendum , nemo sanae mentis ignorat . Quum igitur haec , per quae Deus omnipotens provocatur , hominum decrescit devotio , et Sanctorum reverentia conculcatur , non debeamus , nec velimus sub dissimulatione transire , mandamus vobis , arctius inhibentes , ne aliquam ecclesiasticam , saecularemque personam deinceps in praefata sepeliatis Basilica , vel permittatis ab aliis sepeliri , absque licentia , et mandato Sedis Apostolicae speciali .

Duriora quidem verba, subjungit Mabillonius, *sed tempori, et occasioni forsitan necessaria*. Quum enim Concilium Bracarense II ¹, Vasionense ², et Nannetense ³, praeter Capitulare Theodori Cantuariensis Archiep. ⁴, et Capitulare Episcopi Vercellensis ⁵, sepulturas in Ecclesiis fieri vetassent, quas *in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiae* tantummodo statuebant, eas tamen, praesertim in Basilica Principis Apostolorum, passim usurpari aegre tulit Urbanus. Ceterum absentis Pontifici rem fortasse exaggeratam fuisse, quisquam facile credat; quemadmodum Benedictum XII, Clementem VI, et Innocent. VI. dum Avenione degerent, sinistra quadam relatione praecipuos fuisse scimus, adversus ejusdem Basilicae Canonicos, quos Altaris S. Petri oblationes ad Sedem Apost. spectantes, usurpare insimulabant. Qua de re iidem Pontifices acerbis literis, quae in Bull. Vat. ⁶ recensentur, vehementer conquesti sunt. Verum Innocentius VI. falsae relationis iniquitate, rei que veritate comperta, Vaticani Capituli jura, de oblationum perceptione, sarta tecta servavit, omnesque controversias peculiari Constitutione ⁷ composuit. Quod tamen spectat ad Urbani IV. decretum, ne quis absque Pontificis venia, in Bas. Vat. tumularetur, post novam ejus constructionem a Paulo V. peractam, ad hanc usque diem religiose servatum est; quum ibidem soli Reges, et Principes sepulturae honorem nancisci soleant; quemadmodum in Templo Apostolorum Constantinopoli, Valesius ⁸, Bandu-

1 Can. xviii.

2 apud Gratianum 13.

3 apud Eurchardum, et Ivonem can.vi.

4 c. LVIII. T. IX. Spicil.

5 c. xxiii.

6 T. I. p. 316. 317. 340. 346.

7 ibid. p. 357.

8 in notis ad Sozomen. IX. 2.

rius ¹, et Cangius ² solos Imperatores, et Patriarchas, honoris caussa, sepelire, fas olim fuisse testantur. Id etiam vel apud Ethnicos sollemne fuit, qui, Appiano teste ³, *Sillam transtulerunt in Campum Martium, quem, ait Strabo, locum esse relligiosissimum, ubi solos Reges sepelire mos est.*

Sed, ut ad novam Canonicorum sepulturam revertamur, res ab Alpharano diserte traditur, qui ait ⁴. *Iuxta hoc Sacellum ⁵ ad meridiem antiquissimum, SS. Lamberto, et Servatio Episcopis consecratum, a Georgio de Caesarinis hujus Basilicae Canonico, et Sedis Apostolicae Protonotario, satis optime dotatum, in cujus etiam sepulcrorum penetralibus sub marmoreo lapide ipse requiescit. Hoc Sacellum Canonicorum appellatur, eo quod Canonicorum Corpora ibi humari consueverunt. In his enim penetralibus D. Iacobus Herculanus Senior, Herus meus colendissimus, nunquam ex animo delendus, cum reliquis antiquioribus Canonicis, in lignea ex nuce arca conditus in pace requiescit. Incompertum vero est*

¹ in Imperio Orientali p. 878.

² Heroa, seu Tumuli Imperatorum in Constantinopoli Christiana. V. Montfauc. in Bibl. mss. p. 982.

³ in lib. I. Bell. Civ.

⁴ ms p. 63. Nella Cappella di S. Lamberto, di S. Servatio, et di S. Gio. Crisostomo, quale è delli Canonici, se conservano le reliquie de questa Basilica, et sotto l'Altare, sta il Ven Corpo de d. S. Gio. Crisostomo, consecrato detto Altare ultimamente da Mons. Santoro Arcivescovo di S. Severino. In d. Cappella al pavimento sò doi sepolture de Canonici di S. Pietro, con queste arme del Capitolo, et infra l'una, e l'altra vi è in mezzo una gran lapide de marmo con questo Titolo: *Georgius de Caesarinis*

Prothonotarius Apostolicus Canonicus fieri fecit, et quiescit.

In questa med. sepoltura credo, sia sepolto Maffeo Veggio Canonico, et fu sepolto in questa med. dentro una bella cassa de legno a man sinistra il mio Padrone, et Pñe Coliño R. M. Iacopo Herculano Canonico, et Altarista dignissimo, et antichissimo di questa Chiesa, dal quale tutte prefate cose ho imparato, quale sapeva ben questa S. Chiesa, innante che fusse ruinata, atteso dalli teneri anni haveva servito questa S. Chiesa, et in essa era stato allevato primo Chierico, dopo Beneficiato, ultimamente Canonico da'la S. M. di Paolo III. fu fatto, quale se viveva, l'avrebbe esaltato a più degnissimo loco. 5 num. 148.

quo tempore Canoniorum generatim haec sepultura esse coepit; etsi non dubium sit, quin hoc, Seculo xv. exeunte, plus minus contigerit. Quamobrem apud recentiores Scriptores, parum temporum ratio constat, quod hanc Cellam *Canonicorum*, vel ab initio appellatam esse censent, quum hoc ei nomen serius accesserit, ut alterum *Reliquiarum*, de quo idem pronuciari potest. Ceterum huic usui aptior profecto locus inveniri non poterat. Nam Philippus Bonannius ¹ post *Sacrarii* Altarium descriptionem, haec habet. *Narrat Severanus* ² *sub his detecta fuisse a quodam Coemeterio Cosmo Florentino, totidem similia Sacella, quando jacta fuere nova Basilicae fundamenta.*

Plura ibidem hac de causa reperta sunt Virorum illustrium monumenta, quorum nomina heic recensebimus, inscriptionibus infra rejectis. Heic enim quiescebant cineres *Card. Francisci Barberini*, cum Inscriptione. Hujus rei memoriam servavit Petrus de Sebastiani, inquitens ³. *In una picciola Cappelletta fu seppellito l'anno 1679. a' 10. Dec. il Card. Francesco Barberini, Decano del S. Collegio, in età di ottantatre anni, e sessanta di Cardinalato, soggetto in vero di gran capacità, e di un governo impareggiabile.* Pone Patru cineres, Cor Fratris Filii *Karoli Barberini* *Card.* exstabat, quod duae inscriptiones indicabant. Praeterea ibidem conditum erat Cor *Card. Francisci Nerlii*, tribus adjectis inscriptionibus, atque ossa Canoniorum *Riccardi Howard de Norfolcia*, et *Hieronymi Petronii*, cum epitaphiis. Aliorum vero Canoniorum, qui ibidem, absque eodem inscriptionis honore, quiesce-

¹ p. 30.

² p. 97.

³ Viaggio sagro, e curioso delle Chiese più principali di Roma. ivi 1683. 8. p. 10.

bant , memoria exstat in Necrologio Bas. cujus loca , post allatas Inscriptiones , evulgabimus .

§. I.

De Cathedra S. Petri ibidem aliquando custodita :

Perquam insigne huic Cellae decus accessit , ex eo quod aliquamdiu *S. Petri Cathedra* in ipsa custodita est . Quum enim antiquitus ritus vigeret mittendi Neophytos , sacro regenerationis lavacro recens ablutos , ad eam venerandam , ut colligimus ex sermone ¹ Leonis M. , et Ennodio ² , iccirco eadem inter alias Basilicae reliquias in hac Cella servabatur , eamque ceteri quoque Christifideles miro cultu prosequerantur . Idque ex eo praecipue liquet , etsi praeter Marangonium ³ animadversum a nemine adhuc viderim , quod in *Indiculo Sanctorum Oleorum* quae Gregorius M. ad Theodelindam transmisit ⁴ , adnotetur , *de Oleo de Sede , ubi prius sedit S. Petrus* . Qua in re Majores nostri Alexandrinos , et Hierosolymitanos imitati sunt , qui suorum Antistitum Marci ⁵ , et Jacobi ⁶ sedilia diu , ac relligiose conservarunt , quemadmodum etiam Veneti , Marci cathedram , in qua Aquilejae resederat , summo in honore semper habuerunt ⁷ .

Grimaldus haec de loco , quo sua aetate servabatur , memoriae tradidit ⁸ . *In Tabernaculo , quod exstat in Ca-*

1 in Serm. 11. de sua assumpt.

2 circa finem libri Apologetici .

3 nel Pellegrino divoto p. 95.

4 V. Borgia de Vat. Conf. B. Petri p. 197.

5 in Actis MSS. a Valerio relatis in Eusebii Hist. Eccl. p. 374.

6 Euseb. Hist. Eccl. c. XIX. p. 343. et cap. xxxI. lib. VII. p. 374.

7 V. Menardum . ad Sacramentarium

Gregorii M. pag. 85. 94. Basnagium . ad Baron. T. I. p. 535. Ioh. Andr. Schmidium . in disquis. de Cathedris Doctorum veterum . Ienae 1677. Christophorum Samium . de Cathedris Apostolorum . Regiomonti 1701. Sarnellium nel Lume a' Principianti P. I. p. 156. et Costadonium . de Templo Torcellano .

8 p. 55. et apud Sind. p. 41.

PELLA veteris Basilicae SS. Servatii, et Lamberti, ac sacramentorum reliquiarum, ex latere Evangelii, in medio parietis suis portis recluso, intus serico panno rubro ex parte posteriori, cum vexillo S. Hyacinthi tecto, religiose custoditur Cathedra, in qua Petrus Apostolorum Princeps primum Romae sedit, nobili tegumento ex auro, et serico ad flores magnos rubros, crispante auro, cum imaginibus Xysti IV. tota contegitur. Nam Xystus IV, ut antiquum morem de Sedibus primorum Pontificum exornandis, ab Augustino ad Maximum Episcopum Donatistarum, et a Baronio¹, aliisque memoratum, renovaret, anno MCCCCLXXXI. die XXI. Februarii, quemadmodum refert in suo Diario Raphael Volaterranus², in Vesperis descendit in Basilicam Petri in veste domestica, tamen familia comitatus, obtulit Sacrario Basilicae aureum pannum intertextum auro ad cooperiendam Cathedram Apostoli Petri, quae in eodem Templo cum summa veneratione servatur, ac se praesente, suo munere operiri illam iussit, et taliter ornatam in locum suum deferri mandavit a majoribus Templi Sacerdotibus, incensis cereis praecedentibus, cantantibus quoque nonnullis ad caeremoniam pertinentibus.

Sed tamen, quum haec Cathedra diutius, uti docet Turrigius³ ex Alpharano, et Grimaldo, in altera S. Annae Cella permanserit, tunc nos etiam de ea paullo diutius disseremus. Nunc in hujusce Altaris ornamentis latius persequendis immorandum est, cui integro fere Saeculo elapso, post suam erectionem, novum veluti columen accessit.

¹ ad an. XLV. n. II.

² T. XXI. rer. Ital. Murat. pag. 122.

³ p. 564.



§. II.

De S. Chrysostomi Corpore ibidem adseruato .

EX aditu Templi S. Petronillae, ubi primum positum fuisse vidimus ¹, S. Ioh. Chrysostomi Corpus ad Cellam Sanctorum Lamberti, et Seruatii translatum, atque in pretioso labro aegyptiaco reconditum fuit. Hujus rei testimonium profert M. Attilius Serranus, qui sic habet ². *Adeundum est Eccl. Sacrarium, in quo multae SS. reliquiae seruantur, inter quas eminet sanctum, ac omni honore dignum D. Ioh. Chrysostomi Corpus. Ac rursus. Romam translatum in Sacrario sacrae hujus Basilicae sub Altare SS. Lamberti Episcopi Singiensis, et M. et Seruatii Episc. et Confessoris jacet. Idemque in Catalogo reliquiarum Bas. confirmat, inquitens ³. Corpus S. Ioh. Chrys. Ep. CP. et Confessoris in Sacrario. Habes praeterea Alpharani locum, cui Severanus ⁴, et Ciampinius ⁵ subscripserunt, qui est hujusmodi ⁶. In hoc item Sacello, nostris temporibus, ut supra retulimus, Corpus S. Iohannis Chrysostomi sub Altare honorifice collocatum est in nobili marmoreo labio aegyptiaco, cui etiam honori dicatum Altare fuit, consecratum a Iulio Antonio Sanctorio Card. S. Bartholomaei in Insula, nunc S. Severinae Archiep. ad preces Antonii Caraffae Cardinalis, tunc hujus Basilicae Canonici, anno Domini 1566.*

Praeterea id etiam constat ex ipsa ejusdem Altaris consecratione in ejus honorem, ac SS. Lamberti, et Seruatii peracta, Pii V. jussu, anno MDLXVII, quemadmodum docet Scheda ibi reperta, quae sic habet apud

¹ p. 1096.

² de viL. Urbis Eccles. Romae 1575. S.

p. 27. 28. ³ ibid. p. 114.

⁴ p. 136.

⁵ cap. iv. sect. xLI. et xLIJ.

⁶ ms. p. 63. num. 168.

Sindonium ¹. ✠ Anno a Nat. D. N. I. C. 1567. die Dominica 27. mensis Aprilis, Pontificatus SS. D. N. Pii Papae V. anno secundo. Iulius Antonius Sanctorius miseratione divina Archiepiscopus S. Severinae, auctoritate ejusdem Sanctissimi D. N. consecravit hoc Altare in honorem SS. Conf. et Pont. Ioannis Chrysostomi, et Lamberti, atque Servatii, et tam Corpus Beati Iohannis Chrysostomi Praesulis, quam reliquias SS. MM. Sebastiani, et Christophori in eo inclusit.

Haec autem schedula reperta fuit, quum sacrum hoc pignus, Urbani VIII. jussu, Kal. Maii anno MDCXXVI. recognitum fuit, priusquam ad ejus honorem, cultumque amplificandum, ad Cellam Xystinam instauratam, ac magnifice ornatam, ac sub ara, ubi nunc quiescit, comitantibus quampluribus Cardinalibus, Praesulum Romanorum flore, ac permultis praecipue Orientalibus, et Alumnis Scholae Graecae, faces accensas prae manibus gestantibus, hymnosque graeco idiomate concinentibus, sollemni ritu collocaretur. Quae sane Ioh. Bapt. Vaccondii errorem aperte produnt, qui ² in *Choro Canonorum veteris Basilicae S. Iohannis Chrysostomi* Corpus olim quiescisse scripsit.

Gaspar³ Alverus testes hujusce translationis, binas inscriptiones protulit, ex utroque Altaris latere exstantes, quas item Sindonius recusit ³. Eorum prima est hujusmodi ⁴. MDCXXVI. mense Maii, die prima sub hoc Altare, facta sollemni Processione, repositum fuit Corpus Sancti Ioannis Chrysostomi una cum infrascriptis reliquiis, videlicet de velo B. M. V. de Spatula S. Stephani Protom. de Costa S. Laurentii M. de Spina S. Sixti P. et M. de Sanguine, qui fluxit ex latere B. Francisci Stigmatizati, de Capillis, de Cili-

¹ p. 76. ² p. 120. ³ p. 110. ⁴ Roma in ogni Stato P. II. p. 178.

cio, de Tunica, de Habitu ejusdem, in quo mortuus est, de Cute Capitis S. Antonii de Padua, sicut in instrumento celebrato per I. B. Nardonum Pub. Not. ad quod . . .

Altera vero sic habet ¹. MDCCLXXVI. mense Julio, die XXII. festo S. M. Magdalene Ill. et Rev. D. Scipio Card. Burghesius hujus Bas. Archipresbyter, olim Arch. Bononiensis, facultate tam sibi vigore suorum privilegiorum competenti, quam a SS. D. N. Urbano VIII. specialiter ad hoc concessa hoc Altare continens Corpus S. Ioh. Chrysostomi, cum reliquiis in altero marmore in cornu Evangelii notatis, juxta consuetum ritum consecravit, et in honorem B. M. V. S. Ioh. Chrysostomi, S. Francisci, et Antonii de Padua dedicavit, et indulgentiam centum, et quinquaginta dierum, in die Anniversario consecrationis visitantibus concessit.

De tribus hisce locis Bas. Vat. ubi servatae fuerunt, hodieque servantur SS. Doctoris exsuviae, erudite disseruit Janningus ², cui calculum adjecit Vir aequè doctissimus Joh. Stillingus ³, ubi acta jampridem promissa ⁴ ejusdem *Chrysostomi*, in vulgus emisit.

Et sane decuit, ut quum primum ex Armenia, hortatu Proculi Patriarchae, a Theodosio Juniore Arcadii Filio, uti a Cosma Vestiario apud Baronium ⁵, Theodoreto ⁶, Theodoro Lectore ⁷, Suida ⁸, Nicephoro ⁹, et Zonara ¹⁰ accepimus, insigni pompa, intra *Sacrarium* Aedis SS. Apostolorum, Constantinopoli locatae fuerint, postea Romam translatae, itidem in *Sacrario*, deinde in nobilissima Basilicae Vat. Cella, augustiorem, quam

¹ V. pag. 110.

² T. VI. Junii p. 157.

³ T. IV. Sept. p. 694.

⁴ in T. II. Januarii.

⁵ in Annalib.

⁶ Hist. Eccl. lib. v. c. xxxvi.

⁷ in Collect. lib. II.

⁸ in Lex.

⁹ lib. IV. c. xxxvi. et XLIII.

¹⁰ in Vit. Arcadii Imp.

olim , tumulum perpetuo manciscerentur . Jure igitur de Chrysostomo Baronii ¹ verba usurpanda esse ducam , ita Gregorio Nazianzeno gratulantis , quod e CP. in Bas. Vat. translatus esset . *Ecce pro Byzantio , Deus rependit Romam , pro nova antiquam , pro illa exigua Anastasia , augustissimam Basil. Vaticanam , Urbis ornamentum , Orbis miraculum , pro tenui denique sepulcro , fornicem triumphalem .*

Praeterea discimus ex Alpharano ² , in hac item Cella , magnam Crucem argenteam fuisse CC. librarum pondo , quae aliquando ad Altare SS. Philippi , et Iacobi in mediana Basilicae navi stetisse putatur . Quocirca Panvinius ³ in hac absidula , quam quintam vocat , inesse scripserat , Altare Crucifixi , sub quo reconditus est Corpus S. Ioh. Chrysostomi Archiep. Constant. in quo aliquando fuit Crucifixum argenteum , a Carolo M. Bas. Vat. donatum , quo in pios usus converso , aliud ei simile ligneum factum est . Sed heic Crucem argenteam , quae ab Alpharano memoratur , cum altera D. N. Crucifixi imagine a Panvinio permutatam , infra declarabitur .

Eodem die , et anno , quo alterum Clementis , hoc etiam Altare denuo consecratum fuit a Thoma Cervino Arch. Nicomediensi , qui ibidem sacras exuvias SS. MM. Modesti , et Valentini reposuit . Anno vero MDCCXLIII. Benedictus XIV , quum ob postremam S. Ioh. Chrysostomi translationem , Altare Subseliarii pro Manium piorum expiatione , privilegiis ornasset , pari honore ⁴ , SS. Lamberti , et Servatii Cellam , pristinam Chrysostomi sedem , voluit afficere .

Eorundem SS. MM. effigies , quae Cellam ornabant ,

¹ in Martyr. Rom. die 11. Iunii .

² ms. n. 168. p. 63.

³ T. 11. ms. p. 140.

⁴ T. 111. Bull. Vat. p. 318.

a quodam Mediolanensi , vulgo *Moranzone* , depictae erant ; verum nostra aetate aliò translatae fuerant , inque eorum locum supposita Joh. Baptistae imago a Taddaeo Zuccheri depicta . Verum de singulis ornamentis , quibus Cella prae ceteris *Sacrarii* , miro cultu , novoque opere instaurata renidebat , si tanti sit ea cognoscere , consule Joh. Petrum Chattard ¹ , qui ea accurate , fuseque descripsit .

Heic autem tantum placet adjicere , quod ab ipso Chattardo praetermissum est , sacram Capitis ejusdem *S. Lamberti* partem , quae , ut ait Grimaldus ² , *fuit reposita anno 1636. in Capite argenteo , impensa Ill^{mo} , et R^{mo} D. Aegidii Vrsini de Vivariis Vat. Bas. Canonici , et Datarii Apostolici* , ab eodem Aegidio , Urbano VIII. adnunte ³ *S. M. de Anima donatam fuisse , ac debito honore illuc translata , in Altari ejusdem S. Lamberti , intra argenteam thecam , ad speciem humani capitis effictam , collocatam .*

Verum ut ceterorum Historicorum , qui de Templis , eorumque vicibus , ritibusque pertractant , consuetudinem imitandam susciperem , sacra Lipsana heic recensenda essent , quibus haec Aedes , quasi de Thesauro , quodammodo gloriari videbatur . Sed ne Altarium descriptionis filum abrumpam , in *Sylloge Monumentorum* duplicem eo-

¹ T. I. p. 232.

² in Catal. reliq. ms. p. 36. Il Capo di S. Lamberto Vescovo di Trajetto M. veniva custodito dentro di una Cassa di legno indorata . Negl' Inventarj degli anni 1454 , 1455 , e 1489. si legge , che questa parte di Capo fu posta in un vaso d'argento adornato con eleganza da Niccolò PP. V. Fu poi spogliato dell' argento nel sacco dato da Borbone .

Alli 22. di Marzo dell'anno 1636. fu di nuovo riposto in una Teca d'argento , fatta a spese dell' Ill^{mo} e R^{mo} Mons. Egidio Orsini de Vivariis Canonico di questa Basilica , e Datario di N. Sig. si leggono queste parole

CAPVT S. LAMBERTI

EPI . ET MAR.

³ Tom. 111. Bullar. Vatican. p. 243.

rumdem Catalogum, alterum ab Alpharano, alterum a Grimaldo digestum, attexendum curavi. Itaque pios lectores, harumque rerum studiosos, illuc libenter amandamus. Equidem heic tantum pauca dicam de Stola lata, et perlonga, opere phrygionico accuratissime variata, filisque aureis intertexta, quae ibidem servabatur, eamque ob oculos ponam iisdem verbis, quibus eam descripsit Paullus M. Paciaudus, cujus florentissimam eruditionem, et singularem in scribendo elegantiam nunquam satis praedicabo. Postquam meminit sacrae stolae contextae filis aureis, quam Theodoretus ¹ Constantinum M. Macario Hierosolymorum Episcopo dono dedisse narrat, haec, inquit ², quia a Viro egregia virtute conspicuo adhibita creditur, inter reliquias merito adservata est. Sanctorum imagines acu pictae, Stolam a vertice usque ad extremam oram distinguunt. In ea autem parte, quae collo aptatur, tres orbiculi sunt aurea corona circumdati: iis subtili artificio αὐτοματῶν suis nominibus notatae, visuntur. Orbiculo, qui medius est, Servatoris Iesu IS. XC. dextrorsum Mariae Virginis ΜΗΡ. ΘΥ, sinistrorsum Divi Baptistae ΙΩ. ΠΡΟΔ. Atque haec stola, si quid recte conjectamus, ante flammeum Patriarchae Iohannis acu elaborata videtur.

Extra hanc Reliquiarum Cellam, ad laevam, e regione aenei simulacri Paulli IV, Gaspar Alverus ³ se-

¹ Hist. Eccl. lib. 11. c. xxvi1.

² Antiq. Christ. de Cultu S. Ioh. Bapt. p. 237. V. Ios. M. Suaesium de vestibus litteratis. Vasione 1652. 4. Philippum, et Albertum Rubenium. l. 1, et 11. Elect. et lib. 1. de re vestiaria cap. x. Ferrarium Analect. de re Vestiaria p. 47. Steph. le Moine. in exercit. ad verba Ierem. xxi 11. c. vi. pag. 101. Bern. Montfauconium. in Palaeogr. Graec. l. 1. c. 11. Ciampinium.

in T. I. Vet. Mon. p. 9. Sarti de Casula Dyptica. Faventiae 1753. cap. 111. §. vi. Capycium de vetusto Altaris Pallio. Neap. 1785. in T. I. Opuscul. pag. 133. Steph. Borgia de Cruce Veliterna p. 81. Petr. Zornium. T. 11. Opusc. Sacr. p. 759. Andream Ritterum. de vestibus sacris, certis litteris notatis. Lipsiae 1703. Winchelmann Storia dell'Arte T. 11. p. 370. 3 T. 11. p. 206.

pulcralem ponit Inscriptionem *Iohannae Cordubae*, quam ceteris loco suo adjiciemus.


CAPUT VII.

De Altari S. Annae.

EX *Reliquiarum* Cella, ad tres alias olim progressus erat, duabus jam descriptis altitudine aequales, quae tamen postremis temporibus, aliquantulum deprimendae fuerunt, quo in superiori earum parte, cubicula exstrui possent, ad *Bibliothecam* superius descriptam, una cum *Basilicae Tabulario* conservandam.

Haec autem, inter Orientem, et Meridiem posita erat, et in ejus parietibus, uti *Alpharanus* testatur¹, super Altare depicta, *Salvatoris* imago visebatur. Ceterum, cui sacra, a quo vel erecta, vel dotata esset, latebat; nisi forte *Servatori* dicatam fuisse, ex ejus imagine conjiciendum. Sed, eodem *Alpharano* teste, ibi multa etiam *Nobilium Virorum Corpora* humata fuisse patet, inter quae *Paullus Fortiguerra* sub marmoreo lapide conditus est, ut ex literis in marmore insculptis cernitur. Quod ab *Alvero*² confirmatur, qui refert in hujusce Altaris pavimento sepulcrum exstitisse cum insignibus gentilitiis trium repagulorum, et carmine tetra-sticho, quae *Fortiguerrae* tumulum ornabant.

¹ ms. n. 169. p. 63. Vide Tab. III. n. II. ² loc. cit. p. 601.



§. I.

De Cathedra S. Petri ibidem adservata.

Praecipuum hujusce Cellae decus, et ornamentum fuit *Cathedra S. Petri*, quae, priusquam ad *Altare Reliquiarum*, transferretur, ibidem, ut supra ¹ innui, relligiosissime adservabatur. Ac licet plures de eadem pettractarint, heic tamen operam non inutilem lectoribus fore judicamus, si cunctas ejus vices, ac translationes studiose inquiremus.

Hanc autem Michael Leonicus Sacrarum Caeremoniarum Praefectus ² *prope B. Petri Corpus* olim conditam, indeque erutam fuisse tradit; cui quidem sententiae Alpharanus ³, Bonannius ⁴, ac Phoebeus ⁵ subscripserunt. Solebant enim Veteres Episcoporum cadavera suis Cathedris imposita ad sepulturam efferre, cumque iis inhumare, ut Baronius Stephani Papae ⁶, ac Petri Episcopi Alexandrini ⁷ exemplis, luculenter demonstrat.

Quidquid tamen de hujusmodi re statuendum sit, *Cathedram* in Cella prope Januam, quae *Aurea*, vel *Sancta* nuncupatur, antiquitus positam fuisse, Turrigius declarat. Hinc ex eodem ⁸ ad *Altare Adriani M.* translata fuisse scimus. Sed antiquiores hujus rei testes audiamus. Ait enim Vegius ⁹. *In ipso Altari S. Adriani factus est alius locus egregie ornatus, ubi collocata est Cathedra, super quam sedere B. Petrus, dum sollemnia ageret, consueverat.* Paria sunt, quae de eadem reddit Alpharanus, inquiens ¹⁰. *Iuxta S. Leonis Oratorium, sequebatur S. Adriani primi Ora-*

1 p. 1245.

2 in ms. Bibl. Barber.

3 ms. p. 6. 4 p. 132.

5 p. v. de identitate Cathedrae.

6 ad an. 260. n. 1v.

7 ad an. 310.

8 pag. 564. 9 num. 124.

10 ms. n. 15.

torium, in quo B. Petri sedes, sive Cathedra in marmoreo operculo egregie fabrefacto, summo cum honore custodiebatur. Quibus adjiciam, quae in hanc rem scripsit Grimaldus¹, qui haec habet. *Adrianus I. non longe ab Ara SS. Leonum, in dextero Templi brachio, in honorem S. Adriani M. Sacellum construxit, in quo, loco ad hoc decentissime fabrefacto, praedictam B. Petri Cathedram, populi devotioni venerandam exposuit, in eoque custodiri mandavit.* Ac dum ibidem exstaret, sedente Alexandro II, ut tradunt Mallius, Turrigius², et Bonannius³, seu potius Alexandro IV, ut narrat Joh. Caballinus apud Severanum⁴, *S. Petri lignea Cathedra, exorto forte incendio, et omnia circumcirca late depascente, in mediis flammis, divina, ut credimus, virtute illaesa permansit.*

Inde vero ad hanc S. Annae Cellam deducta fuit, quod ante Honorii III. aetatem contigisse putem, quum in celebri membrana a Cl. Nerinio edita scriptum sit⁵, quod Canonici, a muro Basilicae B. Petri, in quo est imago vitreo opere depicta, et a janua aenea ante S. Petronillam, usque ad locum, ubi Cathedra B. Petri reponitur, funditus usque ad intima effoderunt. Quod tamen pro comperto habemus, Gregorii XIII. aetate, ut Alpharanus testatur⁶, in hoc etiam Sacello sedes, sive Cathedra S. Petri pulcherrima, supra quam sedebat, quum munia Pontificalia exercebat . . . honorifice servabatur.

Postquam vero hoc Altare, quod Cathedrae S. Petri sacrum hactenus fuerat, a Paulo V, ut infra ostendemus, S. Annae dicatum fuit, ad alteram Cellam SS. Lamberti, et Seevatii, ut supra⁷ vidimus, inter alias Basi-

¹ in Catal. ms. reliq. p. 59.

² de Sacr. Troph. p. 120. Grotte Vat. pag. 566.

³ p. 132.

⁴ T. I. p. 152.

⁵ c. XI. p. 209. V. pag. 1091.

⁶ ms. n. 169. p. 63. ⁷ p. 1245.

licae reliquias avecta fuit. Ac demum, *lignea sedes Sancti Petri antiquissima ex ebore elaborata*, ut legitur in MS. Tabularii Basilicae apud Turrigium¹, in *Sacristia religiose adservata* est, donec Urbanus VIII. anno MDCXXXIV. eam in Cella, ubi nunc sacri Baptismatis latices custodiuntur, honorifice collocavit.

§. II.

De Festo Cathedrae Antiochenae.

Festum *Cathedrae Antiochenae*, ubi septennii spatio Princeps Apostolorum sedit, ut, quidquid contra sciscant Nic. Vedelius², Anonymus Gallus³, aliique, invicte demonstrant Pet. Boschius⁴, et Sandinius⁵, vii. Kal. Martii a vetustissimis usque temporibus celebratum est. Nam Calendarium Bucherianum⁶, quod sub Liberio Pontifice, vel circa medietatem Seculi quarti, scriptum videtur, exhibet vii. Kal. Mart. *Natale Petri de Cathedra*; atque inter Sermones S. Leonis Magni, nonnullos legimus ab eo habitos *in Cathedra S. Petri*. Nil igitur nos moveat Le-Gointii⁷, Pearsonii⁸, et Mazochii⁹ auctoritas, qui Polemii, vel Polemei Silvii laterculo ad an. CDXLVIII. spectante permoti, ubi indicatur vii. Kal. Mart. Depo-

¹ p. 573.

² Commentarius de tempore utriusque Episcopatus Apostoli Petri, seu historia Episcopatus Antiocheni, et Romani refutata lib. II. Genevae 1624. 8, et Francof. 1940. 8.

³ de Primatu Rom. Pontific. Lond. 1770. lat. et gall.

⁴ in Tract. hist. Chron. de Patriarchis Antiochenis

⁵ disp. II. de Cathedra Antiochena.

⁶ de Doctrina Tempor. p. 168. et apud Ruinart. in Act. MM. pag. 541. et apud Fr. Blanchin. T. II. Anast. in Prolegom. p. 9. V. Observationes in Prosperi Aquitani Chronicon, ejusque, et Anonymi Cyclum a Muratorio editum, in Anonymi Laterculum Paschalem a Bucherio edit. Amst. 1733. 4.

⁷ T. II. Annal. Franc. p. 73.

⁸ ad an. 258. Annal. Cyprian.

⁹ Comm. in Marm. Neapol. Kal. p. 891.

sitio S. Petri, et Pauli, Silvii tempestate, *Cathedrae* festum nondum invecum, sed viii. Kal. Martias, memoriam passionis SS. Petri, et Paulli dumtaxat esse celebratam contendunt, de qua consulendus Cathulphus⁹ in epistola ad Karolum M. Siquidem, ut pluribus egregie demonstravit Stephanus Borgia¹⁰, significari potuit Silvii verbis, *Depositio S. Petri de Cathedra, et Paulli commemoratio*, quum nullo unquam tempore utriusque Apostoli cultus fuerit dissociatus; eo magis, quod in vetustissimo apographo Martyrologii Hieronymiani apud Janningum¹¹ memoretur xv. Kal. Febr. *Depositio Cathedrae Petri Romae*, utpote in Martyrologio Hieronymiano Ep-ternacensi apud Georgium¹², habetur xv. Kal. Februarii *Depositio Sanctae Mariae, et Cathedrae Petri in Roma*; quibus etsi alterum *Cathedrae Romanae* festum, de quo mox agemus, innuatur, tamen aperte ostenditur, *depositionis* voce, translationem potius, quam diem mortis anniversarium, interdum indigitari; ac propterea in Silvii laterculo, viii. Kal. Martias, non Apostolorum Martyrium, quod iii. Kal. Julias Scriptorum omnes agnoscunt, sed *Cathedrae Antiochenae* festum indicari¹³. Ejus enim mentio fit in Sacramentariis Gregoriano, Gellonensi, et Regio, in Codice S. Theodorici, ubi notatur festum *venerabilis Cathedrae S. Petri*, et in Martyrologio Adonis¹⁴.

Eadem die in Basilicam *Cathedra e Sacrario* deferebatur ante Altare *Subseliarii*, ubi publice Fidelium veneratio-

1 T. iI. Hist. Francor. p. 667.

2 de Vaticana Confessione B. Petri p. cxii.

3 T. v. Junii p. 474.

4 ad diem 18. Januar. pag. 50.

5 V. T. iv. Spicil. Dacherii p. 629. et T. xiiI. p. 395. T. iII. Anecd. Martene p. 1553. 1565. 1574. 1595. 1607.

6 V. Chimentellium de honore biselli c. xix. et Pitiscum in *Cathedra*.

ni exponi consueverat. Hujus autem Festi celebritas, in quo, ut monet Mallius ¹, *Lectorium B. Petri ornabatur*, Romae instituta fuit, ad abolendam Gentilium superstitionem, epulas, et vina hac die deferendi ad tumulos mortuorum, quos, *quasi animae de Corporibus egressae*, ut ait auctor Serm. xv, olim inter Augustinianos relati ², *carnales cibos requirerent*, iis vesci, stolide putabant.

Audi, quid in hanc rem scriptum reliquit Gulielmus Durandus ³. *Consuetudo facta fuit a gentibus, quod singulis annis, mense Februario, die certo, epulas offerebant super tumulos suorum mortuorum, quorum animas credebant circa tumulos conversari, et ideo refici, sed eas Daemones de nocte sumebant; et propter hanc consuetudinem exstirpandam Ecclesia instituit, ut eo die, quo talia fiebant, celebretur Festum de Cathedratione S. Petri*. Quae quidem a Joh. Beletto fusius exponuntur in *Rationali divinorum Officiorum* ⁴, cujus verba refert etiam Jac. de Voragine, quae talia sunt. *Ab epulis Festum hoc est appellatum B. Petri epularum. Fuit enim consuetudo veterum Ethnicorum, ut singulis annis, mense Februario, certo quopiam die epulas ad Parentum suorum tumulos apponerent, quas nocte Daemones consumebant, quum inde non minus falso, quam ridicule animae refici credebantur. Putabant enim hujusmodi epulas ab animabus circa tumulos errantibus absumi. Haec autem consuetudo, atque hujusmodi falsae opinionis error a Christianis vix exstirpari potuit. Quod quidem quum Viri Sancti animadvertissent, ac penitus illam consuetudinem extinguere voluissent, instituerunt Festum de Cathedra S. Petri, tam de illa, quae fuit Romae, quam quae Antiochiae, idque illo eodem die,*

¹ T. II. Mus. It. in App. Ord. xI. p. 159.

² Serm. I. et xv. de SS. in append. de divers. Serm. LXXIV.

³ de div. Offic. V. Torrigio Grotte Vat. pag. 572.

⁴ c. LXXXIII. p. 191. edit. Venet. 1561.

quo abominanda illa ab Ethnicis fiebant, ut sollemni hoc festo, pravae illius consuetudinis festum omnino exstingueretur.

Nihilominus hujusmodi superstitionem ¹ diu apud Christianos perseverasse, ipsumque *B. Petri* nomen cum ea temere commixtum fuisse constat, ut praeter Beletum tradit Gavantus, qui hoc festum notat sub hoc titulo ². *Sollemnitas, et Festum epularum B. Petri*. Haec eadem Festivitas, alio nomine, *Cara Cognatio* nuncupabatur; cujus quidem appellationis rationem explicat Ptolemaeus Silvius in Laterculo. ³ VII. Kal. Mart. *Depositio S. Petri, et Paulli*. *Cara Cognatio; ita dicta, quia tunc, etsi fuerint vivorum Parentum odia, tempore obitus deponuntur*. Propterea Patres Conc. Turonensis II, ut pravam hanc consuetudinem depellerent, ita sapientissime providerunt Can. XXI. *Sunt, qui in festivitate Cathedrae Domni Petri Apostoli cibos mortuis offerunt; redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores, et post Corpus Domini, sacratas Daemoni accipiunt escas. Contestamur illam sollicitudinem tam Pastores, quam Presbyteros gerere, ut quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare, quae ad Ecclesiae rationem non pertinent, eos ab Ecclesia sancta auctoritate repellant*. Hanc superstitionem usque in Africam manasse docent Tertullianus ⁴, Augustinus ⁵, aliique ⁶; ac praesertim Hiero-

¹ Wolphangus. Gaspar Troppaneger. de Epulis Vet. Chr. sepulcralibus. Witt. 1710. Sertorius Vrsatus. in Monum. Patavin. p. 122. Fesselius. lib. I. Adversar. Sacr. c. XI. Ianus Guilielmus. Verisimil. III. 8. Stuckius. Antiquitat. Convivel. lib. 25. Gabiel Marquartus. de Epulo ferali Vet. Lipsiae 1693, et 1710. 4. Mich. Christ. Hannovius. de Epulis feralibus. Gedani 1728. Carmeli dell' uso di far Conviti

sopra i sepolcri. p. 189.

² T. II. §. VII. c. III. p. 202.

³ V. Steph. Borgia de Vat. Confessione B. Petri p. 107.

⁴ de Resur. carnis et de Test. animae cap. IV.

⁵ de morib. Eccl. adv. Manich. c. XXI. Serm. 120. de diver. et in epist. LXIV. ad Aurelium, et ad Psalm. XLVIII.

⁶ Petrus [Damiani]. lib. I. epist. 20.

nymus Macer in *Hierolexico*, haec ait ¹. *Festum epularum, Festum Cathedrae S. Petri, in quo die Christiani, praecipue in Africa, epulari solebant, de quibus D. Augustinus lib. VI. Confess. c. II. quum, inquit, ad memorias SS. sicut in Africa solet, pultes, et panem, et merum attulisset. Mos est gentilium superstitione introductus, qui in eodem prorsus die, super mortuorum sepulcra, cibos collocare solebant.*

Quae tamen insania, temporis decursu, sensim evanuit, eamque in Italia praesertim defecisse scimus, priusquam S. Monica ad ejus oras appelleret. Deinde enim *Cathedrae Antiochenae* sollemnitas omni religione celebrata est, et *Cathedra* eodem die e *Sacrario* ante *Aram Subse-liarii*, *Canonicorum* humeris, ob reverentiam deportata, uti liquet e *Nicolai III. diplomate* ², ubi assignantur, *denarii, qui dantur Canonicis portantibus ad Altare, et reportantibus Cathedram S. Petri.* Praeterea *Canonicis* mediam oblationum partem deberi tradidit *Grimaldus*, ubi retulit ³. *Ex antiquo Instrumento in pergamento quorundam capitum libelli antiquissimi a dicto P. Mallio compilati, super antiquitatibus, et consuetudinibus d. Bas. ut in memorato Archivo capsula 2. fasciculo 252. videre licet, dum agit de Oblationibus, haec inquit. Oblatio, quae offertur in Cathedra, ex quo extrahitur, usque dum reponatur, medietas est Canonicorum, altera Ministeriorum. Quae autem infra tempus ibi ponuntur, Canonicorum sunt. Similiter fit de Oblationibus Sudarii, quando extrahitur, usque dum reponatur,*

Baronius. ad Martyrol. 3. et 13. Bollandistae. die xviii. Jan. Balutius. ad Capit. Reg. Franc. lib. vi. cap. 194. p. 472. Turnebus. lib. xxiii. Advers. cap. iv. Rosveidus. ad Paulini Epistol. xvi. Livinejus. ad Panegy. p. 332.

¹ p. 271.

² T. II. Bull. Vatic. pag. 183. et apud Turrigium Sacri Trofei Romani c. xxi. della Cattedra, dove sedeva S. Pietro in Roma. pag. 124. e nelle Grotte Vat. pag. 567. ³ fol. 56.

et infra. Scalae autem, et tabulatum ante Sudarium, et omnia, quae spectant ad apparatus ejus, de oblationibus, quae ibi offeruntur, fieri debent, praeter luminaria Lampadarum. Idemque Mallius memorat ¹ Candelas sex, quae ponuntur in Choro, de oblationibus Cathedrae.

Sollemnem vero Cathedrae translationem, praeter Turrigium ², et Volaterranum ³, aperte indicat Antonius Petri, qui in suo *Diario* ad annum MCDXII. die XXI. Februarii, haec memoriae consignavit ⁴. *Cathedra S. Petri fuit posita ante cancellos in Choro majori per totam Missam, quam celebravit D. Card. Petrus Fernandus Friaz, a Clemente VIII. Pseudo Pontifice creatus. Item post Missam fuit posita in suo loco prope Crucifixum, ut moris est. Quis autem hujusmodi ritum improbaverit, qui una cum Ioh. Scheffero ⁵, Gisberto Cupero ⁶, Ducangio ⁷, Meursio ⁸, et Ioh. Taffino ⁹, vel ipsas Deorum imagines sollemni pompa circumgestatas, aut in thensis circumductas fuisse sciatur?*

Insequenti vero aetate, in more positum fuit, ut non solum ante aram *Subseliarii* deferretur, sed ut ex eo loco, a Vaticano Clero, faces accensas praeferente, ad Aram principem Basilicae sollemni pompa deduceretur. Qua de causa factum est, ut in Canonicorum locum, seni Capellani sufficerentur, qui eam suis humeris, illuc deferrent, ubi, ut refert Sindonius ¹⁰, in contignatione ibi de industria constituta collocabatur, ac frequentissimo populi concursu per integram diem colebatur.

1 V. Terrigio Grotte Vat. p. 566.

2 p. 151.

3 T. xxiii. rer. Ital. Murat.

4 apud eundem T. xxiv. p. 1023.

5 de re vehiculari.

6 in Harpocrate p. 130. 165.

7 in Glossario Graeco.

8 in Graecia feriata p. 4.

9 de anno Seculari. Tornaci Nervior. 1641. 4. et in Tom. viii. Thes. Graev. p. 549. 551. 553.

10 pag. 42.

Dignum autem notatu est, quod discimus ex Anonymo, Valerii Dorici typis excuso, qui ait ¹. *In festo, quod dicitur Cathedra Petri, ponitur foras ad Chorum cum sollemnitate, ubi homines per suam devotionem eandem attingere possunt. Quod certatim praestare studebant cingulis holosericis versicoloribus, quae Cathedrae reverenter admota, in domos suas osculando secum ferebant, et tamquam rem veneratione dignam religiose custodiebant, ut docet Grimaldus, hujusmodi verbis ². Praeter eximiam devotionem universorum Christifidelium erga tam excelsam lineage Cathedrae, in qua BB. Petrus Romae Pontificatum gessit, reverentiam, non sunt reticenda cingula, quae in utriusque Cathedrae festivitatibus, et per annum huic Sedi admota, et ad varias Mundi partes delata, divina operante gratia, parturientes Mulieres intercessione B. Petri mirum in modum adjuvant, periculo eximunt, ac sanitati restitunt.*

Sed praecipue memorandus est ritus vetustissimus a Romanis Pontificibus servatus, qui quotannis festo Cathedrae die, dum sollemni sacro interessent, in ea sedere consueverunt. Cujus quidem caeremoniae usum declarat Benedictus Canonicus, ubi ait ³, ad hunc diem. *Statio in ejus Basilica. D. Papa debet sedere in Cathedra ad Missam. Quod item peragebatur, quum quis Pontifex renunciatus esset. Nam vel a primis Ecclesiae incunabulis usus obtinebat, qui iccirco canam consuetudinem, ut ait Anastasius ⁴, redolebat, ut is, in quem Sacerdotes, et Clerus convenissent, in Patriarchium Lateranense duceretur, et in solio Pontificio sublimatus, quum pedum beatorum osculo*

¹ Torrigio Grotte Vat. p. 575.

² in Catal. reliq. p. 60.

³ apud Mabillonium Tom. II. Mus. Ital.

in Ord. xI. p. 133.

⁴ T. I. in vita S. Marci pag. 1109. et

Sergii T. III. f. vII. p. 40.

a Proceribus , et Populo , Pontifex acclamaretur , proximo autem die Dominico , manto Pontificali indutus , ad Ecclesiam S. Petri , cum hymnis , et canticis equitaret , ubi in Apostolica sacratissima Petri Cathedra collocatus , recitata super eum collecta , ab Episcopo Hostiensi , ex institutione S. Marci Papae , Pallio Pontificali indueretur , ac ita Urbis , et Orbis Pontifex constitutus , Missarum sollemnia ageret . Quod ipsum , praeter testimonium Othonis Frisingensis ¹ , si opus esset , probari posset Joh. Pinadellii verbis , quae refert Turrigius ² in hunc modum . *Quum antea novus Pontifex solum ad Cathedram S. Petri deduceretur , cui insidens possessionem acciperet .*

Postremo illud etiam addendum est , hunc diem nonnullis in locis ad Episcoporum ordinationem fuisse destinatum , ut ex S. Samsonis Episcopi Dolensis vita colligimus , ubi legitur . ³ *Honorifico exceperunt obsequio , eumque Abbatem nolentem , in Monasterio diem consuetum habentes , quando ad Episcopos ordinandos in eodem loco convenirent , id est D. Petri Apostoli Cathedra .*

§. 111.

De Festo Cathedrae Romanae .

Quod supra diximus de Festo Cathedrae Antiochenae , idem , Turrigio teste ⁴ , quotannis fieri consuevit xv. Kal. Febr. qua die festum Cathedrae , in qua Petrus Apostolus Pontificatum maximum in Vrbe auspicatus , ibique , ut ait Gregorius ⁵ , *quiescere , et praesentem vitam finire dignatus est* , toto Terrarum Orbe celebrandum a Paulo IV.

¹ de Gestis Frideric. Imper. lib. 11. pag. 67. 70. et 72. ² pag. 566.

Floriacensi Ioh. a Bosco. Lugd. 1605. 3. P. I. p. 464. 4 3. 151.

³ in T. I. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 165. et in T. VI. Iulii Boll. p. 568. et in Bibl.

⁵ in epistol. XL. ad Eulogium Episc. Alexandr. T. 11. lib. VI. pag. 888.

institutum fuit, seu verius antiquae¹ celebritati restitutum. Nam, ut constat e Lectionario Luxoviensi², praesertim in Galliis hac die Festum *Cathedrae B. Petri* praecedebat *Festum Assumptionis B. V.* quod die xviii. Iannarii olim celebrari mos erat³. Voluit itaque Paullus, ut idem *Cathedrae Romanae*, veritatis Magistrae, ac divinorum arcanorum interpreti ubicumque haberetur honos, qui plurimum seculorum intervallo habitus fuerat Festo *Cathedrae Antiochenae*.

Exinde ritus invaluit, ut ea die, Cardinalis Presbyterorum postremus, ad Altare princeps Bas. rei divinae operaretur, impetratis prius literis Apostolicis, quae super unam e Columnis aerei Fastigii Sepulcri Apostolici suspendebantur. Id enim antiquitus in more positum fuisse constat ex Petro Amelio, qui ait⁴. *Antequam Cardinalis induat, presentetur Bulla, quomodo Papa dispensat cum eo, quatenus possit celebrare super Aram S. Petri, et per totam diem pendet ante Regias⁵, et ita in omnibus aliis Missis, quae super illud celebrabantur.* Id vero ad nostra usque tempora, *Cathedrae* festo die, servatum est. Nam SS. D. N. PIVS VI, omnium postremus fuit, qui, vi diplomatis, e Columna suspensi, dum adhuc esset Cardinalis, ibidem sacrum sollemne celebravit. Siquidem li-

¹ Tom. iv. Spicileg. Dacherii p. 622. et T. xlii. p. 392. Tom. lli. Anecdor. Martene p. 1551. 1564. 1564. 1573. 1594. et in Tom. lli. de antiq. Eccles. Rit. pag. 568.

² in T. I. Mus. Ital. Mabillonii p. 297.

³ ibid. p. 56. 298. 300. 301.

⁴ in Ord. xv. §. xvii. de Circumcisione Domini p. 455. V. p. 163.

⁵ Ad haec Mabillonius p. 456. Certe huiusmodi Bulla ibidem appendi solet

etiannunc; atque ita factum vidimus die festo S. Petri in Bas. Vatic. ubi ad unam e Columnis, quae Ciborium sustinent, haec Bulla posita est. *Rem narrat in T. I. Mus. Ital. p. 55.* Festo S. Petri Missa sollemnis in ara principe Vat. a Card. Cibo celebrata est. Diploma concessae facultatis per Pontificem, cui soli sacra facere in hoc Altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor Columnis, quae Baldachinum fulciunt.

teris datis die xx. Dec. anni primi sui Pontificatus, hujusmodi privilegium Cardinalibus Archipresbyteris Basil. perpetuo addixit ¹.

Ejusdem vero Cathedrae translationis ritus ad Cellam Subseliarii, et ad aram principem Basilicae servatus est, donec e Cella Urbani VIII, Bernini opera, aerea altera Cathedra, auro circumtectata, inclusa, et ab aeneis, auratisque Ecclesiae Doctorum, quorum duo Latini, totidemque Graeci, Statuis erecta, ac sustentata, sub augustissimi Templi majori apside ab Alexandro VII. collocata est.

De hac porro Cathedra, deque utriusque delationis ritu, ac caeremoniis multa erudite congesta sunt a Turrius ², et Sindonio ³. Verum prae ceteris, ut alios omittam ⁴, consulendae sunt eruditissimae dissertationes Ant. M. Phoebei de *identitate Cathedrae*, et Cajetani Genii de *Cathedra Romana*, quae Tomo IV. Anastasii, editionis Blanchinianae intexta est, ubi plura, et exquisita de utriusque Cathedrae sollemnitate proferuntur.

¹ V. Cl. Steph. Borgia de Vat. B. Petri Confess. p. 49.

² p. 562. 575. ³ p. 69. 46.

⁴ V. Baronium. ad an. XLV. Jacobum Naclantum. Tractatio, quando Petrus Romam accesserit, et quot annos in illa Cathedram Pontificiam tenuerit. in ejusd. Opp. Ven. 1567. f. T. I. p. 175. et Godofr. Henschenium. T. II. Januarii die XVII. Conr. Ianningum, T. III. Feb. d. XXI. p. 283. Papebrochium. Dissert. de Sede S. Petri Antiochena, et Romana, et utriusque initio. in Propylaeo ad Acta SS. Maii p. 11. Fleurium. Tom. v. Iunii p. 459. Mabillonium. de Litur. Gallic. Sollierium.

in notis ad Vsuardum. Florentinum. in not. ad Mart. Hieronym. Scheltratum. T. I. Ant. Eccl. pag. 611. et 673. Barph. Plazzam. in Eph. Vat. Dom. Georgium. in notis ad Martyr. Adonis. Alex. Mazochium. in Calend. Neapol. p. 49. et seq. Caj. Merati. in Observ. ad Gavant. T. II. Sect. VII. c. III. n. XVII. Ios. Mariam del Pezzo. Difesa de' lib. Liturg. e del Card. Tomasi cap. II. §. VI. n. VI. Ant. Franc. Vezzosi. T. IV. edit. Thomas. p. 3. et T. VI. pag. 267. Vincent. Alexand. Constantium. cap. III. in Append. Opp. Card. Cortesii. Steph. Borgia. in Vatic. Confess. B. Petri p. XI., et XVII. et seq.

§. IV.

De Martyrum Peristromate ibidem custodito.

Jamvero ad nostram Cellam redeamus. Ibidem, ut cum Ciampinio ¹ auctor est Alpharanus ², *Martyrum Culcitra, qua eorundem SS. MM. Corpora operiebantur, quum ad hanc Basilicam, juxta Corpus B. Petri ad sepeliendum efferebantur, honorifice servabatur, quae item Stragulum Martyrum sanguine adpersum, vocari consuevit. Quanta enim cura, ac religione veteres Christiani Martyrum sanguinem, vel in spongiis colligerent, ut in ampullas studiose inferrent, vel pannis, ac linteaminibus exciperent, pererudite demonstravit Mabillonius de cultu SS. ignotorum ³.*

De eodem *stragulo*, quod a nonnullis fertur ad sepelienda Zenonis ⁴ Tribuni militum, ac decem millium ducentorum trium MM. Corpora inserviisse, quos Martyrologium Rom. die xxiv. Junii *nobiles primitias Romanorum MM.* appellat, referunt Turrigius ⁵, et Aringhius ⁶ in quodam Archivi Bas. ms. ita legi. *In Basilica S. Petri exstat pannus, quo, tempore persecutionis, Viri pii, et timorati utebantur, ad sepeliendum SS. Martyribus (sic) Corpora. Reliquia insignis, et maximae devotionis. Non multo post addunt, in veteri Calendario ms. haec haberi. Die xxii. Junii. Decem millia Martyrum. Habemus de eorum reliquiis, et eo die multitudo Mulierum confluit ad Basilicam, flexis genibus gradus ascendentium, et faculas accensas in manu gestantium, sacrumque pro Martyribus postulantium. Sic enim Virgines nubiles Conjugatorem, Nuptae foecunditatem, ut ait idem Turrigius, sibi pollicebantur.*

¹ p. 90. ² ms. n. 169. p. 63.

Sociis Romae notitia in T. II. Jul. Boll.

³ Tridenti 1724. §. IV.

p. 687.

⁴ Io. Bapt. Sollerii de S. Zenone M. et

⁵ p. 124.

⁶ lib. II. c. IV. n. VII.

Item in vetusto Kalendario ejusdem Basilicae, die XXI. Julii, Festum S. Praxedis indicatur, hac notula adjuncta ¹. *Habemus Culcitram Martyrum*. Nam a vetustissimis usque temporibus in Bas. Vat. celebrabantur *vigilia cum silentio, et jejuniis* ², festumque MCDLXXX. MM. Persarum, qui in Cosroes presecutione obierunt, ac quorum acta in Bas. Passionario, plus minus xI. Seculi, occurrunt ³. Verum XIV. Sec. ineunte, haud amplius de MM. Persis occurrit mentio, iisque substitutus fuisse videtur cultus x. mille MM. ⁴.

Hoc idem stragulum supra Pontem ligneum, qui sub arcu Triumphali veteris Basilicae, ante sacram Petri Confessionem exstabat, olim, ut tradidit Alpharanus ⁵, publicae venerationi exponebatur, die Adscensionis. Praeterea, ut ex altero Archivi MSS. colligitur ⁶, *quando se tiene fora alla Chiesa la Cultra de' Martiri dall'Ascensione al primo d'Agosto, se gli mette una lampada continua notti, et giorno*. Ejusdem cultus ita meminit Paul. Aringhius ⁷. *Culcitra, quae cooperiendis BB. MM. Cadaveribus, dum haec post caedem recenti adhuc sanguine respersa in Vat. Caemeterium a Fidelibus tumulanda deferrentur, insertiebatur . . . dignum pietatis monumentum, ac sacris Athletarum Christi exuviis nobilitatum, quorum pretiosissimi sanguinis guttas hausit, summo venerationis cultu inter ceteras reliquias servatur, et conspicienda Populo, ac veneranda proponitur, certis quibusdam sollemnioribus diebus, sed praecipue festo Domini-*

¹ Notizie, Regole, e Orazioni in onore de SS. MM. della Bas. Vat. per l'esercizio divoto, solito praticarsi in tempo, che sta ivi esposta la loro sacra Coltre. Roma 1756. 8.

² in Arch. I. A. 4 p. 52. Garampi p. 38. Antonelli Miss. Later. p. 218. Papebroch.

Acta SS. T. IV. Junii p. 188.

³ Garampi p. 30.

⁴ ibid. pag. 3. Rodolph. Tungrensis de Canon. Observ. Missale segn. B. 68. 70. 72.

⁵ c. IV. p. xxxv.

⁶ Garampi Opusc. cit. p. 28.

⁷ Rom. Subterr. lib. II. c. IV. num. VI.

cae Adscensionis die, ingenti pompa, ac musico concentu, et usque ad primam mensis Augusti diem, magna confluentium devotione invisitur, ad consequendos sacrarum Indulgentiarum Thesaurus. Quotidie vero, toto hoc temporis spatio, usus invaluit, ut Concio in Bas. haberetur; ac proinde anno MCCXCIX. orta est controversia, ab Archipresbytero, et Capitulo dirempta, inter Fratres Praedicatorum, Minores, et Eremitanos¹; Quis eorum deberet proponere Verbum Dei ad praedicandum publice in ipsa Basilica, in Festo Adscensionis D. N. I. C. post Vesperas, et sequentibus diebus, usque ad Calendas Aug. inclusive. Cujus quidem usus vestigium adhuc exstat in Concione, quae, pio Joh. Bapt. Vives instituto², quotannis ibidem habetur, festa die Vinculorum S. Petri. Putandum vero est, diem J. C. in Coelos adscendenti sacram, prae ceteris selectam fuisse, ad sacrum hoc Peristroma, et insignem *Veronicae* Reliquiam³ palam ostendendam, quod in pluribus Ecclesiis⁴, eadem die, sollemnis pompa, circumgestatis SS. Reliquiis, habebatur, ut triumphalis Servatoris Nostri in Coelos ingressus, una cum Sanctorum Choris, imago quaedam exhiberetur⁵.

Nunc idem sacrum Peristroma, in majori parastata, una cum *Capite B. Andreae*, pie adservatur, atque de podio, post Vesperas diei Adscensionis, adstante Clero Vaticano, Fidelium adspectibus, et venerationi sacris caeremoniis protenditur, eademque sollemnitate reponitur post

1 Garampi loc. cit. pag. 43. ex Arch. Pergam. cass. VI, fasc. 267.

2 ibid. p. 26. ex Actis Capitul. an. 1631.

3 ibid. p. 41. et apud Albertinum in lib. de Mirab. Urbis.

4 ibid. p. 40.

5 ibid. p. 40. V. Durand. Rat. Div. Offic.

lib. VI, p. 393. Ioh. de Ioh. de div. Sicul. Offic. pag. 312, 313. Rab. Maur. lib. II. c. XLVII. Martene de Ant. Eccl. Rit. Tom. IV. p. 454. Serarium, Eveillon, et Ioh. de Bonis de Processionibus Ecclesiasticis opus Historico-Theologico-Canonicum. Mediolani 1773. 4.

Vesperas Kalendarum Augusti, ut Barpth. Piazza ¹, et praestantissimus Card. Jos. M. Garampius diligenter adnotarunt ².

§. v.

De Reliquiis majoribus ibidem reconditis.

Sub hujus Altaris mensa, asservabatur capsula ferrea, ubi repositae fuerunt *Reliquiae*, quas vocant *Majores*, *sacratissimi Sudarii*, seu *Vultus Sancti*, aut *Veronicae* ³, *sacrae*

¹ in Eph. Vat. p. 356. et 456.

² Suole esporri questa reliquia alla pubblica venerazione nella festa dell'Ascensione di N. S. dopo li secondi Vespri sulla Loggia del gran Pilastro della Cupola, dove si conserva continovamente il Venerabile Capo di S. Andrea Apostolo, e resta esposta in d. Loggia sino al primo giorno di Agosto, festa dei Vincoli di S. Pietro, in cui, dopo i secondi Vespri, viene indi rimossa, e riposta nel suo luogo. Alla funzione sud. si aggiunge anche un sermone, sopra la divina Provvidenza, e ciò per pia intenzione di Mons. Gio. Batt. Vives, che volle, si facesse presso la Confessione di S. Pietro. Il Rmo Capitolo Vaticano aderì a' suoi pii desiderj alli 23. di Giugno dell'anno 1631, e fissò perpetuamente il giorno della festa de' Vincoli di S. Pietro, in cui dovesse farsi detto Sermone. Mons. Ludovico Bianchetti, Maestro di Camera di PP. Gregorio XIII. e Canonico di d. Basilica, per la venerazione, che portava a questa sagra Coltre, fecela ricoprire tutta con un ricco tappeto di velluto rosso, fregiato in mezzo con una Croce d'oro. L'anno del Giubileo 1775, nel mese di Maggio, fu di

nuovo ricoperta tutta di lana d'oro, con tornata di raso bianco, e gallone parimente d'oro, sopra del quale sono ricamate riccamente in oro varie corone, palme, e monogrammi, essendo Custodi delle sacre reliquie i Sig. Canonici Mons. Guido de' Bagni, e Valenti. Nell'occasione, che fu disfatta, ne fu posta una porzione in un Reliquiario, autenticata dalli medesimi, per poterla con più comodo mostrare al Popolo, la seconda Festa di Pasqua di Risurrezione. La d. Coltre ora si conserva nell'istessa Loggia, da cui si espone, dentro di una Cassa con triplici serrature, fatta a tale effetto. Nel piede del reliquiario fatto di nuovo si legge

EX CVLCITRA SANCTORVM
MARTYRVVM

In Catal. reliq.

³ Consule, si lubet, M. Ant. Dominicy de Sudario Capitis Christi, asservato in Ecclesia Carducensi. Cardu. 1640. 4. Chifflet. de Linteis Sepulcralibus Christi Salvat. Antuer. 1624. 4. Baillet hist. des Fêtes Mobiles art. 12. des Instrumens de la Pass. Bollandum. T. I. Febr. die iv. Papebrochium. in respons. ad Exhibit. Error. Mabillonium. in Mus. Ital. T. I. p. 87.

*Lanceae*¹, et *Capitis S. Andreae*, in minoris navis Basilicae veteris dejectione, e suis Altaribus, et loculis eversis remotae. Earum translationis testem habeo locupletissi-

Honoratum a S. Maria. Paris. 1716. 4, et in T. II. Anim. in Reg. et Vs. Crit. Joh. Franc. Dunod de Charnage Diss. sur le S. Suaire de Besancon. dans l' Hist. de l' Eglise de Besancon 1750. T. II. 4. Herbelot Histoire de la S. Face, conservée dans l' Abbaye de Monstrevil. Reims 1628. Laon 1660. et 1723. Joh. Harduinum Explic. d' une Inscription, qui est au bas d' un tableau de N. S. qu' on appelle la Veronique, ou la S. Face. dans le Journ. des Scavans Mart. 1707. p. 518. et in Harduini Op. Select. p. 917. Amst. 1709. fol. Gretserum T. I. Op. pag. 101. August. Calcagnini dell' imagine Edessena, o sia del S. Sudario, che N. S. G. C. mandò al Re Abagaro . . . con un distinto ragguaglio di tutti i sacri Sudarj, Volti S. e Sindoni, che sono in venerazione nella Cristianità. Genova 1639. 4. Joh. Reiskium de imaginibus Iesu Chr. quotquot vulgo circumferuntur. Ienae 1671. 1685. 4. Sandinium in Histor. de Christo Domino cap. XIX. Philippum M. Dionysium. in Bull. Vat. Cryptar. Mon. p. 38. Ern. Salom. Cyprianum. in diss. de Sudariis Christi. Ien. 1704. et Lips. 1726. 4. Gallum scriptorem Anonymum. dissert. phisico-theologiques . . . sur un Tableau, de I. C. qu' on appelle la Sainte Face. Amst. 1742. Torrigio Grotte Vat. p. 81. Martinetti Pregj della Basil. Vat. p. 23. aliosque. V. p. 855.

¹ Vide sis, Innocentii VI. Bullam a Gretsero, Seelen, Nicolao Staphorst, T. II. Hist. Eccl. Hamburgi pag. 676. et Christiano Lunigio. in Contin. I. Spicilegii Eccles. pag. 78. editam. Gretserum. T. I. pag. 101. in Syntagmate de SS. reliquiis, et regalibus monumentis,

praesertim quadruplici lancea Dominica, Mauritianae, Constantiniana, et Carolina. Lambertinum. de Beat. et Canon. I. IV. P. II. c. xxxI. n. xII. Bull. Vat. T. p. 346. Tom. II. p. 4. 6. 16. 18. 374. Tom. III. p. 236. 266. 282. 291. in Append. pag. 15. Richard. Gibbonum. in Alph. Palaeotti Hist. admiranda . . . et lucubratione de instrumentis dominicae Passionis. Duaci 1616. 4. Francisc. Quaresnium. de V. vulneribus Iesu Christi. Ext. in Thes. Theol. Philol. Amstel. 1702. T. II. pag. 394. Gisbertum Voesium. de perfosso latere Christi. in ejus disputat. Theolog. select. Part. II. p. 195. Ultrajecti 1655. 4. Gasp. Sagittarium de Lancea, qua perfossum Christi latus. Ienae 1673, et in Thes. Theol. Philol. T. II. pag. 381. Abr. Calovium de fluxu sanguinis, et aquae Christi Laterali. Vit. 1679. Joh. Andr. Quenstedtium de Aqua ex Chr. latere profuente. Vit. 1687. et in Menh. T. II. p. 388. Joh. Christianum Ritterum de eodem argumento. in Tom. II. Thes. Theol. Phil. p. 388. Joh. Henr. a Seelen. Commentation. de festo lanceae, et clavorum, quibus Corpus Christi fuit perfossum, in Ducatu Bremensi diu celebrato. Ext. in ejus Miscell. Lubecae 1734. 8. Part. I. pag. 339. Thomam Bartholinum. de latere Christi aperto. Lugd. Batav. 1646. 12. Enochium Svventanium. de lancea militari, qua Christi latus perfossum. Rostochii 1686. Joh. Davidem Koelerum. de Imperiali sacra lancea. Altorfii 1731. 4. Chronicon Paschale. de Lancea, et Spongia repertis sub Heraclio Imperatore pag. 385. et Besense. de Lancea reperta Antiochia ad an. 1098. T. v. Script. Ital. Muratorii pag. 155.

mum Iac. Grimaldum, qui ait ¹. *Hasce insignes reliquias VIII. Kal. Februarii MDCVI. translatas in Basilicae Sacrarium, in postremo Archivi cubiculo (quod, uti monuimus ², situm erat, supra hanc Cellam) Evangelista Cardinalis Pallottus Basilicae Archipresbyter, suis manibus, intra ferream capsam aureis pannis intus ornatam posuit, et tribus clavibus bene munivit; quarum unam, quae media est, manubrio ex auricalcho ornatam, in crumena ex brocato albo, et rubro positam, idem Cardinalis tradidit Fabio Blondo Patriarchae Hierosolymitano, Pontificiae familiae Praefecto, ut sanctissimis manibus Pontificis traderet. Nam vetustissima viget usque hodie consuetudo, ut Summus Pontifex Sudarii, ac Lanceae penes se jugiter clavem unam habeat, reliquas Canonici Basilicae, et nullus alius. . . . Ante Archivi loci fenestram tres assidue ardebant lampades argenteae.*

Eodem vero anno, die XXI. Martii, tunc recurrente feria tertia magnae hebdomadae, inde amota haec sacratiora Religionis monumenta, et in editiorem locum majoris parastatae, sollemni pompa translata sunt, e regione alterius ad Septentrionem, ubi, ut notat idem Grimaldus, anno MDCXII. die XXIX. Novembris *S. Andreae Apostoli Caput* in conditorio collocatum fuit. Sed ejus vice Urbanus VIII. Sanctiss. *Crucis* reliquias ex *S. Anastasiae*, et *S. Crucis in Hierusalem* desumptas adjecit anno MDCXXIX. ³, populo ostendendas post *sacram cuspidem*, et ante *Salvatoris* imaginem, Sudario exceptam. Ibi adhuc exstant eodem clausa loculo, ad quem nemini patet accessus, exceptis Bas. Vat. Canonicis, qui eas feria IV. majoris hebdomadae in *Coena Domini*, *Parasceve*, *Sab-*

¹ in lib. Instr. p. 82. et apud Sindonium pag. 79.

² pag. 1253.

³ Torrigio Grotte Vat. p. 217. 280. 421. V. pag. 657.

bato S. Dominica, et Feria II. Paschatis, Adscensione Domini, Dominica I. post Octavam Epiphaniae, et die III. Maii in Inventionem S. Crucis, pulsantibus Campanulis¹, ex Odeo populo ostendunt. De quo ritu, qui est in Ecclesiae more positus, institutoque Majorum, consule, si lubet, Petrum Morettum².

§. VI.

Cur hoc Altare S. Annae dicatum fuerit?

Quum ann. MDCVI. XIII. Kal. Nov. in veteri Bas. dejectum fuisset Altare, Antonio Seniori erectum a Can. Nicolao de Astallis, deinde a Can. Matthia de Paparonibus, Alpharano teste³, dotatum, et S. Annae dicatum, situm inter Portas Argenteam, et Romanam, ubi Schola Stratorum, sive Societas Parafroniariorum S. R. E. Cardinalium, ut tradit Grimaldus⁴, sua officia jugiter exolvebat⁵, Paullus V. hoc Altare, quod Cathedrae S. Petri sacrum primitus fuerat, in Annae honorem dicari jussit. Ibidem collocata fuit imago S. Annae a Michaelae Angelo Caravaggio depicta⁶,

1 ibid. pag. 383. Nic. V. fece fondere le tre Campane, che suonano in S. Pietro, quando si mostra il Vulto S. et in esse vi è l'arme sue, et intorno queste parole. Nicolaus Papa V. fecit anno Iubilaei 1450. Crescentius de Perusio me fecit.

2 Statuti della V. Archiconfraternita di S. Anna de' Parafrenieri della Santità di N. S. e de' Signori Cardinali, Ambasciatori e Principi, come pure de' Servitori de' Signori Prelati, e Cavalieri Romani. Roma 1751. 4. p. 13.

3 ms. n. 34. p. 24. Infra la Porta Argentea, et Porta Romana vi è un altro Altare antichissimo, de più nome intitolato, prima chiamato di S. Antonio Ab., poi del Spirito S., adesso se chiama

l'Altare de S. Anna, dove officia la Compagnia de' Parafrenieri degli Rmi Cardinali, et alla parte del Evangelio in marmore è insculpto questo titolo

Hoc opus et Altare erigi, ac consecrari fecit Venerabilis Vir Dnus Nicolaus de Astallis Canonicus hujus Basilicae sub vocabulo S. Antonii Heremiteae Confessoris, per manus Ven. Patris Dni Raymundi Epi Reatin. ac Dni PP. in Vrbe Vicarii, concessa indulgentia unius anni per ann. Dni M. CCC. XLIIII. mensis Martii die XXIII.

4 in lib. Instr. p. 11.

5 de ritu Ostensionis Sacrar. reliquiar.

6 Grimaldus pag. 147, et apud Sindonium de Alt. in S. Annae honorem di-

cujus vice postremis temporibus alia visebatur, *Veronicam* repraesentans, lineum nempe velum, in quo Christus imaginem sui vultus impressit, quem ante passionem exersit, sine pennicillo expressa, uti supposita docebat inscriptio. *Per Vgo de' Carpi intajatore fata senza penelo*. De hac imagine exstat facetum Bonarotae, Vasario iconem risu indigitanti, responsum¹. *Sarebbe meglio, che avesse adoperato il pennello, e che l'avesse fatta di miglior maniera*. Haud absimile videtur, quod legitur in Catalogo Codicum MSS. Bibliothecae Paullinae². *Fini vi librum totum sine manibus istum*.

Denique hoc Altare Benedictus XIV, dum esset Theodosiae Archiepiscopus, et Bas. Canonicus an. MDCCXXVI. XI. Kal. Januarii, sollemni ritu consecravit, ibidemque SS. MM. Constantii, et Justi exsuvias reposuit, cum hac inscriptione

*Prosper de Lambertinis Archiep. Theodosiae hujus
Bas. Canonicus consecravit hoc Altare die XXI. Decem.*


MDCCXXVI.

eato p. 78. Nota, quod Parafraenarii non potuerunt Sacellum in novo Templo obtinere, licet Iconem S. Annae, manu Mich. Ang. de Caravaggio eximii pictoris in pegmate, sive spatio Arae, cui unus

tholus ad Septentriones superjacet, in qua S. Ioh. Chrysestomi Corpus condendum est, ipsorum impensa posuissent.

1 T. II. Vit. Vasari p. 422. edit. Palear.

2 Lipsiae 1686. 12. p. 441.



CAPUT VIII.

De Cella SS. Andreae , et Iacobi Majoris .

Haec Cella aliam excipiebat multo nobiliorem , quae in Orientem vergebat num. 170, quam perperam Sindonius ¹, et Bull. Vat. editores ², *SS. Andreae , et Iacobo Minori* dictam fuisse tradunt, quum Alpharanus ³, cui Ciampinius ⁴ adhaesit, *SS. Andreae , et Iacobo Majori* sacram fuisse, diserte scripserit. Ac profecto probabilius videtur, *Andreae* Apost. qui *vocatione primus* fuit, Iacobum cognomento *Majorum*, Fratrem Johannis Theologi, quem Christus pluris, quam minorem, fecit, fuisse conjunctum.

Si quis autem, hoc eodem loco exstitisse Altare a *Symmacho B. Andreae*, dum Templum rotundum construxit, primitus consecratum putaret, is, meo iudicio, non erit reprehendendus. Verisimile enim est, *Callixtum* III, qui hoc Altare non minus ei, quam *Iacobo Majori* dedicavit, pristinam *S. Andreae* memoriam, quae sub *Nicolao V.* ⁵ decessore suo adhuc vigeat, aliqua ex parte conservare voluisse.

§. I.

De Callixti III. sepulcro .

Quum non modo idem *Callixtus*, Cellam Altari marmoreo magnificentissime exornaverit, cum marmoreis utriusque Apostoli simulacris, sed etiam marmoreum ibidem sibi sepulcrum constituerit, iccirco Paullus de Angelis, quem Janningus ⁶ sequitur, *Sacellum , et sepulcrum Cal-*

¹ p. 80. ² V. pag. 1211.

³ ms. p. 170. p. 64.

⁴ p. 90.

⁶ 157. n. 392.

⁵ V. p. 1211.

lixiti III, et Alexandri VI, et quorundam Cardinalium, multorumque Nobilium, generatim vocavit, nulla SS. Apostolorum mentione injecta.

Quantae vero pulcritudinis esset hoc *Callixti* sepulcrum, conjicere licet ex ornamentis anaglypticis, et simulacris, quae illud vestiebant, quaeque etiamnum in cryptis Vaticanis supersunt, a Turrigio ¹, et a Dionysio ² descripta. Verum in primis ex iis eminuit imago marmorea, quae vulgo *Pietatis* appellabatur, Christumque repraesentabat, protensis, vulneratisque manibus, quae in Cryptis Vaticanis, ut docent Turrigius ³, et Sindonius ⁴, hodieque servatur, cum hac inscriptione. *Imago haec marmorea Christi pietatem excitantis erat ad sepulchrum Callixti III. hic Urbano PP. VIII. anno 1631. affixa.*

Panvinius, et Ciacconius intra marmoreum hoc sepulcrum, Pontificem conditum fuisse existimarunt. Primus enim scribit ⁵, *sepultus marmoreo Mausoleo, in Sacratio Basilicae S. Petri, sine epitaphio.* Alter vero post vitam a Stella conscriptam, de qua vide Papebrochium ⁶, sic ait ⁷. *Corpus Nepotes ejus in Vaticano, ad sinistram Basilicae B. Petri, marmoreo tumulo sepelierunt in Templo rotundo, quod S. M. in febris dicitur, et hodie pro Sacratio, quod Sacristiam vocant, in usu est, et olim Apollinis Templum fuisse putatur, Nicolai V. impensa restitutum.* Ceterum Ciampinius ⁸, et Oldoinius ⁹, Cenotaphium fuisse tradiderunt, et *Callixtum humatum in tumulo quodam, instar aulae, concamerato, in penetralibus hujus Sacelli.* Quod uterque ab Alfarano accepit, qui ita scriptum reli-

¹ p. 99. 101. 344. et 479.

² Tab. xxvi. p. 60. xxviii. p. 69. et xxix.

pag. 73.

³ p. 102.

⁴ p. 150.

⁵ T. II. ms. p. 126.

⁶ in Con. Cron. hist. pag. 127.

⁷ T. II. col. 983. ⁸ p. 91.

⁹ T. II. in addit. col. 986.

quit ¹. *Iuxta hoc Sacellum sequitur aliud Sacellum longe nobilissimum, quod Orientem respicit, SS. Andreae, et Iac. Majori Apostolis dicatum, a Callixto III. exornatum, in quo idem Pontifex Altare marmoreum, marmoreisque Apostolorum imaginibus exornatum erexit, eximiumque, et marmoreum sepulchrum sibi extruxit; in cujus denique Sacelli penetralibus, instar aulae, tumba ex humanis decedens, conditus fuit cum hac inscriptione in marmorea tabula Callixtus III. P. M.*

§. 11.

Num Alexander VI. in eodem loco sepultus fuerit?

Restat nunc, ut de alterius Pontificis sepultura disseramus. Nam in hanc eandem tumbam, ut cum Alphonso ² pergam, nostris quidem temporibus, Corpus Alexandri VI. Papae, et Henrici Borgiae Ducis Candiae Filii Diac. S. R. E. Card. ex priori loco, ubi antea tumultata jacuerant, translata fuerunt; quin etiam juxta praefatum Callixtum, tres etiam Cardinales Hispanos, videlicet Franciscum Illoris Valentinum, Diac. Card. Tit. S. Mariae Novae, et Ioh. Borgia Presb. Card. S. Susannae, nec non Ioh. Lopez Presbyterum Card. Tit. S. Mariae Transtiberim, juxta suum dilectissimum Dominum sepultos fuisse, nostri seniores tradiderunt.

Panvinius ³, et Grimaldus ⁴ sepulcralem Henrici Car-

¹ ms. n. 170. p. 64.

² ms. n. 170. p. 64. La Cappella coll' Altare di Papa Callisto 111. Ispano di Casa Borgia fu dedicata a S. Andrea, et S. Iacomo Mag. come se vede per le Statue di essi Apostoli. Papa Calisto fu sepolto nel mezo di questa Cappella sotto la sepoltura, in una Cameretta; et in quel medesimo luogo fu trasportato

PP. Alessandro VI. et un altro Cardinale Henrico Borgia, et accanto a Calisto sono stati sepolti tre altri Cardinali, cioè Francesco Illoris, Valentino, et Gio. Borgia suo Nipote, et Ioes Lopes Cardinalis. Il titolo

CALLISTVS III. PONT. MAX.

³ T. 111. ms. p. 80.

⁴ in lib. Instr. p. 183.

dinalis inscriptionem , Ciacconio incompertam , servarunt , quam nos loco suo proferemus . Reliquas aliorum trium Cardinalium , qui eodem tumulo sepulti sunt , nobis aetas invidit .

Heic autem animadvertendum est , *Alexandrum VI* , in eodem *Callixti* Sepulcro , ab initio minime conditum fuisse , ut minus recte nonnulli , ac praecipue Oldoinius ¹ existimarunt . Exstat enim etiamnum Sepulcralis Statua jacens ejusdem *Alexandri* , opere anaglyptico exsculpta , in extrema veterum Cryptarum parte , uti videre licet apud Dionysium ² , qui eam illustrat , quae praeter allatam Alphanani auctoritatem satis nos docet , *Alexandri VI.* sepulcrum , aliud a *Callixti III.* sepulcro primitus fuisse . His accedit , quod Panvinius in ejusdem vita hoc monumentum *vile* appellat ; atque alio loco ³ tradit , *sepultum lateritio monumento in Sacratio S. Petri , quod paullo ante dirutum est , Corpusque ibidem sub terra conditum .* Quod certe non faceret , si in tumba , prope nobile , ac magnificum *Callixti III.* Cenotaphium , primo conditus *Alexander* fuisset . Sed ut omnem , si quae forte superesset , ambiguitatem removeret , alibi ita loquitur ⁴ . *Templum antiquum S. M. de Febre habet Altaria tria . Ibi sepulti sunt Callixtus III. marmoreo sepulchro , Alexander VI. in terra .* Quae quidem Ciacconius ⁵ confirmat , ejusdem *Corpus in Sacratio Bas. Vat. lateritio , et vili monumento sepultum fuisse* narrans . Verum , etsi haec omnia deessent testimonia , rei fidem faceret Inscriptio a Grimaldo allata , ac mox evulganda .

Causa vero errandi fuit , quod hoc sepulcrum insta-

¹ in T. 111. Ciacc. col. 162.

² Tab. XLVII.

³ T. 11. ms. p. 127.

⁴ T. 111. ms. p. 27.

⁵ T. 111. col. 151.
8 A

bili, incertaque sede, non solum in *Sacrario*, sed etiam in Basilica vagatum est. Nam primum *Alexandri* Corpus, ut post *Alpharanum* ¹, et *Grimaldum* ², *Ciampinius* ³ testatur, juxta parietes *Altaris SS. Cosmae, et Damiani*, quod infra describimus, in tumulo lateritio depositum fuit. Deinde, quum Cellam occuparet, in *Callixti* Patruī sepulcrum illatum est, quod deinde in *Obelisci* translatione, propter machinas disiectum fuit, ut docet inscriptio in tegmine capsae plumbeae incisa, a *Grimaldo* ⁴ relata. Id etiam confirmavit *Hieronymus Ferrutius* ⁵, qui *frangendum* fuisse tradidit *parietem Sacrarii, ut Obeliscus a sua priori sede, ubi abditus quodammodo erat, ac semise-pultus in latenti, et angusto loco, in forum Principis Apostolorum transferretur, ex eoque sepulchrum Callixti III. P. quod in ea Sacrarii parte intrinsecus exstabat, tollendum, atque in Ecclesia reponendum*. Itaque intra Basilicam, utriusque Pontificis ossa collocata sunt, nimirum in exteriori muro, quem *Paullus III.* exstruxit, e regione Cellae, ubi *Sacramentum* Augustum hodie adservatur, in navi ad Aquilonem, quae media est majorem inter, et ultimam.

Habemus autem ex *Alpharano* hujusce in Basilicam e *Sacrario* translationis testimonium, quum ita scripserit ⁶. *A parte Evangelii, inter columnas majoris navis Basilicae, ubi aliquando jacuit Cadaver Paulli III. anno Domini 1586, e Templo S. Mariae de febris, fuere translata Cadavera Callixti III, et Alexandri VI, quum fuit transvectus Obeliscus ex illo loco ad Plateam, jussu Xysti V. et*

¹ ms. p. 64.

² in lib. Instr. p. 138. et apud Dionysium p. 120.

³ pag. 91.

⁴ in lib. Instr. p. 138.

⁵ in Supplem. ad Marlianum, et apud Ioh. Henric. a Pflaumern in Mercurio Hospiti fido p. 350.

⁶ apud Sindon. p. 80. et in ms. n. 90. pag. 36.

propterea fuit demolitum Sacellum Callixti III, et eorum sepulcra, quae ibi impedimento erant ad depositionem Obelisci. Quae non solum huiusmodi translationem aperte produnt, sed etiam, quae supra ¹ diximus, de Obelisci collocatione, qui ab hujus Cellae tergo exstabat, egregie confirmant.

Sed in veteris Basilicae demolitione, anno MDCV, die XIX. Octobris, amborum Pontificum Cadavera prope Cellam Xysti IV. in Subseliarii usum exstructam delata sunt, ut ex Turrigio habemus, qui tradidit, in sepulcrali monumento *Alexandri VI*, hanc inscriptionem fuisse insculptam. *Alexandri Papae VI. effigies marmorea*. Ac deinde subdit ². *Ejusdem Alexandri Corpus repertum fuit una cum altero Callixti III. in singulis eorum sepulcris die XXIX. Octobris anno MDCV. ac prope Chorum translatum fuit . . . amborum sepulcra, juxta Altare imaginis B. M. de Succursu, quae nunc est in Sacello Gregoriano, retro organum visebantur*. Quae quidem sumpta fuisse reor ex Jac. Grimaldo, qui haec habet ³. *Translatio Corporum Callixti III, et Alexandri VI. prope Chorum Sixti IIII. Die XIX. Oct. 1605. Fuerunt translata ossa Callixti tertii, et Alexandri Sexti, quae erant retro organa, et posita prope Chorum Sixti Quarti, praesentibus ibidem Ill. et Rmo D. Ant. Card. Zapata, et Exc. D. Marchione de Villiena Oratore Catholico, ac Rmo D. Io. B. Vives Prot. Ap. de numero*.

Tandem, quum idem Ioh. Bapt. Vives ⁴ a Paulo V. postulasset, ut Pontificis utriusque cineres ad *S. Mariae de Monteserrato* deportarentur, annuente Pontifice, III. Kal. Februarii MDCX. privatim ad eandem Aedem delata fue-

¹ p. 1275.

² p. 345.

³ fol. 7.

⁴ V. Rud. Venuti Numismata Pont. p. 16.

runt, ubi hodie jacent. Si quis vero totam harum translationum historiam habere cupiat, eam a Grimaldo, cujus heic verba subjicimus, usque adhuc magnam partem inedita, primum accipiat¹.

1 Die Sabbati trigesima Ianuar. MDCX. In mei etc. pñs et, personaliter constitutus Rñus Dñus Ioannes Bapta Vives Valentinus Sedis Apostolicae Protonotarius, de numero participantium, in Sacrario Sacrosantae Vatic. Basil. Pñpis Aplorum, tenens manibus suis quoddam memoriale Sñi D. N., necnon quandam Schedulam, seu fidem Illñi et Rñi Dñi Card. Cusentini, accessit ad sepulcrum felicitis recordationis Callisti Papae Tertii, et Alexandri Papae Sexti, situm ante Sacellum Chori Sixti Quarti, ad effectum illud aperiendi, et inde ossa praedictorum Pontificum transferendi ad venerabilem Eccl. S. Mariae Montis serrati, Coronae Aragonum de Vrbe, juxta mentem Sñi D. N. Papae; cujus originalis memorialis tenor talis est, prout sequitur, quod penes me Notarium, servandi gratia in Archivo dictae Basilicae remansit. Beatissimo Padre. Havendosi da guastare il Sepolcro di Alessandro Sesto, et Callisto Terzo, che sta nella fabrica vecchia di S. Pietro, Mons. Vives, a nome del Regno di Valenza, supplicò alla Santità Vra, si degnasse dar licenza di trasferire l'ossa di detti Papi nella Chiesa nazionale di detti Papi, sotto il nome della Madonna di Monserrato, per poter ivi fabricare novo sepolcro, et la Santità Vra se ne contentò, con conditione, che l'Arciprete di d. Chiesa se ne contentasse, il quale non farà difficoltà, ogni volta che li constarà la volontà della Santità Vostra; supplica per detto Oratore, si degni rimettere questo memoriale al Sig. Cardinale di Cosenza, Arciprete di S. Pietro, per esecuzione di d. gratia,

che il tutto si haverà per gratia della Stà Vra, quam Deus etc. In fine dicti memorialis leguntur haec verba, scripta manu Illñi et Rñi Dñi Card. Cusentini Archipresbyt. Die octava Iunii MDCVIII. feci verbum cum Sanctissimo, qui supra narrata concessit. E. Card. Cusentinus Archipresb. a tergo dicti memorialis. Alla Santità di N. S. et infra al Signor Card. di Cosenza; ac inferius, Per Mons. Vives Agente del Regno di Valenza. Tenor fidei. Evangelista Pallottus, miseratione divina tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presb. Card. Cusentinus Vat. Bas. Archipresb. Fidem facimus, et attestamus, qualiter SS. D. noster Dñs Paulus divina providentia Papa Quintus, vivae voeis oraculo nobis facto concessit, et dari praecepit Venerabili Eccl. S. Mariae Montis Serrati, Regionis Arenulae de Vrbe, nationis Aragonorum, et pro ex R. P. D. Io. Bapt. Vives Valentino, Sedis Apostolicae Protonotario, de numero participantium, Corpora felicitis recordationis Callisti Papae Tertii, et Alexandri Papae Sexti, recondita in quodam sepulcro marmoreo, in veteri Basil. S. Petri, prope Sacellum Chori Xysti Quarti, ad effectum illa transferendi ad praefatam Ecclesiam S. Mariae, ibiq. tumulanda, et condenda juxta jussionem praelibati Sñi D. Nostri. In quorum fidem pñtes maru nostrā subscripsimus, sigillique nostri jussimus impressione muniri. Datum in nostro Archipresbyterali Palatio, die xxvi. Ianuar. MDCX. E. Cardinalis Cusentinus. Locus ✕ Sigilli. Quod memoriale, et Schedulam ptam reposui in Archivo dictae Basilicae, lecta prius intelligibili voce, ante

dictum sepulcrum, coram d. Rñe D. Io. Baptista, ac testibus infrattis. Tum Coemeterarii aperuerunt sepulcrum, factum in modum Pyramidis, ornatum a lateribus, figuris marmoreis SSrum Callisti Pape, Vincentii Ferrerii, Nicolai, et

Augustini. In facie erat tabula marmorea sculpta his litteris.

CALLISTVS. PAPA. III. ALEX. PAPA. VI.

Quo aperto, extraxerunt inde capsam ligneam, in qua erat alia capsula plumbea, in cuius tegmine haec inscriptio incisa est.

OSSA

CALLISTI . III. ET . ALEXANDRI . VI.
 E . GENTE . BORGIA . SVMMORVM . PONTIFICVM
 ALEXANDRI . CORPVS . IN . SACRARIO
 BASILICAE . CVM . SACELLVM . VBI
 QUIESCEBAT . OCCVPARET . IN . CALLI
 STI . PATRVI . SEPVLCRVM . MARMO
 REO . OPERE . E . REGIONE . SCVLPTV
 A . BASILICANIS . ILLATVM . EST
 DEINDE . IN . OBELISCI . TRANSLA
 TIONE . SVB . SYXTO . V. PROPTER
 MACHINAS . CALLISTI . SEPVLCRUM
 DISIECTO . AMBORVM . PONTIFICVM
 OSSA . SVB . LAPIDE . REPERTA . IOAN
 NES . BAPTISTA . VIVES . VALENTINVS
 APOSTOLICAE . SEDIS . PROTONOTARIVS
 DE . NVMERO . ET . SVBDIACONVS
 IN . BASILICA . VETERI . DECENTER
 PONI . CVRAVIT . IN . CVIVS . DEMO
 LITIONE . SVB . PAVLO . V. IDEM . OB
 HONOREM . COMMVNIS . PATRIAE
 ET . AD . ANIMI . SVI . DEVOTIONEM
 ATQVE . OBSERVANTIAM . ERGA
 ILLVSTRISSIMAM . GENTEM
 BORGIAM . SIGNIFICANDAM
 IN . HVNC . LOCVM . TRANSTVLIT
 ANNO . MDCV.
 PRAESSENTIBVS . ILLVSTRIS . ET
 REVERENDISS. D. D. CARDINALE
 ZAPATA . AC . EXCELLENTISS.
 D. MARCHIONE . DE . BILLENA
 ORATORE . CATHOLICO .

Lecta dicta inscript. fuit aperta Capsa, et testes infratti, ac ibi circumstantes viderunt ossa eorundem Pontificum. His actis, fuit clausa, et in Sacrarium Basilicae cum luminibus delata, et posita in quodam armario. Super quibus etc.

p. 126. Eodem die xxx. Ianuar. 1610. hora 23. In mei etc. pñs et personaliter constitutus, ptus Rñus Dñus Io. Bapta Vives Valentinus, Protonotarius Aplicus de numero participantium, cum interventu RR. DD. Bernardi Ludovici della Cabra

§. III.

De Viris illustribus in hac Cella tumulatis.

Priusquam ex hac Cella egrēdiamur, addendum est, quod Alpharanus de eadem memoriae tradidit. *Ante hoc etiam Sacellum*, inquit¹, *multi etiam praefati Callixti III. et Alexandri VI. Familiares in pavimento sub marmoreis lapidibus, ut ex inscriptione liquet, tumulati fuerunt, scilicet Petrus Caranza, Apostolicus Protonotarius, ex Calatrava Archi-*

Clerici Caesaraugustani, et Raphaelis Monar Clerici Maioricens. Priorum, ac Magnifici Dñi Joannis Ieronymi Rabbassae Secretarii dictae Eccl. S. Mariae Montis-serrati de Vrbe pñtium etc. in Sacrario memoratae Basilicae accessit ad armarium praedictum, apertum a Dño Francisco Maccionetto Sacrista, et lectis ibi publice supradictis scripturis, ac inscriptione capsae plumbeae, visisque praedictorum Pontificum Callisti, et Alexandri ossibus, ab infractis testibus, et aliis ibi circumstantibus, accepit ex armario capsam cum iisdem ossibus, quae tunc posita fuit supra feretrum contacta panno aureo. Dicto psalmo De profundis, cum V. et oratione pro iisdem Summis Pontificibus, Portitores elevarunt feretrum, ac praecedentibus luminibus, et Presbyteris per viam Alexandrinam, recta extulerunt eadem Corpora ad eandem Eccl. S. Mariae Montis serrati, eodem Rño Protonotario, Chianadiense Epo, Prioribus, et Secretario ptis, meque Notario subsequentibus. Super quibus etc.

p. 126. Eadem die xxx. Ian. MDCX. hora prima noctis cum dimidia. In nostrorum Ioannis Hieronymi Rabbassae publici Notarii, et Secretarii Venerabilis Eccl. S. Mariae Montis serrati de Vrbe, et Jacobi Grimaldi, etiam publici Notarii,

Archivistae Archivi Sacrosanctae Basilicae Pñpis Aplorum, in solidum rogatorum, presens, et personaliter constitutus supradictus Rñus Ioannes Baptista Vives Valentinus in pta Venerabili Eccl. S. Mariae cum interventu, et pñtia supranominatorum DD. Priorum ejusdem Ecclesiae, cantato Responsorio, Libera me Dñe, cum V. et Oratione dicta ab ipso Rño Dño stola induto, cum aliis subsequentibus, lectisque publicis ptis scripturis, et ossibus eorundem Summorum Pontificum Callisti Tertii, et Alexandri Sexti ab infrascriptis testibus, et aliis ibi circumstantibus inspectis, ac etiam a dictis Dñis Prioribus, idem Rñus Protonotarius tradidit, et consignavit eandem capsam cum ossibus eorundem Maximorum Pontificum dictis Dñis Bernardo Ludovico della Cabra, et Raphaeli Monar Prioribus memoratae Ecclesiae S. Mariae, in vim gratiae contentae in d. memoriale Sñi D. N. Pauli Quinti Pontificis Maximi. Qui Dñi Priores eadem ossa in dicta plumbea capsula condita de manu ejusdem Rñi Dñi Joan. Baptistae accipientes, vice, et nomine dictae Eccl. S. Mariae in ea decenter asservanda, gratias quantas maximas eidem S. D. N. egerunt. Super quibus etc.

1 ms. n. 170. p. 64.

diaconus, *Alexandri VI. ab arcano cubiculo familiaris, et D. N. Regas ex Astralico citeriore Callixti III. Secretarius, necnon Barcinonen. Thesaurarius. Item Bartholomaeus Valiscar Valentinus Sedis Apostolicae Subdiaconus, Cancellariaeque Notarius dignissimus. Necnon etiam et Melchior Casanova, Sedis Apostolicae Protonotarius, et Antonius Gurree Vmbriac en. Episcopus, una cum B. Petro sacram omnium fidelium resurrectionem exspectantes. Singulas autem Inscriptiones, in Sylloge veterum Monumentorum, accurate referemus, atque illustrabimus.*

Denique cum Panvinio ², et Sindonio ³ notandum est, in hoc loco Presbyteros rem divinam facturos, sacris vestibus amiciri consuevisse; quod usque ad *Sacrarum* dejectionem a Bas. Beneficiariis, aliisque Sacerdotibus factum fuisse, nosmet ipsi oculis usurpavimus.

C A P V T V I I I I .

*De Altari, in cujus pariete primitus depicta fuit effigies
D. N. M. Febrifugiae.*

Cellae SS. *Andrae, et Iacobi Majoris* continens erat altera *B. M. a Febris* sacra, num. 172, in cujus pariete antiquitus depicta fuit celeberrima ejus imago, ex qua deinde totum Templum *S. M. Februm* cognominatum fuisse vidimus. Aequum est igitur, ut, quidquid ad vetustam hanc effigiem pertinet, accurate pervolvamus.

² T. II. ms. p. 140.

³ in Descr. Hist. Altarium, et Reliq. Bas. Vat. p. 80. de ea parte Sacrarum, in qua a

Sacerdotibus fit praeparatio ad Missam, et a Beneficiatis sacrae vestes ad divina peragenda sumuntur.

§. I.

De Imagine D. N. M. Febrifugiae.

Ea semper fuit mens, quidquid contra nonnulli, ac praesertim doctissimus P. Lazerus¹ contendant, primaevae illis nostrae Religionis cultoribus, ut quod superstitiose ab Ethnicis usurpatum fuerat, in sacrum usum saniori consilio converterent, ac quodammodo refingerent². Atque id praeter ea, quae de *Cathedrae Antiochenae* festo adnotavimus, praestitum ab iis etiam fuisse videtur, quum rotundum hoc Templum Deiparae consecrarunt, cui vota precesque fundebant, ut febris laborantes praecipue adjuvaret, ac morbo levaret.

Nam apud antiquos, qui³ Inferos, vitia, pestes, morbos, mortem, paupertatem, pavorem, pallorem, oblivionem, senectutem, mortem colebant⁴, *Febris*, ut ait Minutius Felix⁵, *dedicata fuit*, ac Plinio⁶, et Val. Max.⁷ adstipulantibus, *Febrem ad minus nocendum, Templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area*

1 de falsa Veter. Christianorum rituum a ritibus Ethnicorum orig. Romae 1777.8. et in *Discipl. Populi Dei* Fleury a Franc. Ant. Zaccaria, Venetiis recusa T. I. p. 97.
2 Marangoni delle cose Gentilesche ad uso delle Chiere. Roma 1744. 4. Ioh. Matth. Gesneri Rituum, quos Romana Ecclesia a Majoribus suis gentilibus in sua Sacra transtulit, enarratio. Goetting. 1751. 4.
3 Plinius lib. II. c. viI. Vossius lib. IX. de Idololatr. c. 37. et 39. Guil. Choul de Relig. veterum Romanor. Franc. Pomey Pantheon Misticum. Alex. ab Alexandro lib. I. cap. 13. Adrian. Iunius lib. II. animadv. c. I. Martin. Lipenius in Stre-

narum hist. Tom. XI. Graev. pag. 411.
4 Gottlob. Henr. Richter, de Ate, Dea noxae, ex iudicio veterum. Dissert. Vitembergae 1743. 4. Phil. Bern. Moreau de Mautour dissertation sur la Peur, et la Paleur, divinitez representees sur des medailles romaines. V. dans l'Hist. de l'Acad. des Inscript. T. v. p. 11. Lud. Guil. Iunius de cultura Morti Deae olim exhibitae. Diss. Lipsiae 1743. 4. Wilh. Christ. Iuss. Chrysander. Symbola phylogica de Templo Mortis apud Lacae-demonios. Gottingae 1748. 4.
5 in Oct. c. xxv.
6 lib. II. cap. viI.
7 lib. II. cap. v.

Marianorum III, in summa parte Vici Longi, in eaque remedia, quae corporibus aegrotorum annexa fuerant, referebantur. Illam propterea inter Deos Avernuncos relatam, omni honoris studio prosequabantur, eique nunc *Divae*, nunc *Sanctae*, nunc *Magnae* cognomen a veteribus inditum est, ac pro liberatione varie blanditum, ut videre est apud Gruterum, qui refert hujusmodi inscriptionem apud Transylvanos¹, a Thomasino², et Pitisco³ recusam

FEBRI . DIVAE . FEBRI .

SANCTAE . FEBRI . MAGNAE .

CAMILLA . AMATA . PRO .

FILIO . MALE . AFFECTO . P.

Quorum amentiam⁴ recte Cicero⁵ insectatus est, ac Prudentius etiam exagitavit, iis versibus⁶:

*Par furor illorum, quos tradit fama, dicatis
Consecrasse Deas Febrem, Scabiemque sacellis.*

Rectius igitur Majores nostri, jam inde ab antiquissimis temporibus, hanc B. V. imaginem praecipuo cultu venerari instituerunt, ut morbum, quo nullus humanae vitae infensior, ac frequentior est, sua virtute averteret, ac propulsaret.

¹ num. I. p. xcviI.

² de donariis Veterum. Vtinae 1639. 4. c. xxv. de votis pro aegrotantium salute, et in T. XI. Thes. Graev. p. 800.

³ in Lexico in *Fanum Febris*.

⁴ Fam. Nardinius. in Roma vet. p. 1337. in T. IV. Thes. Graevii. Marlianus. in Urb. Romae Topograph. p. 162. in T. I.

Thes. Graevii. Borrichius. in Ant. Urb. Rom. facie p. 1524. in T. IV. Thes. Graev. Elmenhorstius in Minutio Felice p. 233. Laurentius in Var. Sacr. Gentil. cap. VI. Struvius in Ant. Rom. cap. I. pag. 168. 5 lib. II. de nat. Deor. c. 25. et lib. II. de legibus.

⁶ in Haman. v. 157.

§. II.

Imaginis aetas inquiritur .

Ersi *D. N. M. Febrifugiae* imago vetustissima sit , tamen longe antiquior etiam , quam reipsa est , habita fuit , omnesque ferme Scriptores , Templum rotundum , cujus historiam persequimur , usque ab initio a Christianis in ejus honorem dicatum fuisse , tradiderunt . Quae certe res si ita se habuisset , ad remotissimam antiquitatem confugiendum foret . Erecta enim a Constantino M. in honorem Principis Apostolorum Basilica , statim Christianorum pietas , profanum hoc Templum , ut ipsi volunt , ei contiguum , in sacrum usum vertisse , ac Deiparae dedicasse , dicenda esset . Quod tamen ex ipsa ejus effigie , quae etsi antiquissima est , non tamen primae illius aetatis vetustatem redolet , minime factum , facile erat deprehendere . Nam , ut Sarnellius ¹ , et Bonarotius ² animadvertunt , antiquiores Deiparae imagines Puerum Jesum in ejus gremio exhibebant , ut contra Nestorianam haeresim , Christifideles θεοτόκον confiterentur . Deinde vero Latini contra Graecorum morem , Jesum , quamvis Infantulum , stantem plerumque repraesentarunt ante Matrem , quae eum peramanter utroque brachio complectebatur . Et sane , ut cetera mittam exempla , Gregorius III. ³ fecit in Oratorio Sancto , quod Praesepe dicitur , imaginem auream Dei Genitricis , amplectentis Salvatorem Domini . Sed operae pretium erit , veram antiquae hujusce iconis aetatem diligentius explorare , variasque ejus-

¹ La Vergine SS. ab antico dipinta col suo divinissimo figliuolo in braccio . in T. IX. Liber. Eccl. p. 24.

² Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro . Tav. I. fig. II. et III. p. 10. ³ apud Anastas. §. VII. p. 49.

dem translationes, ac vices, ceterasque cognomines imagines accurate indicare, quae in caussa fuerunt, ut apud Scriptores, quod certae cuidam aetati, ac loco tribuendum erat, alteri praepostere tribueretur.

Prima igitur mentio, quantum quidem mihi observare contigit, hujus imaginis, occurrit apud Vegium, qui Eugenii IV. aetate floruit, atque haec memoriae consignavit, postquam *B. Andreae* descripsit Altare. *Huic contiguum est*, inquit¹, *aliud Altare a sinistra parte introitus, dicatum nomini S. Dei Genitricis Mariae a febris appellatum, quod praecipuum quidem, et a Populis quam maxime prae summa devotione cultum, frequentatumque est, propterea quod innumerabiles vota illi facientes, enixeque se commendantes, a febre quotidie sanentur. Quae quum imaginem miraculis celebrem, ac Populorum frequentia insignem testantur, antiquiorem eam etiam Vegii aetate fuisse produnt. Verum incompertum mihi est, quo primum tempore in Templi pariete depicta fuerit, quum nulla hujus rei documenta apud Scriptores quaerenti se obtulerint.*

Ceterum quum Mallius² scribat, aliud Templum, *Apollinis* Templo contiguum, *vocari Sanctus Andreas*, quin ullam *B. M. de febris* mentionem faciat, nondum ejus aetate, nempe Sec. XII, fuisse in hoc Templo positam, pronum erit arguere, frustra reluctante Raph. Sindonio³, qui eam, nescio quibus rationum momentis adductus, in annum confert MCC. Hoc idem de Sec. XIII. conjicere licet. Anonymus⁴ enim, qui tunc libellum de *mirabilibus Romae* concinnavit, *Ecclesiam S. Andreae* fuisse Tem-

¹ p. 82.

² c. 11. p. 41.

³ p. 58.

⁴ p. 290.

plum *juxta memoriam Caesaris*, contiguum alteri *Apollinis* Templo tradidit, quin verbum de hac imagine B. V. fecerit. Quare ejus originem ad multo recentiorem, uti quidem re ipsa est, vel certe videtur, aetatem retrahendam puto. Quin etiam Sec. adulto xiv. tribui fortasse poterit, quod cum iis, quae a Vegio Sec. xv. de ejus celebritate tradita sunt, perbelle congruit. Ac proinde quis non Martinettum incuset, qui asseveranter pronunciare non dubitavit¹, Templum *Deiparae a febris usque ab initio* fuisse dedicatum?

Quod vero minime dubium est, ut in Templo depicta fuit, magna Populi relligione coli coepit, et quotidie magis miraculis inclarescere. Haec enim Onuphrius Panvinius de eadem literis consignavit². *Hoc Templum devotissime olim colebatur, frequentabaturque a Populis, quod vota illi facientes, enixeque se B. V. commendantes, a febris quotidie sanarentur. Quae item Alphanus confirmat, ubi ait³. Sed juxta praedictum Callixti III. Sacellum, sequitur aliud Sacellum⁴, quod fuit hujus Templi principale Sacellum, B. M. V. e febris nuncupatum, unde totum hoc Templum nomen accepit cum Altari, in cujus parietibus erat antiquissima, venerandaque imago ejusdem B. M. Filium amplectantis, et a dexteris, et a sinistris paullo inferius erant imagines summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Imperatorum, Regum, Reginarumque, etiam nobilium Virorum, ac Mulierum se Genitr. Dei Mariae enixe commendantium.*

¹ lib. II. p. 118.

² T. III. ms. c. XIX. p. 27.

³ ms. p. 64.

⁴ n. 172.



§. III.

*Quonam tempore Templum rotundum B. M. februum
cognominari coepit ?*

Quamquam novi *B. M. februum* nominis fama, *B. Andree* nomen, cui Symmachus e solo Templum construxerat, coepit extinguere, nondum tamen Sec. xv. apud vulgus plane adhaesisse videtur, etsi Vegius *B. M. de febris Altare* esse dixerit, in Templo contiguo *S. Petronillae*. Nam in diplomate Nicolai V, qui scilicet Eugenio IV. successit, nominatam fuisse vidimus disertis, et perspicuis verbis ¹, *Capellam S. M. de febris, seu della Freve, in Ecclesia S. Andree sitam*. Itemque ex alio loco alterius diplomatis ejusdem Pontificis eruitur, nondum, tunc temporis, totum Templum ejus nomine venisse. Heic enim ² aequae *Capella* tantum *B. M. de febris* nominatur, hujusmodi verbis. *Capellam S. Apolloniae sitam in, seu prope dictam Basilicam, juxta Capellam B. M. de Febris concedimus, et donamus*.

Haec tamen ab editoribus Bullarii Vaticani parum considerate accepta video, qui ita adnotarunt ³. Non loquitur de Templo, sed de Capella *S. M. de febris*, hoc est, de Sacrario, in ipso veteris Templi aditu erecto, ubi *B. M. de febris* vetustissima imago aliquando celsedit. Et paullo infra ⁴. Patet etiam hoc Altare (*S. Apolloniae*) a veteri Sacrario, in quod *B. M. de febris* imago translata fuerat, haud multum abfuisse. At id ipsum unde iis constaret, cur non declararunt? Equidem, quotquot habemus *Bas. Vat. Ichnographias*, earumque expla-

¹ T. II. p. 131.

² T. II. p. 140.

³ *ibid.* p. 141.

⁴ *ibid.* p. 141.

natores perquam diligenter ad unum excussi . Ceterum *S. Apolloniae Altare* a nemine memoratum offendi . Ac propterea sponsonem facerem , nisi id ipsum et iis incompertum fuerit . Nam si notum iis fuisset , locum profecto indigitare , minime praetermisissent . Verum , si *Capellam S. M. della Fievre* superius a Nicolao V. in diplomate anni MCDXLIX. nominatam , in *Sacello vetustissimo* , quod hodie pro *Sacrarii commodo inseruit* , (etsi alia de causa , quam veritas efflagitabat , uti supra ¹ observavimus) , exstitisse fassi sunt , quâ fieri potuit , ut *Capellam S. M. de febribus* , quae anno MCDLIII , hoc est , quadriennii tantum spatio interjecto , ab eodem Pontifice indicatur , quaeque eadem certe omnino esse debuit , alio tamen loco collocare , atque in *Sacrarium antiquissimum* , in ipso veteris Templi *aditu* primitus erectum , transferre , illis in mentem venerit ?

Equidem non inficias iverim , hanc imaginem eô loci olim translata fuisse . Verum , praeterquamquod id longe post Nicolai V. aetatem accidisse demonstrabimus , *B. V.* imago non translata fuit in *vetus Sacrarium* , sed in *Oratorium Gregorianum* a *Gregorio IV.* conditum , ubi prius steterat *Secretarium antiquissimum* , uti supra probatum est , ac denuo nunc confirmabitur . Hoc tamen erratum , non tam editorum Bull. Vatic. proprium fuit , quam omnium ferme Scriptorum , qui , ubi fuit *Cella SS. Andreae* , et *Gregorii* a *Pio II.* constructa , *Oratorium Gregorianum* , temere posuerunt . Quare , allata Nicolai V. diplomatum verba , si quidquam intelligere , aut iudicare possum , aperte declarant , sub ejus Pontificatu , imaginem *B. V. de febribus* non fuisse aliô translata , sed in

S. Andreae Templo permansisse, quod tamen nondum pristinum suum nomen prorsus amiserat. Eodem Seculo exeunte, *Cellulam* a Volaterrano, et *Capellam S. M. de febribus* a Burcardo, et in Necrologio nominatam comperiemus. Quae quidem, ni fallor, demonstrare videntur, nondum totam Aedem rotundam ab ejus nomine vulgo nuncupatam fuisse.

Verum quum Albertinus, qui Julii II. aetate vixit, *Templum Martis*, jam inde *Oratorium S. M. de febribus* nuncupaverit, quod Necrologium, etsi *Capellam* vocet, ubi loquitur de obitu *Ansuini Prioris Beneficiorum*, tamen eodem vocabulo totum Templum indicasse constat, itemque in veterum Inscriptionum collectione, a Mazochio adornata anno MDXXI, quattuor Inscriptiones offenderim, quae apud *Sacellum B. M. de febribus* exstabant, Sec. XVI. ineunte, in Templi possessionem plane quodammodo constitisse, ac *B. Andreae* nomen penitus obliterasse, arguendum est.

Atque id etiam ex insperato *Andreae* Capitis adventu repetendum est, quod quum *Pius* II. in Cella ab se intra Basilicam erecta, uti probavimus¹, collocasset, quotquot erant, *Andreae* studiosos ad se jamdiu avocabat, quin amplius, ejus colendi caussa, *Templum rotundum* celebrarent, in quo Imago *B. M. Febrivm* praecipue colebatur.

Et sane *Andreas Fulvius*², et *Marlianus*³, qui libros suos ediderunt annis MDXLIII, et MDXLIV, *Martis* Templum *D. Mariae Febrivm* dicatum fuisse scribunt, quibus consentiunt *L. Faunus*, qui anno MDXLVI II. opus suum

¹ p. 702.

² Antic. di Roma. Vinegia 1543. 8. p. 155.

³ Ant. Urb. Romae 1544. fol. cap. XXI.

p. 111.

evulgavit ¹, et Anonymus de *Mirabilibus Urbis Romae* eodem anno in lucem editus ², quem longe diversum, ac posteriorem esse puto ab eo, quem edidit Montfauconius, etsi non pauca ex eodem in suum opus derivaverit.

§. IV.

De prima Imaginis translatione.

Quum Templum rotundum *B. M. februum* in Basilicae *Sacrarium* propediem vertendum esset, imaginem *B. V.*, toto pariete circumsecto, in *Oratorium Gregorianum*, translata fuisse puto. Nam, etsi ex monumentis, quae usque ad hunc diem reperire licuit, haud ante Paulli IV. Pontificatum, Templum rotundum *D. N. M. Febrifugiae* in *Sacrarii* usum destinatum fuisse constet, tamen usque sub ejusdem principatu, Deiparae effigiem in *Oratorio Gregoriano* exstitisse, minime dubitandum est. Id enim manifeste colligitur ex tabula marmorea, quae in Aede Caeciliae V. et M. trans Tiberim hodieque visitur, quamque heic accurate exprimendam curavi.

¹ de antiquitatibus Urbis Romae. Venetiis 1548. 1549. 1552, et in Tom. I. Thesauri Antiquitatum Romanarum Al-

berti Henrici de Sellengre p. 171.

² Romae per Valer. Doricum. 8. in calce descriptionis Bas. Vat.



D. O. M.

IL . B^{DO} . MONS^{OR} . GREG. MAGALOTTO . VESCHO . DE . CHIVSI
 SORA . MAVRA . MAGALO . ABB. DEL . MONEST. DE . S. CICILIA
 ET . M^A . MARSILIA . LORO . MATRE . LASSORNO . AL . MONASRIO DE
 S. CECILIA . P . L'AIA . LORO . ET . TVTTI . LORO . DEFONTI . A . DOI . M.
 D'ORO . I . ORO NEL MOTE . DELLA . FEDE . VNA . CASA RETRO BACHI
 VNA . I . CAPO . MARZO . DOI . CASE . AL . CAPO . DE . FERRO . DOI
 EOTHEGHE . IN . PIA33A . MONT^{RA} . ITE . BARILI . 14 . DE . VINO . ET V^A .
 4^{TA} . DE VVA Δ . 15 . CHI DEVE L HOSPITALE . DE . S^{TO} . IO . LAT^{NO} . OGNI
 ANO . ET OLTRA . LE . PDETTE . CASE . ET . DENARI . LA . MRE . ABB. HA
 SPESO . IN . MEGLIORAMENTI . IN DCO . MON^{RIO} Δ 3000 COMO APPARE
 AL . CATASTO . DEL . MON^{RIO} CON OBLIGO CHE L'ABB. ET .
 MONACHE . IN DCO . MONESTER. P . TEPOR. EXISTEN .
 SIANO . OBLIGATE . IN . P PETVO . FAR . CELEBRAR . OGNI
 SETTIMANA . TRE . MESSE . V^A . ALL'ALTARE . DEL . CORPO
 DE . XPO . L'ALTRA . ALL'ALTAR . DELLA . M^A . DEFORA . LA . TERZA
 NELLA . CAPELLA . DEL DCO . R^{DO} VESCOVO . ET . PIV . VNA
 MESSA . CANTATA . IN . DCA . CAPP. NEL . DI . DE . DEFVNTI . P
 L'ANIMA . D. MONS. ITEM . V^A . MESSA . NELLA . CHIESA . DE . S^{TA} .
 MARIA . I . TREVIO . NELLA . CAPP. DI . S. PAVLO . OGNI . 7^{NA} . ITEM . V^A .
 MESSA . ALLA . CAPP. DE . S^{TA} . MARIA . DELLA FEBRE . A . S. PIETRO
 OGNI 7^{NA} . ET . MANCANDO . DETTE . ABB. ET . MONACHE . D. FAR . CELEBRARE .
 DCE . MESSE . COME . DI . SOP. AL . TEMPO PDETTO . CHE . DICTI DENAR
 ET . ROBBA . SVCCEDA . AL HOSPITALE . DE . S. IO . LATERANO
 LA SO^{PA} DCA . SOR . MAVRA . MAGA . AB. AFA . FAR . Q^{TA} . MEMORIA A DI XX D'OTE
 NEL . ANO

DEL SIG^{RE} M. D. LVIII. 1

Dubia profecto res videretur, num heic innuatur Cella, quae primitus eidem Deiparae dicata in *Templo rotundo* existit, an potius altera, quae in *Oratorium Gregorianum* translata fuit; nisi omnem ambiguitatem penitus submoverent subjectae Paulli V. literae ^r, ubi legi-

r Paulus PP. V. Dilecte Fili Salutem, et Apostolic. Ben. Nobis nuper nomine dilectarum in Xto Filiarum Abbatissae, et Monialium Monasterii S. Caeciliae de Vrbe, Ordinis S. Benedicti, expositum fuit, quod ipsae ratione cujusdam Legati per bo. me. Gregorium Magalotti, dum in humanis ageret Epsum Clusinum, ac q. Mauram etiam Magalottam Monasterii Abb. nec non Marsiliam ipsorum Gregorii Epi, et Maurae Matrem d. Monist. relictis Missam unam, qual. Hebdomada in *Cappella Beatae Mariae de Febre* nunita, tunc prope Basilicam Principis Apostol. de eadem Vrbe sit. *nunc autem solo aequata*, celebrari facere tenentur, et quidem hactenus, ut asserunt, usque ad Mensem Julii anni 1597. duas tantummodo Missas ratæ Legati hujusmodi quolibet Mense celebrari curarunt, ab illo vero tempore easdem celebrari facere omiserunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, d. Abbatissa, et Moniales, ut infra Missas non solum celebratas reduci, ac onus Missae Hebdomadalis hujusmodi pro majori eorum comoditate ad sui Monast. Ecclesiam transferri summo opere desiderent; Nobis propta. hum. supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis oppnè providere, de benignitate Aplica dignarentur. Nos igitur Abbatissam, et Moniales ptas specialibus Favoribus, et gratiis prosequi volentes, et earum singulas quibusvis excns., suspensionis, et interd., aliisque Ecclis. sentiis, cens. et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus

quomodolibet innodat. existant, ad eff. pñtium dumtaxat consequen. hac scri absolventes, et absolut. fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per pñtes committimus, et mandamus, ut Missas non celebratas hujusmodi ad duodecim anniversaria semel celebran. aucte nostra Apostolica reducās, nec non onus Missam unam qual. Hebdomada, ut ptur, celebrari faciendi e. d. Cappella ad d. Monasterii Ecclesiam, et in ea sitam Cappellam, vel Altare sub invocatione Beatae Mariae marmore expressae dita aucte transferas, et translatum esse decernes, non obstan. pro Missis; nec non Gregorii Episc., ac Maurae ipsorum Matris ptis voluntatibus, quas in, et quo ad hoc sufficienter commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 28. Februar. 1609. Pontus nri anno quarto. Scipio Cobellutius. Foris vero. Dilecto Filio in alma Vrbe nra, et ejus districtu, in spiritualibus Vicar. nro gli, seu ejus Viceg. I. Savanier Loco ✕ anuli Piscat.

Paulli V. literis ex Tabulario Monasterii S. Caeciliae prolatis, hoc alterum ex eo depromptum monumentum, ad rei illustrationem, opportune subjungam.

A dì 9. di Giugno 1597. Io Baldassare Aquilano, deputato alla cura delle Messe votive in S. Pietro di Roma, confesso aver ricevuto dalla R. Mre Abbatissa di S. Cecilia, scudi due, e baj. 40. quali sono per tante Messe celebrate nella

tur. *Missam unam, qualibet hebdomada in Capella B. M.*

Capella della Madonna Sma della Febre li Mesi di Giugno, Luglio, Ag., Settembre, Sbre, 9mbre, e Xbre dell'anno 1596. e Genn., Feb., Marzo, Aprile, e Maggio del 1597. ed in Fede del vero ho fatto la pñte di mia ppa mano questo dì, ed anno supito.

Io Baldassare sud. m. p.

Gregorius Magalottus, Clusinus Antistes, Bononiae decessit an. MDXXXVII, atque in Urbem relata ejus ossa Maura Soror amantissima, S. Caeciliae, Parthenonis Antistita, exstructo sepulcro in veteri Templi Sacratio, collocanda curavit, hoc epitaphio -

HAC . SITVS . EST . VRNA . MAGALOTTVS . CERNE . VIATOR
 QVOT . MODO . MORS . ROMAE . PVBLICA . DAMNA . TVLIT
 HOC . VIVO . PIETAS . VIVEBAT . IVSQVE . FIDESQVE
 HAEC . TRIA . NVNC . ILLO . DONA . SVPERNA . IACENT
 HVNC . IGITVR . PLORET . SIC . PATRIA . ROMA . QVOTANNIS
 VT . SVPERVM . PIETAS . IVSQVE . FIDESQVE . GEMVNT
 M. D. XXXVIII.
 MAVRA EIVS GERMANA
 HVIVSQVE AEDIS
 ABBATISSA POST TVMVLI
 HONORES OSSA
 BONONIA ADVEHI
 ATQVE HIC PIE
 LOCARI CVRAVIT

1 apud Vghellium in Ital. Sacra T. II. p. 649. Mandosium in Bibl. Rom. Cent. I. p. 39. Alveri. Roma in ogni Stato P. II. pag. 390. Piazza Gerarchia Cardinalizia p. 385. Iac. Laderchi Acta S. Caeciliae Virg. et Mar. et Transtiberina Basilica

seculorum singulorum monumentis asserata, ac illustr. Romae 1723. T. II. 4. Galletti Inscr. Rom. Tom. I. p. cccxxIII. num. 18.

In eadem Aede, super Ianuam Monasterii, haec altera exstat Inscriptio 2

MAVRA MAGALOTTA ABBATISSA A CLEMENTE VII. ET FRANCIOTTO CARDINALI VRSINO PREPOSITO HVC ACCITA AEDEM HANC DIVÆ CÆCILIAE SACRAM QVAM MONACHI HVMILIATORVM S. BENEDICTI ANTEA OBTINEBANT IN PRESENTIS MONASTERII EIVSDEM ORDINIS MONIALIVM FORMAM REDEGIT EAMQVE PENE COLLABENTEM RESTITVIT ADIECTIS INSUPER HORTIS QVOB ETIAM VT HONESTIOR VSVS ESSET CLAVSTRALI EOS MVRO CIXIT ANNO A PARTV VIRGINIS MDXXXI.

2 V. Laderchi T. II. pag. 338. Galletti Itemque versus Portam ejusdem Aedis T. I. Inscript. Roman. p. DXVII. n. 26. legitur

de Febre nuncupata, tunc prope Basilicam Principis Apostolorum de eadem Vrbe sita, nunc autem solo aequata, celebrari facere tenentur. Quid, rogo, disertius, ac luculentius ejusdem Pontificis testimonio, qui, ut mox declarabimus, anno post Oratorii Gregoriani dejectionem, hujusmodi literas protulit? Quis igitur amplius dubitet, ibidem Templum rotundum, haud ita pridem deletum indicari? Itaque perspicuum est, primum Deiparae imaginis e Templo rotundo discessum, ante annum MDLVIII. contigisse.

Neque vero, cur hujusmodi translationem multo ante actam fuisse existimemus, usque hactenus ratio esse videtur. Nam, etsi supra attulimus Epitaphium Sancti de Pazillis, ibidem positum plus minus anno MDXXI¹, Guidonis Vaini anno MDXXX², Bapt. Talliaferri MDXLVIII³, et Jac. Fabii anno MDL⁴, tamen animadvertendum est, eadem dumtaxat ab Alpharano, et Grimaldo, in Oratorio

D. O. M.

MAVRA MAGALOTTA ROM.
 PER TRIENNIVM ABBATISSA
 MONASTERII CAMPI MARTII
 DEINDE A CLEMENTE VII.
 PONT. MAX. ABBATISSA PER
 PETVA MONASTERII SANCTAE
 CÆCILIAE CREATA QVE INSTI
 TVIT INSTAVRAVIT ET DOTAVIT
 OBIIT AN. DNI. M. D. LVI. XVI.
 KL. IVNII VITÆ SVÆ AN. LXXII.
 SCHOLASTICA SERLEONIA
 ROM. ABBATISSA EI SVFFECTA
 POSVIT 5

¹ p. 743.² p. 745. V. Turrigium Grotte Vat. p. 600.³ p. 747.⁵ Laderchi T. II. p. 351. Galletti ib. p. 27.⁴ p. 747.

Gregoriano , quod eorum aevo *Aedicula B. M. de febribus* nuncupabatur , fuisse descripta . Contra vero esset , si vel in iisdem Inscriptionibus , vel in Necrologio , aut in aequali monumento , quod mihi quidem incompertum est , *Oratorium Gregorianum* , jam tum *B. M. de febribus Oratorium* diceretur .

Quae quum ita sint , nescio , quonam pacto concilian- da sint , quae de hac translatione memoriae tradidit Al- pharanus in hunc modum ¹. *Quae utique imago vetustissima (Basilicae Sacrario disjecto , et hoc Templo pro Basilicae Sa- crario occupato) una cum toto pariete ex Altari avulsa , ad Secretarium Basilicae , juxta S. Gregorii Oratorium translata est ; unde factum est , ut postea Secretarium Ecclesia S. M. de febribus ; et Templum S. M. de febribus Sacrarium Basi- licae , usque in hodiernum diem praenominarentur .* Heic enim fatendum est , Alpharanum , non satis enucleate , rem ape- riisse . Nam quo pacto fieri poterat , ut haec imago trans- ferretur in Basilicae *Secretarium* , si idem Alpharanus , illud *disjectum* fuisse affirmat ? Equis non videt , hanc porro fuisse causam , cur de sede sua B. V. Imago mo- veretur , quod nimirum , veteri exciso , vel , ut rectius loquamur , propediem excindendo *Secretario* , Templum , ubi prius colebatur , in *Secretarii* usum destinatum fuit ? Quare locus , in quem translata ea imago tunc fuit , *Se- cretarium* amplius non erat , sed *Oratorium Gregorianum* supra *Secretarii antiquissimi* ruinas a Gregorio IV. jamdiu aedificatum ; idque contigisse putandum est , ob statu-

1 num. 142. p. 64. *atque alibi in verna- cula Bas. descriptione* L'Imagine della V. M. fu translata alla Cappella, detta Se- cretario di S. Pietro con tutto il muro, dove son de' Papi , Cardinali , Im-

peratori , et Re , et Regine , et altri Nobili , che si raccomandano alla d. imagine SS. antiquissima . Et percibè il d. Secretario adesso si chiama la Ma- donna della febbre .

tam *majoris Secretarii* disjectionem , quod tamen multo serius e medio sublatum fuisse demonstravimus .

Rectius igitur prima haec *Deiparae a febris* translatio a Severano declaratur , qui ita scribit ¹ . In *sine Porticus* , meridiem versus , visebatur *Oratorium* , sive *Sacellum* a Gregorio IV , qui floruit sub annum Dñi DCCCVII , exaedificatum cum tribuna , seu *apside* ex opere musaico , ad *cujus aram principem argento coopertam* , transtulit *Corpus Sancti Gregorii M.* et sub aliis tribus in eodem *Sacello* recondidit *Corpora SS. Sebastiani* , *Gorgonii* , atque *Tiburtii* appellatum tandem *ultimis temporibus* , et usque ad nostram aetatem *Sacellum* istud fuit *S. M.* a febris , propterea quod *devotissima quaedam imago Virginis* , per quam *Deus febricitantibus multas impertiebatur gratias* , eò fuerit transportata , ex alio ejusdem nominis *Sacello* , quo praecipue frequentabatur in ipsius *Templo rotundo* , ubi nunc est *Sacrarium Basilicae* . Quae quum veritati apprime sint consentanea , non solum quò primum *B. V. Imago* translata fuerit , egregie demonstrant , verum etiam , quod ² supra statui-
mus de situ *Oratorii Gregoriani* , supra antiquissimum , ac prope novellum *Secretarium* erecti , mirifice confirmant . Jure igitur *Panvinius* pronunciavit ³ . *Secretarium vetus* , quod olim *S. Gregorii* , hodie *S. Mariae de Febre* imperite dicitur .

Hoc tamen nequaquam assequuti sunt *Bullarii* *Vaticani* editores ⁴ , qui vetustissimam hanc imaginem in *vetus Sacrarium* in ipso *veteris Templi aditu* erectum *translatam fuisse* pronunciant . Atqui sic *Sacrarium* cum *Oratorio Gregoriano* , uti ceteri , confundunt . Etsi enim alibi

¹ p. 65.

² p. 740.

³ de viI. Eccles. p. 47.

⁴ T. I. p. 140. et 141.

ad *S. Gregorii Cellam* translata fuisse scribunt, tamen de altera *Gregorii* Cella, quam a *Pio II.* erectam probavimus¹, ibidem loquuti sunt, ubi aliud etiam *Sacrarium* exstitisse dicendum esset, si, uti scripserant, imago *B. V.* in *Sacrarium* translata fuerat. Sed ne quis me immerito, Viros, alioqui eruditissimos, exagitare insimulet, eorum verba audiamus. *Quamprimum*, inquiunt², *Basilicae* Secretario disjecto, (quod nempe erat, ubi nunc *Sacellum Clementinum*, seu *S. Gregorii M.*) ineunte *Sec. xv.* *Iulio II. Pontifice*, *Templum S. M. de febris* in *Sacrarium* cessit, imago illa cum toto pariete avulsa ad *S. Gregorii Sacellum* est translata, in posterioris, minorisque navis partem supremam *Alph. Tab. Ichn. n. 85.* Quae quidem in lubrico esse videntur. Nam, ubi nunc *Cella Clementina*, *Secretarium majus* situm erat, quod usque ad *Gregorii XIII.* aetatem stetisse demonstravimus. Praeterea longe post *Julium II.*, hoc idem *Templum* in *Sacrarii* usum cessisse vidimus. Ac demum eidem *Alpharano* repugnarunt, qui *B. V.* effigiem ad *Cellam principalem Secretarii* num. 142. translata fuisse tradidit, nunquam vero ad *Altare n. 85.* ubi *Pius II. Andreae Caput* collocavit, etsi incaute illud idem esse scripserit in honorem *S. Gregorii*, a *Gregorio IV.* aedificatum; ac propterea non in *Oratorio Gregoriano*, sed *juxta S. Gregorii Oratorium* sitam fuisse affirmaverit. Quamquam aequè falsum esse vidimus, *B. M. febrivm* imaginem in *Secretarium* translata fuisse, quae tantum in *Cella Gregoriana*, ubi prius steterat *Secretarium antiquissimum*, collocata fuit.

Neque vero *Typographi oscitantiae* vertendum est, quod loco, quem supra attulimus, numerus 85, pro alte-

¹ pag. 702.

² T. 111. p. 257.

ro irreperit. Alibi ¹ enim etiam, quum de *Gregorii* Cella a *Gregorio* IV. exstructa disserunt, prave cum *Alpharano* in eodem loco eam collocasse animadvertimus. Quae sane eorum errorem aperte produnt, ex quo factum est, ut in alium etiam incurrerent, quum ad hoc Altare a *Pio* II. erectum, et *B. Andreae*, ac *Gregorio* dicatum, *B. M. februum* imaginem translata fuisse dixerunt. Quare si rem, uti se habebat, dicere voluissent, *B. Virginis* effigiem ad *D. Gregorii* Cellam, quae prope novellum *Secretarium*, et supra *Secretarium antiquissimum* a *Gregorio* IV. jam pridem erecta fuerat, translata fuisse, scribere debuissent. Quae quidem non arguendi libidine, toties inculcavimus, sed ne quis tantorum Virorum auctoritate permotus, errasse nos in antiquiorum *Bas. Vat. Secretariorum* numero, ac loco decernendo, atque in translationibus imaginis *D. M. Februum* recensendis suspicetur.

Nunc, quum satis probatum sit, *Oratorium Gregorianum* supra *Secretarium antiquissimum* statuendum esse, ac rursus ex allatis argumentis certum sit, illuc *B. V.* imaginem e *Templo* rotundo, in *Sacrarii* usum destinato, translata fuisse, illuc nos etiam ingrediamur, oportet, ut, quo ejusdem *Oratorii* loco sita fuerit, inspiciamus.

Itaque, quod supra ² animadvertimus, *septem* in hoc *Oratorio* fuerunt *Altaria*, *tria* ad meridiem, *tria* ad *Aquilonem*, *unumque* ad occasum. Horum elegantissimum, ac praecipuum totius *Oratorii*, Altare *B. V.* sacrum, ab *Alpharano*, et a *Paullo* de *Angelis*, aliisque fuisse traditur. Cujus imaginis fama ibidem collocata, quum latius in dies crebris prodigiis inclaresceret, eodem modo, quo *B. Andreae* nomen prius oblitteraverat in *Templo* rotundo,

1 T. I. p. 47. T. II. p. 101. 2 p. 697.

ubi pridem in pariete depicta fuerat, *Gregorii* etiam nomen, cui primum dicatum fuerat Oratorium, sensim apud vulgus delere coepit. Quod tamen exolescere vel tum coepisse existimarim, quum *Pius II. S. Gregorii* exsuuias ex eò transtulit ad Altare, ubi *Andree Caput* collocaverat. Quum enim Patrum nostrorum pietas illuc quotidie deinde conveniret, ut ei vota febricitantium praecipue exaudienti supplicaret, factum est, ut tantum ibidem *Gregorii* cultui detraheretur, quantum famae, ac nomini *B. M. Febrivm* accresceret; ex cuius inde nomine, Oratorio nomen ab omnibus inditum fuerit.

Quod liquido apparet ex Panvinii locis, quae supra ¹ attulimus, ac quibus haec etiam addenda sunt. Ait enim ². *In Porticu ante Basilicam S. Petri, prope vetustissimum Secretarium, quod nunc S. M. de febre dicitur, sepulta fuerunt Corpora* Et rursus ³. *In Secretario, quod nunc dicitur S. Maria de Febre, ante Basilicam S. Petri Apostoli, quiescit Benedictus P. Panvinio autem concinit Ciacconius, qui de Gregorio loquens ait ⁴. In extrema Porticu ante Basilicam S. Petri Apostoli prope Secretarium, quod nunc dicitur S. M. de Febre conditus est.* Ex quibus consequens est, Oratorium *S. Gregorii*, Ecclesiam *B. M. de Febribus* in posterum absolute fuisse nuncupatum. Sic etiam Attilius Serranus inquit ⁵. *Dum ex Ecclesia exitur a dextera parte, juxta Portam Judicii, est vetustissimum Secretarium, quod nunc S. M. de Febre dicitur, ubi sepultus est S. Benedictus P. In Altari exstat antiqua V. M. imago, miraculis non obscura.* Item Sebastianus Fabrini disserens

¹ p. 776.

² de viI. Eccl. p. 52.

³ ibid. pag. 53.

⁴ T. I. col. 406.

⁵ de viI. Ecclesiis. Romae 1575. 8.

pag. 29.

de Portis veteris Bas. scriptum reliquit ¹. *L'altra a man destra vicina alla Cappella di S. M. della Febre, si chiama la Porta del Giudicio, perchè per essa si portano dentro i morti per seppellirli.*

§. v.

De tabulis lapideis Gregorii III. ad novi Altaris, in Oratorio Gregoriano, ubi collocata fuit Deiparae imago, ornatum diffractis.

In fabricae usus, dum hoc Altare extruebatur, misere detruncatas fuisse putat Phil. Dionysius ² celeberrimas Gregorii III. tabulas lapideas, quarum fragmenta nunc in Bas. Vat. hypogaeo ad meridiem, in *Capella S. Mariae de Febri*, vel de *Porticu* adservantur. Alteram enim earum partem ad Altaris frontem ornandam, alteram ad pavementum sternendum adhibuerunt. Quod palam quivis potuit dignoscere, quum prius earum fragmentum, dum haec ara religione liberaretur an. MDCVII, repertum est, ac posterius in ejusdem pavimento anno MDCXVIII, uti Grimaldus ³ enarrat.

Hae sane Vegii aetate integrae visebantur, qui de veteri Templo *S. Stephani* verba faciens, de iis etiam haec habet ⁴. *Neque vero licet multis in locis antiquis de eo mentio fiat, aliquid tamen vetustius legi, quam duas tabulas marmoreas, positas in utroque latere Oratorii S. Mariae in Cancellis, quarum auctor Gregorius III. Videmus ibi nonnulla, quae infra, quum ad Oratorium ipsum vetustum (ventum) fuerit, dicemus, statuisse observanda a Congregationibus trium Monasteriorum, apud Basilicam S. Petri po-*

¹ Dichiarazione del Giubileo dell'anno S. Roma 1575. 8. p. 29.

² p. 14.

³ Instrumenta Authentica translationum p. 170.

⁴ n. 112. p. 80.

sitis, ipsique servientibus, SS. scilicet Ioh. et Paulli, S. Stephani, et S. Martini.

Verum, quum veteris Basilicae pars, in qua exstant, solo aequata fuit, ut laxius novi Templi area explicaretur, insignia haec marmora, mutila, ac diffracta, una cum aliis monumentis, magna ex parte interciderunt. Quam Basilicae ruinam, ut omnes sacrarum antiquitatum, et bonarum artium amatores adhuc dolent, aegerime tulit Mich. Angelus Bonarota¹, et Bramantis audaciam, nimiamque celeritatem accusavit, quod, ut citius veteris Basilicae parietes dissolverentur, ac nova moles assurgeret, pretiosas Columnas a Constantino erectas prostraverit, in plures partes diffractas, quas in novam Aedem servare commode poterat, et quamplurimas picturas, musiva opera, Pontificum, insigniumque Virorum imagines, atque inscriptiones everterit. Verum, quae in priori omissa fuit cura, in posteriori Bas. partis orientalis demolitione sub Paulo V. feliciter adhibita est. Quum enim providentissimus Pontifex, uti constat ex supplicii libello, qui exstat in Archivo Vaticano, exoratus fuisset, ne misceri, confundique omnia pateretur, ut olim Iulius II, numquam satis laudando decreto mandavit, antequam vetus, quae adhuc stabat Basilica, dirueretur, eam in paginis accurato calamo delineari, ex quibus deinde in Cryptis Vaticanis, ab eodem Pontifice exornatis, coloribus fuit expressa.

Ceterum, ut ad marmoreas Gregorii tabulas revertamur, in iis Phil. Dionysius², rejectis aliorum³ sen-

¹ Condiv. in ejus vita p. 74.

² pag. 11.

³ V. Turrig. p. 68. Ciampinum. p. 101. de Sacr. Aedif. Epiph. Gizi. p. 56. Scho-

liastam Venetae edit. Concilior. T. VIII. pag. 218. Labbeum. Tom. I. p. 543. Ioh. Dom. Mansium. in supplem. ad Con. Veneto-Labbeana. Ioh. Christ. Amadu-

tentiis, gesta Synodalia inscripta fuisse putat ad Conciliare decretum, seu privilegii definitionem habitam in Vatic. Basilica, qua *Gregorius III.*¹ sanxit, ut in honorem Domini Salvatoris, Sanctaeque ejus Genitricis, Sanctorum Apostolorum, omniumque SS. Martyrum, et Confessorum, perfectorumque Justorum, toto Orbe Terrarum requiescentium, a trium Monasteriorum Monachis, et Missarum sollemnia a Presbyteris hebdomadariis, in Cella ab se, ad ortivam faciem austrâlis parastatae, sustentis arcum principem, seu triumphalem Vatic. Bas. exstructa celebrarentur. Ac propterea haud vana conjectura arbitratur, Frontonem², aliosque Viros eruditissimos³ originem sollemni diei *pandicularis*, aut *communicarii*, honori Caelitum universorum tributi, non ex *Gregorio IV*, uti plures Scriptorum⁴ contendunt, sed ex hac *Gregorii III.* constitutione repetendam judicasse; eodem modo, quo Festi omnium Martyrum institutio *Bonifacio IV.* attribuitur, quae tamen ab altera distinguenda est, quae non multo post Pentecosten⁵, in Dominica omnium SS.⁶ peragebatur.

Nunc igitur referam, quae in utriusque lapidis fragmentis idem Dionysius reipsa exstare tradidit, religioni

tium. nella Dissertazione de Officio Archidiaconi. p. 21.

1 Anastas. in ejus vita. Petr. Mallius f. x.

2 in Kal. Rom. ad diem 1. Nov.

3 Hugo Menardus, Mabilionius, Sollerius, Franc. Pagius. in Brev. ad Vit. Ben. 17. Meratus. in observ. ad Gavant. in rubr. Brev. Sect. vii. c. xiii.

4 Le Cointe. T. vii. Annal. pag. 26. Gaspar Barthius. ad Guil. Brionem p. 50. Thom. Ittigius. Observatio de festo omnium SS. Ext. in Misc. Lipsien. T. I.

pag. 300. Steph. le Moine. in notis ad varia Sacra p. 964. Marinus in vita Procli. c. xxxvi. Baronius. in Martyr. 1. Novemb. Lazeri Consecrazione del Panteon fatta da Bonifazio iv. Roma 1749. pag. 13.

5 Chrysost. hom. LXXIV. de MM. totius Orbis. T. I. p. 895.

6 Allatus de Hebdomadis, et Dominicis Graecorum n. xxxi. V. Binghamum de generali omnium MM. festivitate. T. ix. p. 259.

mihi ducens, ne transversum quidem, quod ajunt, unguem, ab ejus editione recedere ¹.

ROTHEOPHANIOSERGIOIORDAN
 SEVIOHANNEADSTANTIBVSQVOQVEDIA
 CONIB: MOSCHOARCHIDIACONOZACCHARIA
 IOHANNE . THEOPHVLACTOATQVEGEMMVLO
 VELCVNCTOCLEROANTEFATVSDOMNVSGRE
 GORIVSAPOSTOLICVSPAPADIXITREDVCOAD
 ANIMVMSCISSIMIFRATRESMEIQVALLAMIHI
 ETQVANTAMIRABILITERXPS. DS. NOSTERCON
 TVLERITBONAETQVOMODOMEINDIGNVMAD
 TANTIAPICISSVAPIETATEDIGNATVSFVERIT
 EVOCAREETSVPESCONIHILALIVDVALENS
 RETRIBVEREPOTENTIAEELVSNISISOLASAGE
 REGRATIASETINDESINENTIPRECEGLORIOSVM
 EIVSCONLAVDARENOMENQVISENIMVTAIT
 PROPHETALOQVATVRPOTENTIAS. DNI. AVDITIS
 FACIATOMNESLAVDESEIVSVELQVIDRETRIBVAM
 DNO. PROOMNIBVSQVERETRIBVITMIHICALICEM
 SALVTARISACCIPIAMETNOMENDNI. INVOCABO

TRAES
 GREGORIVS *Sanctissimus*
 APOSTOLICVS *Papa dixit*
 SCISSIMI*Intentio mea e*
 POSITIONIEAQVAEANOBIS *Christi*
 QVORAMBEATIPETRI . APOSTOLI
 SVBINTERDICTVANATHEMATE
 SCTISSIMIEPISCOPIETVENERABILES *Presby*
 TERI . RESPONDERVNT . GRATO DUCI
 TERDICTVAPOSTOLICAE *auctori*
 HAECQVAESALVBRICONSIDERATION
 VISASVNTSTABILIRIDEBEANT *neve*
 QVISAVDEATEXSISTERETEMERATOR
 GREGORIVSSCTISSIMVSACBEATISSIMUS *Apos*
 TOLICVSPAPADIXITSIQVIS *contra*
 PRIVILEGIIDEFINITIONEMVENIRE *temptave*
 RIT . ANATHEMASIT . ETRESPONDERUNT *om*
 NESTERTIOANATHEMASIT
 GREGORIVSGRATIADIEPISCOPUS *Ca*
 THOLICAEATQVEAPOSTOLICAE *Vr*
 BISROMAE . HVICPRIVILEGIO

1 Tab. iv, et v. p. 8 Torrigio Grotte Roma in ogni Stato Part. 11. pag. 188.
 Vat p. 10. Ciampini de Sac. Aed. p. 101. Gio. Battista Vaccondio Notizie Istoriche
 Gizi descriz. della Bas. Vat. p. 56. Alveri delle iv. Basiliche. Roma 1700. 12. p. 121.

Ad hanc etiam *Oratorii Gregoriani* Cellam, praeter alia monumenta, quae supra ¹ descripsimus, omnino referenda esse suadet temporum ratio, quae in *Necrologio* observantur, in hunc modum. *A dì 5. Settembre 1565. morse el Rño Cardinale Palsgut (sic) posto nella Febre.*

Sed tandem, quum Paullus V. Vaticanum Templum augere, et numeris omnibus absolutum, Romanorum, et Advenarum oculis proponere statuisset, hoc etiam Oratorium, a *Gregorio IV.* constructum, cui postea *S. M. de Febribus* nomen adhaeserat, una cum locis continentibus, solo aequandum fuit. Haec enim habemus apud *Grimaldum* ² *de dissecratione Altaris S. M. de febribus, die VII. Augusti MDCVIII. R. D. Germanicus Fidelis Canonicus Major Sacrista, apponendo manum elevationi marmoreae tabulae Altaris, siti in apsida Aediculae S. Mariae de Febribus, juxta Porticum ipsum dissecravit. In sigillo Arae erant reliquiae involutae serico, quarum nomen oblitteravit vetustas, cum granis incensi, quas in Sacrarium reverenter detulit. Super quibus etc.*

Quumque, praeter hujusce *Oratorii Gregoriani B.V.* deinde dicati, ac super *antiquissimi Secretarii* ruinas erecti positum, nos etiam ejus longitudinem, ac latitudinem docuerit *Grimaldus*, utrumque ab eo, quem *Turrigius* ³ etiam sequutus est, praestat recipere ⁴. *Dictum Secretarium, cujus major pars, dimidium scilicet ampli cubiculi, etiamnum cernitur longa vetustate informe, et hominum incuria obsoletum, ad scopas, et scamna continenda conversum est. Ex fornicis autem crassitudine, parietibus, aliisque vestigiis, periti Caementarii, antequam illud demolirentur, quid de longitudine,*

¹ p. 742.

² in lib. Instrum. p. 111.

³ in lib. Instr. fol. 60.

⁴ p. 436.

et latitudine judicarent, a me interrogati, longitudinem fuisse palmorum circiter LXXX. latitudinem XXXX. dixerunt.

§. VI.

De secunda, ac tertia Imaginis Translatione.

Hoc loco, ea quae a nobis paullo ante¹ de Bull. Vat. editoribus dicta sunt, quoniam huc etiam pertinent, velim, cogitatione, atque animo repetantur. Ii enim quum, Deiparae imaginem in Altari SS. *Andreae, et Gregorii* a Pio II. erecto collocaverint, hoc Sacello exciso², Paulli V. jussu in Cryptas Vaticanas eandem delatam fuisse tradunt. Quod tamen factum esse constat ferme biennio post, quum Oratorium Gregorianum, in quo reipsa exstabat, excisum fuit. Fons autem erroris fuit *Gregorii* nomen, quod pariter Oratorium a *Gregorio* IV. exstructum, ubi erat B. V. imago, et anno MDCVIII. dejectum, atque Altare a Pio II. *Andreae, et Gregorio* consecratum, et an. MDCVI. solo aequatum, praeseferebat. Hinc enim factum, ut unum cum altero non satis caute permutarent.

Interim, everso Oratorio Gregoriano, quum aliò B. V. imago adsportanda esset, in Cryptas Vaticanas revera delatam fuisse patet ex Urbani VIII. literis, quas infra subjiciam. Verum celeriter e sacris illis cryptis egressa, rursus in conspectum, atque in lucem revocata est. Vt enim, una cum aliis, tradit Bonannius³, in sinistro Cellae latere collocata fuit, quae primum Basilicam ingredientibus dextera occurrit. Hodie tum *Pietatis* nuncupatur, e celebri Deiparae Christum Dominum e Cruce depositum in sinu gestantis simulacro, quod illuc, uti declarabimus, an. MDCCXLIX. translatum fuit, ibique po-

1 p. 1299.

2 T. III. p. 244.

3 n. 13. p. 23.

situm, ubi antiquitus *S. Nicolaus Bariensis* colebatur, ac postea lignea Christi Servatoris e Cruce pendentis imago, a Petro Cavallino in antiquum morem affabre exsculpta, quae nunc ad dexterum ejusdem Cellae latus, una cum D. Nicolao, et Bas. Vat. reliquiis illuc e dejecto *Sacrario* translatis, in alia Cellula a Bernino constructa, et a Karolo Marchionni eleganter ornata adservatur ¹.

Id autem, ut alios praeteream, Aringhius luculenter confirmat, ubi ait ². *Basilicae Sacrarium intuentibus patet, quo titulo S. M. de Febribus postea decoratum fuit, a quadam nimirum BB. Virginis imagine, hujuscemodi desumpto vocabulo, quae jugi ibidem Fidelium venerationi exposita erat, et hac quoque nostra aetate in postremo novae Basilicae Sacello, quod SS. Crucifixo dicatum est, pari devotione colitur.*

§. VI.

De ejusdem imaginis Coronatione.

Quum crebrior in dies ad eam in nova hac Cella fieret Populi frequentia, et fuis ad eam precibus praesens auxilium, et incolumitatem quamplures consequuti essent, Comes Alexander Sfortia Pallavicinius Placentinus, novo decore ornandam curavit. Quum enim certam pecuniae summam legasset, ut celebriores Deiparae, cujus erat studiosissimus, imagines a Clero Vaticano identidem aurea corona redimerentur, an. MDCXXXI, eo etiam tum superstite, sacra haec B. V. imago omnium prima, quotquot in Vrbe sunt, novo hoc ornamento fuit insignita, uti praeter Crescimbenium ³, et Martinettum ⁴,

¹ Sagrestia Vaticana eretta dal regnante Pont. Pio VI. Roma 1784. 8. p. 30.

² T. I. p. 213.

³ Memorie Istoriche di S. M. delle Grazie in S. Salvatore in Lauro. 1716. 8.

pag. 28.

⁴ T. II. p. 219.

refert Sindonius ¹, qui luculentius de eadem re disserere cogitaverat, in *Sacrarum Imaginum*, quae hactenus id novi decoris acceperunt, *Catalogo*, quem morte interceptus publici juris facere non potuit, atque adhuc ineditus in Bas. Vat. Archivo adservatur. Ceterum pientissimus Alexander vetustissimum morem Deiparae imagines aureis, argenteisve coronis ornandi, revocasse, potius quam instituisse videtur, quem in usu fuisse constat, usque ab aevō Gregorii III, de quo apud Anastasium scriptum legimus ². *Imaginem S. Dei Genitricis habentem diadema aureum cum gemmis, et in aures pendentes cum sex hyacinthis*. Alia vero, si lubet, hujusdemmodi coronationum exempla, e sacris Urbis aedibus, ac Coemeteriis repetita, vide sis apud Catalanum ³, qui praeter ordinem servandum in hoc ritu peragendo, ab se recusum, accuratum elenchum protulit Deiparae imaginum, quae usque ad an. MDCCXXII. non modo in Vrbe, (quod etiam, ceteris adjectis ad nostra usque tempora, haud ita pridem praestitit Cl. Marianus Parthenius ⁴), sed ubique gentium, aurea corona sunt insignitae.

Atque heic cum Joh. Filesaco ⁵ observare liceat, parem Gentilium, ac Christianorum mentem hac in re minime esse; etsi vel ii radiatos orbiculos, lunulas, corollas, nimbosque Statuarum capitibus frequenter adjiciebant ⁶. Nihil enim vitii, ac superstitionis inest in hoc

¹ p. 91.

² T. II. p. 48.

³ Pontif. T. II. p. 283.

⁴ Le Sacre Basiliche. Roma 1781. 8. pag. 298.

⁵ in dissertat. de SS. Imaginum Capite radiato. in ejus Select. lib. I. pag. 61. Paris. 1621. 4. Exst. in Tom. III. Discipl.

Popul. Dei pag. 101. edit. Zaccariae.

⁶ Aristophanes. Ann. Marcellinus. l. XVI. et xxv. Florens Christianus. in not. ad aves Aristophanis vers. 1114. Latius. lib. IX. Comment. Reipubl. Rom. Jos. Stephanus Valentinus. de Coronatione Rom. Pont. Johann. Daniel Major. in Serpide radiato. Barthius. l. IV. 17. Adversar. Be-

observantiae, cultusque genere, quod sanctis imaginibus praestatur. Siquidem, ut ait Honorius August. ¹, *lumina, quae circa Capita Sanctorum in Ecclesia in modum circuli depinguntur, designant, quod lumine aeterni splendoris coronati fruuntur. Idcirco vero, secundum formam rotundi scuti pinguntur, quia divina protectione, ut scuto, nunc muniuntur.*

Sed, ut ad nostram Deiparae effigiem, omnium primum Coronae honore auctam redeamus, quis Sindonio, qui rem plenius, atque inquisitius pertractaverat, merito, ac jure non adsentietur, potius quam Barpth. Piazzae ², qui imaginem, quae in Farnesiano Templo colitur, primum ab eodem Alexandro coronatam fuisse tradidit? Verum Sindonio magis habendam esse fidem quisque, opinor, concedet, maxime quum Concetius Caroccus ³ de ejusdem imaginis gloria mire sollicitus, hujusmodi coronationem anno dumtaxat MDCLXXVI. obtigisse fateatur.

gerus. T. II. Thesauri Brandeb. p. 528., et T. III. p. 444. Nicasius. de Numo Pantheo Adriani p. 29. Sponius. Miscell. p. 285. Junius. de pictura Veterum p. 24. Raynaudus. de Pileo §. XVI. Kirckerus. Obelisc. Pamphil. p. 282. Gisb. Cuperus. lib. II. c. XVI. Observat. Alexander Wilthemius. ad Dyplichon Leodiense p. 20. Ant. Fylesius. de Coronis. And. Bosius. *σεφαινοφορία*, seu de coronarum gestatione. Ienae 1669. 4. Contr. Stiglizius. de Lunatis Veterum gentilium insignibus. Erfodiae 1749. Joh. Reiskius. de Nimbo divino. in II. Fasciculo dissert. Schlaegerii. Helmstadii 1743. Anselmus Costadonius. in Explicatione tabulae graecanicae Icon. S. Crucis referentis. et in T. III. Symb. lit. dec. Flor. p. 21. Bonarotus Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi di

vetro. Firenze 1716. Gorius. de mitrato I. C. capite. Joh. Behm. de Nimbo Sanctorum. Regiomonte. 1716. 4. ac praesertim Karolus Paschalius in opere de coronis, in quo res omnis coronaria e priscorum collecta monumentis continetur, cum notis diversorum; et Johan. Nicolai Dissertatio de Nimbis antiquorum, quae imaginibus Deorum, Imperatorum *απωθεωδέντων* olim, et nunc Sanctorum capitibus appingi consuevere. Ienae 1699. 12.

¹ lib. I. cap. cxxxIII. *de Corona in Ecclesia.*

² Efem. Vat. per i pregi d'ogni giorno della Bas. di S. Pietro. Roma 1687. 4. p. 225.

³ Il Pellegrino guidato alla visita delle immagini più insigni della B. Vergine M. in Roma. T. III. p. 92.

Incredibile dictu est, quanta ex hac insueta coronatione facta fuerit cultus accessio ad hoc B. V. Altare. Quae res movit Urbanum VIII, ut omnibus, qui ejus imagini supplicatum venissent, et criminum confessione rite abluti, Sancta de Altari reverenter libassent, atque rem christianam religiose Deo commendassent, anno MDCXLIII, Indulgentiae thesaurum subjectis literis largiretur ¹.

Praeterea affert Sindonius ¹ edictum lingua vernacula, tum propositum in hunc modum. *La Santità di N. S. Papa Urbano VIII. concede Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati a tutte quelle persone, che confessati, e comunicati devotamente visiteranno la Basilica di S. Pietro, ed in essa la Capella della Madonna della Febbre, posta vicino all' Altare del SS. Crocifisso, il giorno della Purificazione.* Haec eadem diserte confirmat Alverus, inquit ². *Si ritrova in questa Cappella un Altare, dove è un'Imagie*

¹ Urbanus PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quum, sicut accepimus, antiquissima imago, B. M. de Febri nuncupata, jussu dilecti Filii nostri Francisci, S. Laurentii in Damaso Diaconi Card. Barberinii nuncup. S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex Fratre Germano Nepotis, et Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe, ex concessione, et dispensatione Apostolica Archipresbyteri, ex Altari subterraneo ejusdem Basilicae, ad Cappellam prope Altare SS. Crucifixi existentem, pro majori ejusdem Virginis veneratione, decoreque translata fuerit, nos ad augendam Fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et

confessis, et sacra Communione refectis, qui praefatam Basilicam, et in ea Cappellam, in qua, ut praefertur, collocata est dicta imago B. M. V. de febrim nuncupata, hujusmodi die festo Purificationis B. M. V. a primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Januarii 1643. Pontificatus nostri vigesimo.

² p. 90. ³ Roma in ogni Stato P. II. p. 176.

della B. V. detta della Febre . Sopra la Porta di detta Cappelletta , o Altare si leggono in marmo le seguenti parole . Venerabilis , ac vetusta Imago S. Dei Genitricis Mariae Imago de febris nuncupata , hac in Aedicula , Urbano Octavo P. M. Fidelium devotioni exposita , anno Sal. MDCXLIII.

§. VIII.

Quarta Imaginis translatio innuitur .

Denique haec B. V. Imago , veluti postliminio , ad pristinam *Templi rotundi* sedem restituta est ; quamquam in alia *Templi* parte fuerit collocata , ut paullo infra planum fiet . Ejus autem loco , in parvulo *Cellae Cubiculo* , una e XII. Columnis vitineis ¹ , seu striis ad modum vitis re-tortis , olim ante *Aram* principem *Bas. Vat.* a *Silvestro P.* erectis , collocata fuit . Hanc *Mallius* , *Vegius* , *Panvinus* , *Turrigius* , *Severanus* , *Ciampinius* e *Dianae Ephesinae* , seu *Trajano Apollinis Templo* , una cum ceteris a *Constantino M.* translata ; alii vero e *Salomonis Templo* advectam credunt . Hanc columnam *Sanctam* appellare , eamque *Fideles* magna prosequi solent veneratione . Quare *Cardinalis de Vrsinis* an. MCDXXXVIII. eam ferreis cancellis munivit , hujusmodi apposita inscriptione . *Haec est illa Columna , in qua D. N. I. appodiatum dum Populo praedicabat , et Deo Patri preces in Templo effundebat , adhaerendo stabat , quae una cum aliis XI. his circumstantibus , de Salomonis Templo in triumphum hujus Bas. hic locata fuit , Daemones expellit , ab immundis spiritibus vexatos , liberos reddit , et multa miracula quotidie facit , per Rev. P. et D.*

¹ *Alpharantus* in mss. descriptione *veracula Basilicae Vat.* La Cappella della B. V. Maria ad Presepe fatta da Io. viI.

tutta incrostata de marmori , et pitture , musaici inaurati , con colonne dua vitinei intorti .

Card. de Vrsinis ornata, anno D. mccccxxxviii. Quam porro virtutem Daemones, qui hominum corporibus insident, aut ejiciendi, aut saevientes refraenandi, eidem Columniae praeter Alpharanum ¹, Turrigium ², Alverum ³, Sindonium ⁴, Gallettum ⁵, aliosque, tribuit etiam Panvinius hujusmodi verbis ⁶. *Altare S. Bartholomaei vetustum, et magnae devotionis, cui proxima erat columna marmorea intorta, vitibus ornata, quae adhuc in Ecclesia nova ibidem prope exstat, cui tantam Deus virtutem praestitit, ut qui a Daemonibus arrepti sunt, apud eam divinis habitis supplicationibus liberantur; quod multis jam certis, magnisque exemplis compertum habemus.*

Post imaginis D. N. M. *Febrifugiae* discessum, Probi Anicii, Probaeque Faltoniae Sarcophagus, ex pario marmore, opereque anaglyptico, translatus a Templo, quod ab ejus Vxsore excitatum, *Probi* dicebatur, quum ad novae Basilicae constructionem inchoandam a Nicolao V. disjectum fuit ⁷, ad S. Thomae Oratorium in meridionali veteris Templi parte, (minime vero ad Aedem Sancti Thomae, vico Parionis, ut tradit Bottarius ⁸), ibique in Fontis Baptismalis usum conversus, usque ad Paulli V. aetatem; postea ex hypogaeo Vaticano in novam Basilicam illatus, variisque locis dimotus, in hoc demum cubiculo collocatus est; uti Joh. Christophorus Battellus ⁹ docet, qui veterem hunc Sarcophagum in anteriori

1 ms. pag. 22. A dì primo de Marzo 1544. fu trasportata la Colonna Santa dal loco, dove stava, a quel Nicchio novo, dove è adesso, senza toccar terra. Il loco, dove stava però, era fra l'Altare magg. et dove sta adesso al piano della Chiesa, et non era coll'ordine degli altri.
2 p. 50.

3 Roma in ogni Stato P. II. p. 176.

4 p. 7.

5 T. I. Inscr. Rom. p. cc.

6 de viI. Eccl. p. 43.

7 Vegius initio lib. iv. Turrigio Grotte Vat. p. 384.

8 T. I. Rom. subt. p. 55.

9 De Sarcophago marmoreo Probi Anicii, et Probae Faltoniae in Templo

Vat. Romae 1705. 8.

facie delineatum apud Baronium ¹, et in omnibus partibus apud Bosium ², Bottarium ³, et Dionysium ⁴, erudita dissertatione illustravit.

Sed satis jam verborum de variis B. M. *februum* translationibus. Nunc pauca de iis etiam imaginibus praestabit adungere, quas, quum eundem titulum *de febris* sibi adsciverint, nonnullam interdum apud Scriptores, qui unam pro altera facile commutarunt, obscuritatem induxisse constat.

C A P V T X.

De ceteris Imaginibus B. M. Februum nomine insignitis.

Ceteras D. N. M. *Febrifugiae* cognomine imagines, numero tres, anteactis temporibus, fuisse deprehendi. Itaque seunctim, unam post alteram, attente inspiciamus.

§. I.

Prima Imago ejusdem nominis in Vaticano sita describitur.

Phil. Dionysius ⁵ exhibet B. Virginis Imaginem, puerum Jesum in ulnis gestantis, quae a Simone Memmio Senensi pictore, in muro coloribus expressa fertur Seculo XIV, quo idem floruit, uti Franciscus Petrarca testatum reliquit, qui eum suis versibus celebravit, quod Laurae suae vultum affabre delineaverat. Haec autem imago sita erat, ut refert Alphanus ⁶, *in intercolumniis Porticus in pariete vetustissimo, instar Sacelluli exstructo, a facie Orientis*. Inde anno MDLXXIV. Gregorius XIII. in

¹ ad an. 195. ² lib. II. c. VII.

³ T. I. Rom. subt. p. 53.

⁴ tab. 82. et 83.

⁵ Tab. VI.

⁶ n. 136.

Oratorium Gregorianum, quò jam vetustior *B. V. de febribus* imago e Templo rotundo translata fuerat, et Oratorio nomen dederat, deferri curavit.

Verum, quum antiqua pars Basilicae, et hoc *S. M. de febribus* Oratorium, novi Templi perficiendi caussa, diruenda essent, una cum celebriori *B. M. Februum* imagine, item in Cryptas Vaticanas translata est. Haec autem effigies in ambitu Confessionis Principis Apostolorum, ad latus meridionale collocata fuit, adjecta hac inscriptione, quam Paullus V. apponi iussit. *SS. haec Deiparae Virginis imago, ut antiqua habet traditio, inter Columnas Foricis veteris Basilicae, impia manu in facie percussa, sanguinem fudit supra tres istos lapides ferrea crate munitos, ex Aedicula S. M. de febribus, ad quam sub Gregorio XIII. ex Porticu translata fuerat, e ruinis servata, anno MDCVII. hic reponitur, Paulo V. Pontifice Maximo.* Hanc Inscriptionem refert ¹ Janningus, apud quem menda irrepsit. Nam ibi legitur anno MDCVI, pro MDCVII. Item Turrigius, qui bis eam edidit, primum *Paullo V* ², deinde posuit *Vrbano VIII* ³. Recte tamen eam protulerunt Alverus ⁴, et Dionysius ⁵.

Elapsis vero annis *XXII*, nimirum anno *MDCXXXI*. die *xxl*. Februarii, Turrigio teste ⁶, eidem Imagini decentior locus constitutus, et ad Altare Cellae, quod exstat in eodem Confessionis ambitu, translata fuit, ubi promiscue appellatur *S. M. in Porticu*, aut *de Febre*, sive alio cognomine *della Boccia* ⁷, aut *della Bocciata*. Prior titulus is certe fuit, quo primum apud vulgus vocari consuevit, e situ, ubi colebatur; nimirum, Turrigio do-

¹ p. 152. ² p. 34. ³ 134.

⁵ de Crypt. Vat. p. 15.

⁴ Roma in ogni Stato P. II. 187.

⁶ p. 133. ⁷ Alveri loc. cit. p. 203.

cente ¹, fra le Colonne del Portico della vecchia Basilica, nuncupata Madonna del Porticale. Alter vero, qui imagini vetustate, et miraculis celeberrimae, quae usque ad nostram aetatem, in dejecto Basilicae Sacratio exstitit, proprie convenire videtur, huic etiam adhaesit, quod una in Oratorio Gregoriano coli coepta est, unaque, eo exciso, in Cryptas Vaticanas delata, ac facile cum ea propterea commutata. Denique postrema denominatio della Bocciata ², ex eo venit, quod globulo lusorio percussa, sanguinem effudisse perhibetur, ut patet ex allata inscriptione, et ex tribus etiam lapidibus eo sanguine adpersis, qui hodieque prope ipsam imaginem custodiuntur, et a Dionysio ³ exhibentur.

Hae eadem miracula Deorum, Dearumque imaginibus Pagani affingere non dubitarunt, ut constat apud Plutarchum ⁴, Athenaeum ⁵, Dionysium Halicarnassaeum ⁶, Lucianum ⁷, et Freinshemium ⁸. Praeterea loquitur de imagine sanguinem sudante M. Tullius in lib. I. de divinatione; aliaque item exempla, praeter Bulengerum ⁹, collegit Christianus Flemingius in tribus dissertationibus de loquela, sudore, et motu imaginum ¹⁰.

¹ p. 33. 434.

² *Alfarano descr. mss. della Bas. Vat.*
A mano sinistra infra due altre colonne del detto portico vi è una bella immagine della gloriosa Vergine Maria antichissima, nel qual loco si vede certe pietre ferrate in terra, con segni di esser caduto sangue miracolosamente dalla d. Immagine, et qui se crede, fusse stato prima sepulto S. Gregorio primo, quale immagine intieramente l'anno 1574. fu trasferita dentro al Secretario di S. Pietro, non molto discosto da questo loco, et bene adornata col bello Altare, et po-

stovi anco li detti petri de marmore con craticole di ferro, dove se credeva esser cascato il sangue della Madonna.

³ Tab. ix. num. 2. 3. 4.

⁴ in Camillo p. 132. et in Coroliano p. 232.

⁵ de Veneris imagine miraculosa c. xv. pag. 676.

⁶ de imagine Fortunae muliebris loquuta. lib. viii. p. 526.

⁷ in Deorum Concilio T. II. p. 71.

⁸ ad Flori lib. II. c. 8. n. 2.

⁹ de prodigiis, sudore, aut sanguine manantibus. in T. v. Thes. Graev. p. 465.

¹⁰ Lipsiae 1705.

Haec itaque illa eadem est imago, de qua obiter supra ¹ loquuti sumus, quaeque, ut ait Turrigius ², fu-
 sta vicino a quella delle Febbri, in Cellula Oratorii Grego-
 riani, detta di Gio. Guidetti, perchè ivi era sepolto. Si ha per
 antica tradizione, che questa sacra imagine fu da certi em-
 pi percossa nella faccia, onde subito ne uscì sangue, et hora
 vi si vedono tre pietre in alcuni luoghi incavate dalle goc-
 ciole del sangue, che cadde in terra, e tali pietre sono bian-
 che, coperte di grata di ferro. En igitur, cur idem Gui-
 dettus in Necrologio sepultus dicitur presso la ferrata,
 cum inscriptione superius allata, quam item Cl. Gallet-
 tus evulgavit ³.

Quae quidem recentiores denominationes quum ve-
 terem illam S. Mariae in Porticu aboleverint, nonnullis
 etiam fraudi fuerunt, ut cum vetustiori, ac vera imagine
 B. M. Februm commutarent. Hanc autem Caroccus ⁴,
 disserens de imaginibus B. V., anno MDCXXXI. coronatam
 fuisse, falso ait. Nunquam enim id honoris ei contigisse,
 memoriae mandatum est, idque, uti monuimus ⁵,
 de antiquiori tantum B. M. Februm imagine pronuncian-
 dum erat, quam tamen corona redimitam et ipse tra-
 dit, licet anno MDCXXXIV. perperam adscripto.

§. II.

Alter a imago ejusdem nominis in Vaticano.

Alia etiam imago B. V. prodigiis conspicua, in Aedi-
 cula tertii Cryptarum fornicis, qui Boream respicit, col-
 locata fuit, ut patet ex tabula Cryptarum ichnographica
 a Phil. Dionysio ⁶ evulgata, atque ex antiquiori Benedi-

¹ p. 747. ² p. 33.

³ Inscript. Rom. p. CCCXLV.

⁴ il Pellegrino guidato T. iv. p. 278.

⁵ p. 1308.

⁶ num. 57.

cti Drei, edita an. MDCXXXV, quae eidem Dionysio ignota fuisse videtur. Ibidem hujusmodi inscriptio apposita fuit, a Turrigio ¹, et Alvero ² allata. *Effigies haec Dei Genitricis Mariae erat in antiquo Secretario, quod postea dictum fuit Sacellum S. M. de febris, hic anno MDCXXXI. sub Urbano VIII. exposita.* Haec item a Dionysio ³ illustratur, qui delineandos curavit binos genios marmoreos juvenili aetate florentes, quum, ut ait Gulielmus Durandus ⁴, *nunquam senescant*, qui ad ejusdem Altaris latera conspiciuntur.

Sed ignoravit tamen vir eruditus, quem locum olim in veteri Basilica occupaverint, cuique usui fuerint destinati. Quam rem tanto ante Turrigius declaraverat, qui tamen falso hanc imaginem eandem esse, atque alteram *B. M. februm* existimavit. En tibi ejus verba ⁵. *Vi era l'Altare con una divota Immagine di M. V. col Figlio in braccio tenente il Mondo in mano, depinta da un allievo di Pietro Peregrino, e sopra vi si leggeva: Imago B. V. super januam ingressus Sacristiae olim posita, hic anno 1631. exhibita . . . Vi ardeva già di continuo una lampada, vi erano appesi molti segni votivi, e candele, e prima stava tra gli Altari di S. Andrea, e S. Tomaso, sopra la Porta dell'ingresso della Sacrestia della Basilica demolita, e quì fu trasportata al tempo di Paolo V. Fu poi levata nel 1634, e posta nella Cappelletta, dov'è la Colonna Santa con Angeli di marmo, che stavano all'Altare del SS. Sacramento nella Basilica antica. Ac rursus alibi ⁶. Vedesi sotto la volta l'Altare, ove nel 1631. è stata posta, come si disse, una divota, et antica immagine di M. V.*

¹ Grotte Vat. p. 436.

² Roma in ogni Stato P. II.

³ p. 171. tab. LXVII.

⁴ in Ration. Div. Off. I. I. num. 8. c. 3.

⁵ p. 284.

⁶ p. 434.



Effigies D. N. Mariae Febrifugiae, in Aede Rotunda
 veteris Sacrarii primitus culta, et anno MDCXXXI omnium
 prima ab Alexandro Spörtia Pallavicino aureae coronae
 honore aucta, nunc in Cellam Sacrarii Beneficiorum translata

Carloni sculp.

col figlio in braccio , depinta da un allievo di Pietro Peruginno , e stava già nell'antico Segretario , dove si vestivano li Pontefici solennemente , prima d'entrare nella Basilica , trasferitavi dal luogo , detto all'hora Templum S. M. de Febribus , che è hora la Sagrestia .

Haec autem aperte demonstrant, Turrigium hanc eandem imaginem pro ea habuisse , quam *B. V. de febribus* dicimus , sed magno , ut Sindonius ¹ animadvertit , errore . Nam ea tantum effigies , quae in *Templo rotundo* primum colebatur ; prope *Cellam SS. Crucifixi* , ubi nunc *Columna Sancta* , translata fuit , quae vero a Turrigio describitur , adhuc exstat in Aedicula tertiæ fornicis Cryptarum . Atque quum sit opus excellens , peritorum iudicio , Petro Perusino assignatum , sive ab aliquo nobilissimi hujus pictoris alumno profectum , hoc unum satis ejus opinionem refellit . Siquidem vera *B. M. de febribus* imago , cujus heic exemplar ex Archetypo diligenter expressum apposite delineandum curavi , longe vetustior certe est , et multo ante Petri Perusini aetatem depicta , quam nimirum ad Sec. XIV. referendam esse supra ² ostendimus .

§. III.

Tertia Deiparae Imago de Febri nuncupata .

Nunc quoniam ad imagines delapsi sumus , quibus titulus *B. M. de febribus* a Scriptoribus adscitus est , pauca dicere juvabit de altera , quae re ipsa idem nomen *B. V. de Febri* , uti haec nostra , obtinuit . Age igitur e Cryptis Vaticanis , ubi hactenus versati sumus , egressi , Clivum Cinnae , nunc *Montem Marium* , qui distat a Vaticano mille fere passus , alacri animo conscendamus .

¹ pag. 151.

² p. 1288.

Idem Mons, variis nominibus a Scriptoribus indicatur. Nam in Ordine XIII¹, et a Platina² *Mons Malus*, in Ordine XIV³, in Chronico Cassinensi⁴, in Epitome Petri Diaconi⁵, et a Ligurino⁶ *Mons Gaudii*, a Blasio Baronio *Mons Maurus*, ab aliis etiam *Mons Aureus* nuncupatur. Sed tamen *Mons Marius* nunc vulgo audit, non a *Consule Mario*, uti Turrigius⁷, aliique inepte existimarunt, sed a *Mario Millini* Equite Romano, qui floruit Xysti IV. aetate, ibique pulcherrimam Villam aedificavit. Ibidem Ioh. Victorius de Rubeis, seu Ianus Niccius Erythraeus⁸ villulam suburbanam sibi coemit, quò frequenter secedens, salubrioris Caeli beneficio, et amoenissimo puri, ac patentis soli prospectu recreabatur. Praeterea anno MDCXXVIII, piorum largitionibus, ut tradunt Martinellius⁹, et Caroccus¹⁰, *B. M. de Febri* Templum e fundamentis excitavit, ejusque effigiem miraculis insignem, insequenti anno, publicae venerationi proposuit.

Quum autem Urbanus VIII. anno MDCXLV. quamplurimis privilegiis eandem ditaverit, et Sodalitii Mariae exoratae, quod ope ejus, hostes nominis Christiani devicti sint, Indulgentias concesserit, hinc Templum *SS. Rosarii, et de Febri* appellari consuevit, hodieque etiam appellatur. Nam inter Curiones, qui ex praescripto Benedicti XIV. XI quotannis in Bas. Vat. feria v. in Coena

1 T. II. M. It. p. 235.

2 in Pasch. II.

3 loc. cit. p. 406.

4 lib. IV. c. XVI.

5 ab Aug. Patrit. Card. Piccol. dicata.

6 in Frider. Imper.

7 p. 261.

8 Sa vie. dans les Memoires de Nice-

ron. T. XXXII. p. 225. Ioh. Chr. Fischeri vita Iohan. Victorii Roscii, vulgo Iani Niccii Erythraei, una cum Erythraei Epistolis a Fischero editis. Col. Vbiorum 1739. 8.

9 p. 217.

10 Pellegrino guidato Tom. I. pag. 471. V. Galletti T. III. Inscr. Roman. p. DXVI.

11 T. III. Bull. Vat. p. 358.

Domini, sacrorum Oleorum, et Chrismatis confectioni, ac tum in Sabbato Sancto, tum in Pentecostes pervigilio, Fontis Baptismalis benedictioni interesse debent, *Prior Ven. Conventus B. M. Rosarii, et febris*, e Dominicana familia, ad *Montem Marium*, de more arcessitur.

Haec de *Imaginibus B. M. Februum* censui proferenda. Nunc, quoniam omnium harum antiquissimam, in suam sedem rediisse observavimus, nos etiam rursus in idem Templum redeuntes, cetera ad primam ejus Cellam spectantia videamus.

C A P V T X I.

Reliqua de vetustiori Cella D. N. M. Febrifugiae exponuntur.

Haec autem Cella, quam unam e *septem* in totidem angulis antiquitus constitutis, fuisse diximus, sublata tum fuit, quum imago B. V. non *juxta*, sed in ipsum *Ora- torium Gregorianum* illata est; eodemque loco bini aditus patefacti, per quos in *Cellam Xystinam*, sive *Subseliarium* ex una parte, ex altera in ipsum *Sacrarium*, e via publica transitus erat. Primi aditus testimonium praebet *Attilius Serranus*, qui describit ¹ *Cellam Xysti, juxta Portam Sacrarum*.

Ad calcem operis nonnullas *Inscriptiones* rejecimus, quae in hac Cella antiquitus visebantur, ut indicio est *Alpharanus*, qui eas ita enumeravit. *Sed redeamus*, inquit ², *ad nostrum intra hoc praedictum S. Mariae Sacellum. Sub pavimento multa Nobilium, et Magnatorum corpo-*

¹ de viI. Eccl. p. 24.

² n. 172. Dentro la Cappella della Febbre sono li sepolcri, ma non si ponno

leggere le Iscrizioni, ma solo questi alla destra parte del Sacello, e dell' Altare.

ra condita fuisse audivimus , quorum nomina in marmore etiam insculpta exolevere . Sed paucis dicamus , ex quorum inscriptionibus haec excerpta sunt . In dextera parte Altaris sepultus est Henricus Dailman , Paulli II. Cubicularius , et a sinistra Henricus de Zomrin , Doctor Theologiae , Xysti IV. PP. Cubicularius , et Ecclesiae Antuerpien. Decanus dignissimus . Ante hoc etiam Sacellum Bartholomaeus Maraschi Episcopus Castellanus , et Almae Urbis Vicecamerarius , tempore Xysti IV. et Iacobus Breucetti Episcopus Nucerinus , sub diversis marmoris lapidibus tumulata sunt , ut ex inscriptione liquet .

Quae vero ad duos hosce Episcopos spectant , ut Sindonium ¹ praeteream , confirmant Paullus de Angelis , et Karolus Fontana ² ; qui tamen Episcopum Nucerinum ridicule appellat Iacobum Brevetto , quem mirificus ejus operis latinus interpret vocat Iacobum Brevictum , et Episcopum Novariensem , ut aliena errata , novis , ac suis cumlaret .

Ad hanc Cellam omnino referendum esse duco , quod Jac. Volaterranus memoriae tradidit , de quodam Leone Cohortis Praetorianae Duce , in Coenobio Cryptae Ferratae a Columnensibus confosso , qui noctu ejusdem Coenobii claustra per vim irruerunt . Ann. mccccxxxiv , inquit ³ , Leonis Cadaver , sequenti die Veneris in Urbem relatum , et Sabbatho elatum est funus , Pontificis Familia honorifice prosequente , atque in Cellula B. M. de febris tumulatum .

Item de hac Cella in libro Benefactorum haec prodita reperi ⁴ . 11. Kal. Febr. mccccxxxi. Ista die Ill^{ma} D^{na} Lucretia de Borgia donavit in Basilica nostra Cappelle beate Virginis de Febris unam planetam de purpura , cum casula ,

1 p. 85.

2 p. 86.

3 T. xxiii. rer. Ital. Murat. p. 197.

4 p. 16.

sive friso de broccato de auro pulcram . Orate pro felicitate , et salute sue dominationis Illme .

Alia etiam ab Alpharano praetermissa, aliorum Scriptorum ope, licet in medium proferre. Nam apud Vghellium legimus ¹. *Franciscus Gazzetta, quo Lucretia Borgia moderatore utebatur, ab Alexandro VI. Pontifice adlectus est Episcopus Perusinus die 15. mensis Octobris anno 1498. Romae decessit 1499. die 29. mensis Iulii circa 20. horam, insecutoque die celebri pompa tumulatus est in Vaticana Basilica, in Sacello S. Mariae ad Febrem. Consule Acta Consist.*

Haec autem tradit Thomas Thomasius de Alphonso Aragonensi, ejusdem Lucretiae Viro ². *Gli furono fatti i funerali, se non quali convenivano alla sua conditione, pure con qualche decenza, venendo accompagnato tra gli altri alla sepoltura da D. Francesco Borgia Arcivescovo di Cosenza, e Tesoriere Generale del Papa, e sepolto per modo di deposito in S. Pietro, nella Capella di S. Maria delle Febri.*

Item ex Libr. mortuorum, haec alia colligimus. *Domenica 21. Iugnio 1545. morse il Vescovo de Latri, sotterrato alla Febre. Ibidem tumulatus fuit alter ejusdem Eccl. Antistes, de quo memoriae traditum fuit. Domenica 13. Febbraro 1547. morse M. Zacharia Vescovo d'Alatri sotterrato in S. Pietro. Itemque a di 10. Agosto 1554. Il Vescovo di Calglie sepolto in S. M. della Febbre in un deposito. De eodem ita loquitur Vghellius ³. Ioannes de Monte, Bastiani filius Aretinus Iulii III. affinis adlectus est 1550. die 21. Mensis Iunii. Decessit vero 1554. Idus Augusti, quem pia liberalitate insignem egeni inconsolabiliter luxerunt.*

¹ T. I. col. 1164.

² La Vita di Cesare Borgia, detto poi il Duca Valentino. In Monte Chiaro

appresso Gio. Baptista Vero. 1655. 4.

et 1671. 12. p. 274.

³ T. II. p. 823.

§. I.

De Pietatis nomine , quo eadem Cella quandoque donata fuit .

Antequam ad alteram Cellam progredimur , aliud etiam huic nomen , Alverum tribuisse , animadvertendum est , qui in hoc loco ¹ *Pietatis* Cellam ponit , et *quartam* , et *postremam* appellat . Hoc autem nomen mutuari certe debuit a celeberrimo augustissimae Dei Parentis Mariae Simulacro , sedentis , ac Filium exanimem sustentis e pario marmore , quod vix Templum *S. Petronillae* , ubi prius collocatum fuisse vidimus ² , solo dejectum est , huc translatum fuisse scimus . Quod tamen non minus ignotum fuit Petro Mariette ³ , quam eruditissimis Joh. Bottario ⁴ , et Dionysio ⁵ , qui statim e Templo *S. Petronillae* , ad Altare *Subseliarii* translatum fuisse affirmarunt .

Nunquam verò mihi persuadeam , ejusdemmodi nomen , alteri potius *SS. Andreae , et Jacobi Maj.* Cellae convenire , ubi inter Sepulcri , quod sibi Callixtus construxerat , ornamenta , marmoream *Pietatis* Statuam existitisse demonstravimus ⁶ . Siquidem hoc liquidum plane fit ex ipso Alvero , qui referens *Henrici Dailman* inscriptionem , quam ibidem locatam fuisse diximus , hanc *pone Cellam Pietatis* positam esse scripsit .

Sed audiatur Bernardus Gamuccius , qui ita rem aperte declarat ⁷ . *Dove è la Chiesa di S. M. delle Febbri , nella quale è la maravigliosa , et divina effigie di marmo di S. M. delle febbri , fatta dall' eccellentissimo Buonarroto .*

¹ T. II. p. 206.

² p. 1052.

³ in *Observ. ad vit. Bonar. a Condivio* scriptam in edit. II. Florent. p. 69.

⁴ T. II. vit. Vasar. p. 202. edit. Palear.

⁵ p. 170.

⁶ p. 1275.

⁷ *Le Antichità della Città di Roma.* Venezia 1565 , e 1588. p. 139.

Ex quibus licet in Statuae nomine declarando lapsus fuerit, locum tamen, ubi sita erat, recte indigitavit.

Nam idem simulacrum in hoc Templo exstitisse, dubitandum minime est, quum id etiam in funebri Bonarotae laudatione diserte Varchius tradat, ubi de eo praedicavit. *Nè molto andò, che Guglielmo Brissoneto Card. di Roano, mosso dalla gran fama di Michel Angelo, e morendosi di voglia di haver alcuna scultura di sua mano, per memoria di sè, e del Re Christianissimo, ottenne, ch' egli gli facesse d'un pezzo solo di marmo quella Pietà, la quale si ammira hoggi nella Cappella della Madonna della Febbre.* Id etiam una cum Turrigio¹, et Bonannio², Laurentius Schraderus affirmavit, qui in *Catalogo sacrarum Aedium Urbis*³ ait. *S. M. de febribus, olim Martis in Vaticano. Haec Statua Michaelis Angeli Bonarotae.* Ac licet eorum testimonium deesset, illud suppeteret Georgii Fabricii, qui haec habet⁴. *In Vaticano olim Martis, ad sinistram Basilicae S. Petri, rotundum, et parvum. In eo Statua Virginis mortuum Filium tenentis, et lacrymanti similis, opus Michaelis Angeli, e lapide candidissimo.* Quare censura notandi certe sunt, non tam Alpharanus⁵, et Ciampinius⁶, quam Panvinus ipse, qui eos, ut supra⁷ innuimus, in errorem induxit. Nam sibi repugnans⁸ in *antiquissimo Secretario*, seu potius in *Cella Gregoriana*, ubi imago *B. M. de febribus* aliquamdiu stetit, insignem hujusmodi Statuam in *novissima Cella* exstitisse tradidit, hujusmodi verbis. *Secretarium erat locus praecipuis Urbis Basilicis adjunctus. In hoc Oratorio, sive Secretario exstat*

¹ Grotte Vat. p. 531. ² p. 115.

³ in Schotti Itiner. lib. 11. p. 326.

⁴ In descript. Urbis Romae pag. 269.

Basil. 1527. 1551. 1560. Helm. 1670. 4. et

in A. Thysii Roma illustr. Amst. 1615. 12.

et in T. 111. Thes. Graevii.

⁵ p. 52. ⁶ p. 83. ⁷ p. 749.

⁸ T. 11. ms. p. 136.

imago B. V. Filium mortuum amplexantis, ex uno marmore pario, admirabili Michaelis Angeli Bonaroti opere facta, impensa Cardinalis S. Dionysii, quem Oratorem Regis Francorum Alexander VI. purpuræ honore decoravit. Quae et Alpharanus confirmat, qui Simulacrum in tertia hujus Secretarii Cella locatum fuisse scripsit ¹.

Verum idem nomen B. M. de febribus, quod Cellae Gregorianaë aequae, ac Sacratio nuper exciso adhaesit, in causa fuit, ut primam pro hoc altero perperam acceperint.

Heic autem, quousque Templum in Sacratio usum cessit, plus minus stetit conjiciendum est. Nam ad Capellam Chori, Gregorii XIII. aetate, Grimaldus ² translata fuisse tradit. Quod tamen paullo ante contigisse videtur, si potius, praeter Pomp. Vgonium ³, Franciscum Bencium audiamus, qui in Epicedio Antonii Caraffae Cardinalis, qui fuerat Basilicae Vatic. Canonicus anno MDLX, inter praeclara ejusdem facinora, hoc etiam recenset. *Simulacrum SS. Virginis Dei Matris, Filii Corpus e Cruce depositum in sinu gremioque, praeclare factum ex marmore, quod mirando non satiamur, in Templo Vaticano positum esse scimus omnes. E Templi loco obscuriore, in hanc porro lucem, ubi nunc est, Antonius, quum adhuc esset in amplissimo eorum ordine, quorum debito officio, ac diligenti cultu Sacrorum caeremoniae celebrantur, transferendum curavit.*

Porro illud certum est, quemadmodum Vgonius ⁴ prodidit, Ludovicum Blanchettum Bas. Vat. Canonicum, et Gregorii XIII. admissionum Magistrum, mira erga B. V. pietate inflammatum, anno MDLXXV. marmoreum ornamentum, quo undequaque praefulget, adjecisse. Deinde vero *Subselliarii* Cella, quò haec effigies e Sacra-

¹ ms. n. 148. p. 52. V. p. 749.

² p. 125.

³ p. 98.

⁴ loc. cit.

rio translata fuit, ab eadem vulgo indigitari consuevit, ut praeter alios Mabillonius¹ testatur, qui ait. *Coetus Canonorum S. Petri in Sacello, quod ob praeclaram Deiparae ex marmore effigiem, auctore Michaele Bonarota, Sanctae Mariae de Pietate appellant, divina officia celebrat.* Haec autem aurea corona, pretii aureorum DLXIV. ab ipso Alexandro Sfortia Pallavicinio redimita, pridie Kal. Augusti MDCXXXVII, tamdiu exstitit, quoad tabula musivi operis, in qua M. S. ab origine immaculata exprimitur, absoluta fuit, ibique collocata. Tunc enim, ne duplex eodem loco ejusdem Deiparae effigies coleretur, Benedicti XIV. jussu aucta fuit ad Altare, quod est ingredientibus in Basilicam Vaticanam, parte dexteriore. E quo tamen loco, una cum Cl. Bottario², affirmare non dubitem, optandum maxime esse, ut denuo removeatur, atque ad Aram, e regione novi Sacrarii, transferatur, ubi hoc artis miraculum meliori in lumine collocatum, ejusdem artis peritis multo magis admirari liceret.

Sed, quum toties, totque verba de celeberrimo hoc Bonarotae opere fecerimus, non possum hoc loco a me impetrare, quin Joh. Bapt. Marinii versus adducam, qui de eo sic cecinit³.

*Sasso non è costei,
Che l'estinto Figliuol freddo, qual ghiaccio,
Sostien pietosa in braccio.
Sasso più presto sei
Tu, che non piangi alla pietà di Lei.
Anzi sei più, che sasso;
Che suole anco da' sassi il pianto uscire,
E i sassi si spezzaro al suo morire.*

¹ in Itin. Ital. T. I. p. 50. ² T. III. Vit. Vas. p. 201. ³ Madrig. 158.

CAPVT XII.

De Altari Crucifixi .

Cella , quae Altari *S. Mariae de febribus* ad Aquilonem adhaerebat , cui sacra esset , Alpharanus ¹ , Paulus de Angelis ² , Ciampinius ³ , Sindonius ⁴ , ac demum ipse Chattardus ⁵ sese omnino ignorare professi sunt . Quod de recentioribus hisce scriptoribus praecipue miror , quum Karolus Fontana ⁶ hanc *Iesu Christi* nomine donatam fuisse scripserit , quod et Bonannius ⁷ recepit ; atque idem Sindonius ⁸ edictum protulerit , supra ⁹ a nobis allatum , ubi Cellam *B. M. Februum* , pone *Altare SS. Crucifixi* sitam fuisse , luculenter indicatur . Quod etiam constabat ex Antonio Petri , qui , uti vidimus ¹⁰ , Cathedram *S. Petri prope Crucifixum* , adservatam fuisse tradidit .

Hanc autem , veram hujus Cellae appellationem fuisse deprehendimus , ex diplomate Xysti IV , ubi praecipitur ¹¹ exequutio cujusdam Sacerdotii , instituti a *Dominico de Philipputiis Canonico* , ad *Altare Crucifixi Canonorum* , *sub tetudine* , et *ambitu Cappellae B. Mariae de febribus* , quae nempe , ut diximus , ei contigua erat . Quapropter recte quidem arguunt Bull. Vat. editores , non aliam fuisse , quam illam , ab Alpharano indigitatam num. 173. ¹² , de qua nunc nobis sermo est .

1 ms. p. 173. p. 65.

2 p. 41.

3 p. 91.

4 p. 85.

5 lib. 11. c. x p. 86.

6 p. 86. lib. 11. c. x.

7 p. 30.


8 p. 90.

9 p. 1311.

10 pag. 1261.

11 T. 11. Bull. Vat. p. 203.

12 p. 65.



§. I.

De plastica Crucifixi imagine ibidem collocata .

Pristini nominis hujus Cellae , ad haec usque tempora testis exstitit luculentissimus . Nam maximo super Armario , e nuce , quod *Clemens XI.* construi jussit , in Altaris hujus loco , uti refert *Chattardus* ¹ , ad argenteam , aureamque Basilicae supellectilem custodiendam , sacrosanctum simulacrum D. N. *Crucifixi* exstabat , cujus formam cum suppedaneo , quod ambitu suo majorem Crucis stipitem superat , aere expressam exhibuit *Cornelius Curtius* ² , instar alterius argentei fictum , quod in terrima Urbis direptione , Borboniorum manus evasit .

Interest vero audire , qua de caussa sacrilegi direptores , reliquis Bas. thesauris compilatis , hunc quoque *Crucifixum* non abstulerint , ex *Grimaldo* , qui haec habet apud *Turrigium* ³ . *Basilica S. Petri diripitur , reliquiae praedantur . . . Crucifixum ad hominis staturam sub Carolo M. donatum a Leone III. ex argento , ob nigredinem non cognoverunt .* Porro si cognovissent , certe cum ceteris Sanctuarii vasis , quae eos abstulisse refert *Grimaldus* , rapuissent .

Nihilominus ad sacra vasa reficienda , quae impii direptores praedati fuerant , sub *Iulio III.* anno MDLI. conflatum fuit , uti narrat idem *Grimaldus* , qui haec subdidit . *Inde in usus sacrorum ad nova Candelabra , et duas Apostolorum Statuas faciendas conversum , relicto schemate , imagineque priori simili ex mixtura in Sacratio ad hunc*

¹ T. I. p. 240.

² De Clavis Dominicis pag. 113. edit. Antwerp. 1670. et Lugd. Batav. 1685. et

in Opusc. Passion. Domin. illustr. Fasciculo 11. Dusseddorp. 1730. 12.

³ p. 258.

diem. Quod idem alibi etiam confirmat, ubi ait. *Hodie etiam exstat imago Crucifixi plactea (licet ipse Leo III. fecerit argenteam) alta palmis VII. lata II. in Sacratio. In excidio Urbis sub Clemente VII, non fuit ob nigredinem cognitus, et anno MDL, ex eo Crucifixo fuerunt facti Calices, Crux inaurata, duo Candelabra magna, sex minora, et duae Statuae SS. Petri, et Paulli. Quae quidem Grimaldi verba a Bull. Vat. editoribus praetermittenda non fuerant, quum ex iis, tum Crucifixi aetas, et pondus, tum usus, in quem conversus fuit, aperte indicetur. Haec autem, tamquam ex Turrigio ¹ desumpta, retulit Martinettus ², quae Grimaldo rectius a Baldinio ³ tribuuntur.*

Sed primo, vereor, ne Turrigius, quem Cornelius Curtius ⁴, Bartholinus ⁵, et Dom. M. Mannius ⁶, parum considerate sequuti sunt, Karolo M. tribuerit, quod uni Leoni tribuendum erat, praeterea nemini. Ejus enim Biographus, ipse, inquit ⁷, *a Deo protectus Ven. et Almificus Pontifex fecit in Basilica B. Petri Apostoli nutritoris sui, in medio Basilicae, Crucifixum ex argento purissimo pensantem libras LXXII. Idem profecto pronuntiandum esset, etsi cum Vignolio Crucifixum, de quo loquimur, minime ex hoc, sed ex altero Anastasii loco indicatum fuisse judicemus, qui est hujusmodi ⁸. Ejus beatitudo fecit Crucifixum ex argento purissimo, qui stat juxta Altare majus, mirae magnitudinis decoratum, pensantes libras LII. cui super fecit gabathas VI. cum Cruce ex argento purissimo. Praeterea Grimaldus ipse ab eo allatus, hunc Crucifixum sub Karolo M. hoc est Karoli M. aetate, a Leone III, numquam vero ab*

¹ p. 486.

² p. 221.

⁶ de Tit. Dom. Crucis Archetypo c. XII. pag. 28.

³ T. II. Anastas. edit. Vignol. p. 264.

⁷ T. II. §. XXXIX. p. 263.

⁴ loc. cit.

⁵ de Cruce hypomnem.

⁸ ibid. p. 270.

ipso Karolo M. donatum scripsit; idemque simulacrum ipsum Leonem III. fecisse, diserte alibi narrat. Quid ni? si Anastasius ¹ Crucem, quam Karolus M. Leoni III. dono dedit eodem anno, quo coronatus fuit, a Latronibus noctu furtim ablatam fuisse narrat? Itaque male etiam Bartholemaeus Piazza ², hujusmodi Crucifixum, inter Karoli M. donaria recensuit, ac plasticam ejus imaginem a Iulio III. eodem loco collocatam fuisse tradidit, ut ejusdem Imperatoris munificentiae monumentum conservaret. Ac propterea haud injuria Panvinium ³ notavimus, qui hunc Crucifixum, et a Karolo M. donatum, et in Altari Reliquiarum, ubi Ioh. Chrysostomus quiescebat, praepostere collocavit. Ibi enim Crucem existisse vidimus, quae primum Altare SS. Philippi, et Iacobi ornavebat, quamque idem Panvinus noverat, qui Leonem IV. duas magnas Cruces fabricasse scripsit ⁴, unam auream librarum cc, alteram argenteam librarum totidem.

Ceterum, ne quid dissimulem, Cl. Stephanus Borgia in luculentissimo Commentario de Cruce Veliterna, in dubium revocavit ⁵, utrum hoc enecti Crucifixi schema cum tabella suppedanea, referat Leonis III. donum, an alium potius argenteum Crucifixum sequiori aetate elaboratum, quum primum invaluit mos, clausis oculis, et perforato latere ⁶, Philanthropum in Cruce suffixum

¹ in vita Leonis III. V. Pelliccia de Christ. Eccl. Politia T. II. p. 127.

² in Eph. Vat. p. 66. ³ p. 1250.

⁴ T. III. ms. pag. 14. *Alpharantus haec habet.* Gli Altari de SS. Simone, e Giuda, Filippo, et Iacobo erano in mezzo la Chiesa nella nave grande, uno a man destra dell'introito della Chiesa, l'altro a man sinistra, de rincontro l' uno all' altro, infra le colonne, infra la quinta,

et la VI. colonna della nave grande, quali Altari, come riferisce Mallio, havevano Croce d' argento grandissime, fatte da S. Leone PP. III.

⁵ p. 35. 195.

⁶ V. Sarnelli. Perchè nelle immagini di Cristo Signor nostro Crocifisso si mette la testa di morto sotto i piedi? in T. v. Liter. Eccles. p. 54. Delle Immagini del SS. Crocifisso. in T. VI. p. 85.

repraesentandi. Verum si quis de tota hac quaestione erudiri cupiat, expendere poterit rationum momenta, quae Praesulem doctissimum ad hujusmodi dubitationem impulerunt.

In sinistra Cellae parte, ejus lateri adhaerens contra Orientem, nobilissimum marmoreum sepulcrum visebatur *Hugonis Lingles*, Equitis Nicosiensis, quem Kar. Fontana, ejusque latinus interpret¹, una cum Bonannio², *Vgonium Anglum* appellant. Hic cum Ludovico Podocatharo, insigni Philosopho, et Cardinali³, et Georgio Flato, qui Filiam in matrimonium tradidit Petro Aldobrandino, ex qua genuit Silvestrum Clementis VIII. parentem, hic, inquam, Karolottam de Lusignano, Cypri, et Hierusalem Reginam, cujus a consiliis erat, et Regni Cypri Camerarius, per tyrannidem a Regno pulsam, et exulantem, summa fide Romam usque sequutus erat, ubi primum a Pio II⁴, ac denuo a Xysto IV⁵, munifice excepta, sub ejus Pontificatu, in Basilica Vaticana tumulata est⁶. *Hugonis* epitaphium a Turrigio⁷, in Cella *S. Annae* descriptum, recte eruditissimus Praesul Gallettus⁸ in *Oratorio olim S. Andreae* exstitisse scripsit.

In hac eadem Cella, aliorum etiam illustrium Virorum sepulcra exstabant. Audi eorum nomina ex Al-

1 p. 86.

2 p. 30.

3 V. Florav. Martinellium in Diaconia S. Agathae in Suburra descripta, et illustrata. Romae 1638. 8. p. 84, et Thomae Phoedri Inghiramii Orationem in obitu Lud. Podocathari in T. I. Anecd. Rom. Collect. p. 280. a Cl. Galletto evulgatam, quaeque idem adjecit de Gente Podocathara pag. 6. in eruditissima epistola, praemissa duabus Orationibus ejusdem

Phoedri. Romae 1777. 8. ac demum Inscriptiones Veneras ab eodem Praesule in lucem editas pag. 139.

4 Comm. l. viI.

5 Turrigio Grotte Vatic. pag. 285. 288. 292. 293. 297. 299. Dionysius p. 99.

6 in Inscript. Pedemontanis Romae exstantibus. Romae 1766. 4. p. 11.

7 Turrigio p. 286.

8 loc. cit. p. 12.

pharano . In pavimento , inquit ¹ , istius Sacelli , sub lapidibus marmoreis requiescunt Ioannes Niis ex Borsalia Decretorum Doct. Sed. Apostolicae Protonot. Innocentii PP. VIII. Cubicularius , et Alphonsus de Ballistis , et Franciscus Macel. Vir Pedemontanus doctissimus . Alterum vero ibidem exstabat monumentum Paulo Malchionis Puteolani Filio , a Francisco Fratre positum , de quo vide sis , quae in nostra Sylloge adnotavimus . Sed quum haec Cella disiecta fuit , eorum ossa ad supradictum sepulchrum intra Basilicam novam , in locum ubi fuerat olim S. Petronillae Templum , translata fuerunt .

CAPUT XIII.

De Cella SS. Trinitatis , et SS. Cosmae , et Damiani .

Jam vero , quoniam sex Altaria dejecti Sacrarii perlustravimus , septimum , quod reliquum est , inspiciamus . Occurrit hoc num. 174. contra Aquilonem , et Occidentem , SS. Trinitati , in honorem SS. Cosmae , et Damiani dicatum . Eandem Cellam , ut tradit Grimaldus ² , D. Ansuinus de Anticoli Fundator Capellae , Prior Clericorum , sub

¹ num. 173. ms. pag. 65. Segue l'altra Cappella , dov' è adesso la porta della Sagrestia , et al muro contiguo alla d. Cappella della Madonna della Febre , vi è questo Sepolcro di marmo elegantissimo , con queste arme , et Iscrizione Vgoni Lingles . Al pavimento a piede a questa sepoltura sta un'altra con lapide insculpta , et arme con questa Iscrizione . Ioannes Niis. Segue appresso al soprad. un' altra pietra con queste Arme , et Inscriptione meza corrosa Alphonsus Ba-

listerus . In mezzo di detta Cappella al pavimento è quest' altro sepolcro con questa Iscrizione Francisco Macel .

Tutti questi sepolcri fono levati l' anno del Sig. 1573. quando si è fundata la Cappella della Chiesa nuova , de rincontro della Cappella , detta Gregoriana , et li marmi fono trasportati in più lochi , et li ossi loro fono sepolti nelli lochi più propinqui , dentro d. Sagrestia a certi Sepolcri .

² in lib. Descend. Can. fol. 125. ms.

Invocatione SS. Cosmae, et Damiani anno MCDLXXX. exstruendam curavit. Praeterea idem Ansuinus, Beneficiarium Prior, Alpharano¹, et Ciampinio² adstipulantibus, amplissima dote locupletavit. Ejus liberalitatis memoriam diserte servavit Bas. Necrologium, in haec verba³. Prid. Kal. Aug. M. D III. Obiit Ven. Vir Dñus Ansuinus Prior Beneficiator. Basilicae, qui reliquit unam suam domum sitam in Transtiberim, in Parrochia S. Silvestri, Cappellae Sancte, et Individue Trinitatis, ac SS. Cosme, et Damiani, ad Cappellam de Febribus, sepulchro Beneficiator. et Clericor. hujus Basilice, qui et in hac die voluit sibi perpetuo fieri anniversarium, distribuendo inter Dños Canonicos, Beneficiatos, et Clericos presentes medietatem pensionis dicte domus; reliquam vero pensionem pro Cappellano, duas missas in ebdomada, et festo celebraturo remanere voluit. Orate pro eo.

Quum vero sub hujus Cellae pavimento, Beneficiorum, et Clericorum Basilicae sepulcra exstarent, Beneficiorum Cella dicebatur. Atque heic praetereundum minime esse duco, quod apposite notavit etiam Dionysius⁴, Canonicorum, et Beneficiorum Cadavera, quae primorum quidem in Cella SS. Lamberti, et Servatii, secundorum vero, in hac, ubi nunc sumus, tumulanda erant, non nisi per eam Portam, in Templum inferri, quae vulgo nunc audit *Porta de' Morti*, antiquitus vero ab aliis quatuor Bas. Vat. distinguebatur, titulo *Portae Iudicii*, quod per eam dumtaxat, mortui, qui in Bas. Vat. sepeliendi erant, introducebantur, quasi a Deo judicandi, ut recte Mallius⁵, et Vegius⁶ animadvertunt; ac Panvinius⁷, Se-

¹ ms. n. 174. p. 65. V. Tab. 111. n. 8.

² c. iv. sect. 2111.

³ p. 106.

⁴ de Vesperarum Paschaliu ritu in

Basilic. Vatic. pag. xxv11.

⁵ c. vi11. p. 50.

⁶ lib. 11. c. 111. p. 71.

⁷ T. 111. ms. fol. 5.

veranus ¹, Turrigius ², Fabrinus ³, et Macer ⁴ confirmant. Eadem de caussa vel Ethnici Portam Amphiteatri, qua interfectorum Gladiatorum cadavera efferebantur, *Libitinensem* vocabant, ut Kirchmannus ⁵ opinatur, Lampridii locum illustrans de Commodi vita ⁶.

In hac eadem Cella, uti jam ⁷ innuimus, *Alexandri VI*, et *Henrici Borgiae Card.* Corpora quieverunt. Quod diserte tradit Ioh. Burcardus, qui haec in *Diario* suo de funere *Alexandri VI.* memoriae consignavit ⁸. Anno MDIIL. *Papa stetit supra, inter Cancellos Altaris majoris, et juxta eum quattuor intorticia arserunt. In sero post XXIV. horam portatus fuit de dicto loco ad Cappellam de Febribus, et depositum juxta murum in angulum ad sinistram (Altaris SS. Trinitatis). Adde Panvinium, ubi ait ⁹. Dextera introeuntibus est Ara SS. Trinitatis, in qua sepulti sunt Alexander VI. P. et Henricus Borgia Cardinalis ipsius Pro-nepos a Paulo III. creatus. Haec autem luculenter confirmat Alpharanus, hujusmodi verbis ¹⁰. Intus hoc Sacellum aliquando *Alexandri VI. PP. et Henrici Borgia Card.* Corpora lateritiis in tumulis jacuerunt, postea ad *Callixti III. Sacellum, et tumulum translata fuerunt, ut supra retulimus.**

Aliorum etiam Virorum nomina, qui ibidem sepulti fuerant, reperies apud eundem Alpharanum, qui ita pergit ¹¹. *Sepultus etiam reperitur et in hoc Sacello, in pav-*

1 de VII. Eccl.

2 p. 585. 3 V. p. 1302.

4 in Guidonea.

5 de funeribus Romanorum libr. I. cap. XX.

6 cap. XVI.

7 p. 1276.

8 in Iohan. Burcardi Historia Arcana, sive de vita Alexandri VI. Papae, excer-

pta ex ejus Diario, edita a Godef. Guil. Leibnitio. Hannoverae 1697. 4. et in Corp. Histor. medii aevi. I. G. Eccardi T. II. Lipsiae 1722. col. 247, et in Aet. Caer. Gattico p. 432.

9 T. II. ms. p. 140.

10 n. 174. ms. p. 65.

11 Nella Cappella della SS. Trinità, et di S. Cosmo, e Damiano, Cap. delli

mento juxta parietes, sub lapide marmoreo, a sinistra parte, Ianus Surigonus, nobilis Mediolanensis, et Abbas Reverendissimus. Ante vero hoc Sacellum etiam sub marmoreis lapidibus sepulti fuerunt Ludovicus de Lallis, hujus Basilicae Beneficiatus, et Iohannes Montalcinus Pontifici carissimus, et Ursinus, adolescens utriusque linguae doctissimus, Innocentio VIII. gratissimus. Infiniti quoque alii utriusque sexus Christi fideles nobilissimi in parte B. Petronillae, et hujus Templi penetralibus humati fuere, qui passim, quum effoditur, reperiuntur, quorum nomina Deus scit.

Haec etiam ad Cellae ornatum, referunt Turrigius¹, et Gizius², marmoreum exstitisse simulacrum B. V. puerum Iesum complectentis, qui laeva explicatum volumen gestabat. Hoc simulacrum concinne elaboratum in Cryptis Vaticanis, in Cella S. M. Praegnantium adservatur, cum hac epigraphe. Imago haec marmorea B. V. erat in Sacrario ad ornatum Altaris S. Trinitatis, et SS. Cosmae, et Damiani. Ejus schema exhibet Dionysius³ cum altero trium Cherubim, totidem candidis marmoribus, ex opere anaglyphico, quae illud ornabant.

Benefiziati, in mezo sono dei Sepolcri al pavimento il titolo

SEPVLCHRVM BENEFICIATORVM

In questa Cappella fu il Sepolcro d'Alessandro VI, et d'un altro suo Nepote, ex utraque parte, poi trasferito con quello di Callisto III. *Quaere in lib. Honuphrii.*

A man destra, pur dentro questa Cappella, è un Sepolcro con lapide, et que-

sta Iscrizione. *Ian. Surigonus.*

Dalla parte de fora, inante detta Cappella, sep. al pavimento

Lodovico de Lallis

Poco più ultra del soprad. sepolcro segue un altro simile *Montalcini*

Al pilastro a mano sinistra fora di d. Cappella segue un bello Deposito con questa Iscrizione *Ursino*

1 p. 78. 2 p. 63. 3 Tab. XII. p. 31.



§. I.

De effigie B. M. de Conventu.

Altera B. V. imago, aliquamdiu in uno ex descriptis Altaribus, nimirum effigies *B. M. de Conventu*, usque ad Urbani VIII. aetatem permansit. Hujus nominis causam Ciampinius¹, Alpharani² adstipulatu, recte inde repetit, quod olim sacrorum Ministrorum coetus ad ejus Altare quotidie conveniret. Ait enim. *Vetus Oratorii nomen S. M. de Conventu fuerat, quia ante ipsum, Canonorum Chorus e ligno, rudi artificio compactus jacebat . . . in quem locum Canonici Basilicae quotidie convenientes, propria Clero, suetaque psallendi munia persolvebant.* Quod ut confirmet, Anastasii profert auctoritatem, qui Monachos, ac Sacerdotes jam tum a Gregorii III. aetate ad hoc ipsum Altare frequentes accessisse testatur. Quo loco, cetera repetenda sunt, quae de *Gregorii* praescripto superius³ attulimus.

Hoc Oratorium Innocentii VIII. jussu restitutum, ac marmoribus, picturisque ornatum fuit⁴. Vetus tamen cognomen retinuit *B. M. de Conventu*; tametsi pro veteri, nova tabula cum B. V. et Innocentii VIII. iconibus, novo Altari imposita fuerit⁵. Verum Oratorio, atque Altari penitus exciso, tabula in *Sacrarium* delata fuit, quam postea Urbanus VIII. Duci Massae dono dari jussit. Qua de re vide, si lubet, Bull. Vat. editores⁶.

¹ c. vI. num. xxxix.

² ms. p. 26.

³ p. 1302.

⁴ *Necrologium Basil.* haec habet p. 40. ex lib. *Benef* xI. Kal. April. Consecratio Altaris beate Marie Virginis, in Cappella

Innocentii viII. de anno 1748. sit. cum Cappella translate propter dissectionem partis Basilice de p. loco, quod erat juxta arcum triumphalem.

⁵ Torrigio Grotte Vat. p. 213.

⁶ T. I. p. 334.

§. II.

*De Imagine B. M. Februum publico cultui ibidem
postremo exposita .*

Sed tandem in praecipua D. N. Mariae Febrifugiae imagine sistamus, quae usque ad nostram aetatem, qua *Sacrum* dejectum est, in hac Cella permansit. Itaque eadem, ex loco, ubi nunc *Columna Sancta* adservatur, huc iterum translata fuit, anno circiter MDCXCVI, et ad pristinam sedem revocata.

Heic autem, ut eo magis vetustatem, et prodigia ejusdem imaginis, novae sollemnitatis celebritas patefaceret, denuo coronata fuit ¹, et cum ea etiam Puer Jesus altera corona aurea redimitus. Verum prior B. V. aurea corona, pondo aureorum cxxxI, expolita fuit, ac nova tantum, pretii aureorum xxxvii. pro Filio fabrefacta, uti constat ex rationibus expensi a Joh. Giardinio Argentifice, quae legi possunt, si tanti est, apud Sindonium ².

Verum quae idem Sindonius a Joh. Bapt. Balduino Bas. Vat. Aeditimo in Ephem. Vat. memoriae consignata

¹ In Inventario Sac. Bas. haec legimus. Corona una di oro donata dall' Illmo Conte Alessandro Sforza alla Madonna SSma della Febre li 15. Agosto 1631. la detta Imagine presentemente si conserva

in Sagrestia, dove si parano li Rmi Sig. Canonici. Pesa oncie dieci, e d. tre.

Altra sopra il Capo del Bambino, che sta nelle braccia della Madonna; si leggono queste lettere

CAPLVM S. PETRI
DE VRBE HANC COR. AV.
EX LEGATO ILL. COM.
ALEX. SFORTIÆ

AN. 1697.

esse tradidit, quum novae hujusce coronationis pompam multo luculentius declarent, lubens adducam. *Mercoledì 14. Agosto 1697. si apparecchiò con sei Candelieri, e Croce di argento, dove si apparano le Messe cantate, e si vestono li Signori Canonici per celebrare le Messe private in Sagrestia, nel qual luogo si conserva l'Imagine miracolosa di Maria Vergine; nuncupata della Febre. Si pose il Paliotto, e sei vasetti d'argento etc. fuori della Capella Banchi Canonicali, e Beneficiatali, ed alcuni apparati, ed un organetto etc. Finito il Vespro, e Compieta, il Canonico celebrante, che fu Monsignore Agostini, due Assistenti con Piviali, e tutto il Clero Vaticano, si coronò more sollemni etc. ed in fine furono cantate le Litanie, colla Salve Regina in Musica.*

Praeter imaginem B. M. Februum religiosissime servatam, alia etiam ibi colebatur, insigne Julii Romani opus. De eadem haec mihi communicavit singulari humanitate eruditissimus Cajetanus Marinius ¹. *Codicillo di Lelio Guidicione, dei 12. Giugno 1643. Perchè al quadro della Madonna con gli sportelli, non ho saputo trovar luogo di buon lume nella Basilica di S. Maria Maggiore, supplico la Santità di N. S. Urbano VIII. a goderselo, e contentarsi, poichè, quando Dio lo chiami al premio delle sue tante sollecitudini, sia collocato in S. Pietro sotto la Tribuna, verso il suo sepolcro medesimo, dove non impedisca, e possa a buona veduta esser giudicato da' valent' Vomini, per quello che è. Sed primum in fronte Cellae S. Annae, locata fuit, ac deinde in hunc locum translata.*

Nihil vero dicam de Paulli Antonii Scocchi picturis, quibus tota Cella mirifice decorabatur, aliisque, quae

¹ Dal T. n. 20. Collect. alla pag. 383. dell'Archiv. Segret. Vatic. V. Epistolam

nuncupatoriam Cl. Praesulis Galletti ad duas Orat. Th. Phoedri Inghiramii p.42.

ibi custodiebantur , et a Martinetto ¹ , et Petro Chat-
tardo ² accurate describuntur .

Denique supra ligneos Cancellos , quibus tota Cella
septa erat , *Gallus aeneus* visebatur , de quo non abs re
erit , peculiariter disserere . Quae enim ad Altarium de-
scriptionem pertinebant , sedulo , ac diligenter , quantum
quidem fieri potuit , jam pertractata sunt .

C A P V T XIII.

*De Gallo aeneo , qui supra Cancellos Altaris
SS. Trinitatis visebatur .*

Quo tempore in hoc Templum illatus fuerit *Gallus aeneus* ,
qui Claustro hujus Cellae , ornamento erat , nequeo cer-
to statuere . Hujus enim rei documenta penitus incom-
perta mihi sunt . Sed Turrigii aetate , jam illuc invecus
visebatur . Sic enim apud eum legitur ³ . *Nella Sacrestia
di S. Pietro è un antichissimo Gallo , tutto di bronzo , che
fu poi indorato , l'anno 1630. qual stava ne' tempi passati
nella sommità di questo Campanile .*

In hanc eandem sententiam descenderunt Ridolphi-
nus Venutus ⁴ , et Petrus Chattard ⁵ , qui praeterea hanc
Turrim a Leone IV. erectam pronunciant . Contra vero
Barpth. Piazza *Gallum* hunc generatim *in Turri Campa-
naria* ⁶ , parte dexteriore stetisse scripserat . Quod item
praestitit Sindonius ⁷ , qui aequae ac Turrigius , nulla Leo-
nis IV. mentione injecta , eundem exstitisse narrat , *supra
Turrim Campanariam* .

¹ lib. VI. p. 224.

² T. I. p. 243. ³ p. 112.

⁴ T. II. Rom. rec. p. 481.

⁵ T. I. p. 243.

⁶ in Eph. Vat. p. 771.

⁷ p. 85.

Atqui legimus apud Anastasium in vita Leonis IV. ¹ haec verba . *Fecit in Ecclesia B. Andreae Apost. Ciborium super Altare ex marmore , necnon et calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem Ciborio , numero duodecim pensan libras . Fecit etiam ibi ipsum Campanile , et posuit Campanam cum malleo aereo , et Cruce exaurato .* Quae quidem verba me in suspicionem adduxerunt , ut putarem , *Turrim Campanariam* , de qua Anastasius loquitur , a Leone IV. erectam , aliam a veteri Basilicae Turri fuisse , illamque ab eo constructam , *prope Templum rotundum B. Andreae* , a *Symmacho* aedificatum , extitisse .

Sed , ne quis me studio magis opinionis meae , quam veritatis tuendae abreptum insimulet , ea verba , *fecit etiam ibi ipsum Campanile* , velim , diligenter consideret . Quaeso enim , quid aliud indicant , nisi Leonem IV. in Ecclesia *B. Andreae* , ubi *Ciborium* erexerat , *Campanile* etiam construxisse ? Nonne satis manifeste apparet , vocem *ibi* minime ad *Ecclesiam B. Petri Apostoli* , referendam esse , quae inferius tantum ab Anastasio distincte nominatur , ne pariter Ecclesiae *B. Andreae* supra memoratae , donum *Turribuli* , quod postea describitur , *ex auro purissimo , variisque gemmis exornati* , datum fuisse , Lector existimaret ? Quae quidem conjectura , quum ipsis satis disertis , et perspicuis Anastasii verbis innixa sit , ab ipsa quoque veritate minime recedere videtur . Sed quum eidem quamplurimum incommodare , multorum , ne dicam , omnium ferme Scriptorum sententiam animadverterem , iccirco rem paullo attentius inquirendam , atque explorandam duxi .

¹ T. III. p. 102.

§. I.

De Turribus Campanariis Basilicae Vaticanae.

Quum Anastasium diligenter pervolutaverim, *Turris Campanariae* mentionem ab eo factam fuisse reperi, multo ante Leonis IV. aetatem, contra quam Vgolino visum est, qui Fl. Blondi, Ciacconii, Rocchae, et Bonannii errorem, quem postea castigabimus, sequutus est, atque in ejus vita haec adnotavit ¹. *Turris Campanariae prima haec mentio occurrit. Fortasse tunc primum excitata est Turris, ex cujus fastigio, ceu ex editiori loco, sonus Campanae longius exaudiretur. Quod seu generatim, seu speciatim de Bas. Vat. accipiendum sit, universe falsum est. Non solum enim Anastasius in vita Sabiniani, cui iccirco id primo acceptum referunt Polydorus Vergilius ², Genebrardus ³, Panvinius ⁴, Ciacconius ⁵, Starovolscius ⁶, alique, Tintinnabula, seu Campanas memoravit, sed eas pone ipsam Bas. Vat. a Stephano II. positas fuisse, scriptum reliquit. Eodem tempore, inquit ⁷, isdem BB. Papa fecit in Bas. B. Petri Apostoli Turrim, quam ex parte inauravit, et ex parte argento investivit, in qua tres posuit Campanos, qui Clerum, et populum ad Dei invocarent officium.*

Haec quum ita sint, tamen a Ciampinio ⁸ minime adnotata fuisse vidi. Nam disserens de *Turri Campanaria* veteris Bas. Vat., de una tantum meminit ab Adriano I. constructa, tum mole, tum gravi, ac sonoro Campanarum tinnitu celeberrima. Profert autem in hanc rem

¹ T. III. p. 102.

² l. VI. c. XII. de rer. Inv.

³ in Chron. ad an. DCIV.

⁴ in Epist. RR. PP.

⁵ in vita Sabin.

⁶ in Epitome Conciliorum p. 98.

⁷ T. II. §. XLVII. p. 121.

⁸ n. 151. p. 84.

Anastasio auctoritatem, qui in hujus Pontificis vita haec habet ¹. Ex nimia fervoris dilectione pro honore B. Petri Apostolorum Principis, et ornatu ipsius Sancti Patriarchii, construxit, atque aedificavit ibidem noviter Turrim mirae pulcritudinis decoratam, cohaerenti Porticu, quae descendit ad balneum. Vbi et Deambulatorium, scilicet Solarium suum, cum cancellis aereis nimis pulcherrime construi fecit. Sed et Porticum ipsam, quae vetustate diruta inerat, nimis utiliter renovavit, et picturis, atque marmoribus eandem Turrem, et cuncta aedificia ab eo noviter constructa decoravit.

Equidem Anastasio auctoritati non ausim repugnare; imo vero cum Ciampinio, et Bullarii Vat. editoribus ², qui hujus etiam rei testes adhibent Grimaldum, et Costagutum, libenter adsentiam, *Turrim Campanariam*, ab Adriano I. pone Bas. Vat. fuisse excitatam. Verumtamen eadem fretus Anastasio auctoritate contendam, hanc alteri, quam *Stephanus* II. prius exstruendam curaverat, successisse. Haec enim vel illius loco erecta fuit, ac fortasse quum parum elegans, nec satis concinna videretur, ampliorem, pulcrioremque ejus vice *Adrianus* excitavit; vel potius quum temporis injuria, quae pridem a *Stephano* fuerat aedificata, corruisset, novam *Adrianus* construendam curavit.

Verum, ut libere dicam, quod sentio, parum etiam mihi ipsi arridet utraque haec conjectura. Potius enim eò me inclinat animus, ut credam, *Turrim*, quam *Adrianus* construxit, alio in loco positam fuisse, ac porro e regione illius, quam *Stephanus* erexerat, ut hinc inde Bas. Vat. faciem, prospectumque exornarent. Quod tamen neque allatos auctores, neque Janningum suspicatos fuisse vidi, qui *unam* tantum *amplam Turrim* descri-

¹ T. II. p. 205.

² T. II. p. 177.

bunt, in qua pendebant aera campana, nempe illam *Adriani*, ut allatis *Anastasio* verbis declarant.

§. II.

De Templo S. Mariae in Turri, sive in Turribus.

Vetustissima *S. Mariae in Turribus* appellatio pone *Bas. Vat.*, mihi quodam velut indicio fuit, *Stephani Turrim Campanariam*, etiamtum superstitem esse judicandam, quum alteram, prope eam, *Adrianus I.* erexit. Haec Aedes celeberrima, a *Paullo I.* exstructa, ut recte tradiderunt *Turrigius*¹, *Thomasius*², et *Catalanus*³, atque a *Iohanne VII*, *Anastasio* teste⁴, restaurata, exstabat, ut ait *Grimaldus*⁵, in capite *Scalarum veteris Basilicae S. Petri*, juxta *Turrim Campanariam*, et vocabatur *Maria in Turri*; restituta ab *Innocentio II*, ut notabat titulus in mensa *Altaris incisus*, et frons hujus aedis ornata erat musivo cum *Salvatore*, et *Angelis*, ac quattuor *Senioribus coronas offerentibus*, a *Paullo I.* fabrefacta. Hujusce vero tituli ita meminit alio loco⁶. Anno 1610. notavi hanc *Inscriptionem Innocentii Secundi*, incisam superiori mensa *Altaris S. M. in Turri*, per quam aedem patebat ingressus in *Atrium Basilicae*, instauratam ab *Innocentio praefato*, ut ejus diploma in *Archivo asservatum declarat*, in quo concedit *Capitulo oblationes dicti Altaris S. M. in Turri*, quod priori loco motum serviebat *Arae Auditorum Rotae*. Erat autem sic

EST IN HONORE PIAE DOMVS HAEC SACRATA MARIAE

HOC INNOCENTI TE PRAESVLE PERFICIENTE

cui suberant *S. Lucas*, et *S. Matthaeus*. Hoc idem Templum postmodum ab *Adriano I.* in *Diaconiam* erectum,

¹ p. 112.

² in Schol. ad 11. Resp. et Ant. Rom.

Ecc. p. 17.

³ T. I. Caer. p. 187.

⁴ T. I. §. I. p. 318.

⁵ lib. 11. ms. de Canon.

⁶ fol. 176. in lib. Instrum.

a Friderico Imp. sub *Alexandri* III. Pontificatu , uti nar-
rant Otho Morena Laudensis , et Card. Nicolaus Arago-
nia in ejus vita , cum *aeneis Portis* , et *vicinis Porticalibus*
sacrilege combustum , in demolitione veteris Bas. Vat. sub
Paullo V. defecit .

Notum autem est , ut quamplures cum Alpharano ¹
docent , nosque jam supra ² indicavimus , hoc illud idem
Templum esse , ad cujus aram principem novus Impe-
rator , Imperii corona donandus , postquam Vaticani
Templi gradus adscenderat , Pontificis pedes osculaba-
tur , et ab eodem Pontifice osculo , et amplexu benigne
exceptus , dato , ut moris erat , Sacramento de Rom.
Eccl. defendenda , inter Canonicos S. Petri sollemniter
cooptabatur . Id quod Rom. Ordines ³ , fragmentum ve-
tustissimum libri Caeremonialis , ab *Innocentio* VI. suo
diplomati ⁴ insertum , quod anno MCCCLV. ad Petrum
Ostiensem Episc. , et ad Aegidium S. Caeciliae Cardina-
les datum est , Caeremoniale a Christophoro Marcel-
lo ⁵ vulgatum , editores Bull. Vat. ⁶ , alique testantur .
Quae sane hujus Templi situm a Grimaldo indicatum
confirmant , non minus quam locus insignis , qui de eo-
dem exstat in appendice Ordinis Rom. XI , ubi haec

1 In capo al piano de dette scale sono
tre Porte , che si entra nel primo Por-
tico de Santo Pietro , chiamato S. *Ma-*
ria in Torre,ratione Turris Campanariae,
quale tre porte essendo ruinate , et an-
ticamente erano de metallo , finalmente
Nicolao PP. V. le fece rifare de legna-
me , et de marmo fino , et di sopra
dette porte è scritto

NICOLAVS PP. V. MCCCCLIX.

Tutto questo primo Portico de dentro è
depinto con più sorte de figure del Sal-

vatore , de S. Pietro , et de S. Paulo .
V'è anco a mano manca nell'entrare un
Altare antichiss. nel quale se receveva
l'Imperatore dalli Canonici di S. Pietro
in Canonico , quando veniva a coronarse
in Roma in d. Chiesa di S. Pietro .

2 pag. 827. 840. 845. 846.

3 In T. II. Mus. It.

4 apud Rayn. an. 1355. et apud Bullar.
Vat. editores T. I. p. 351.

5 sect. v. c. vii. et apud Catal. T. I. p. 185.

6 T. II. p. 237.

leguntur ¹. Praeterea quattuor funes de antiqua consuetudine extenduntur in Festo S. Petri, et octava ejus, in Atrio ejusdem Ecclesiae, id est in Paradiso, in modum Crucis, et ligatur de Porticalibus ad Pineam aeneam, quae est in Paradiso, et in unoquoque fune VI. candelae suspenduntur. In gradibus vero, scilicet ante Ecclesiam S. Mariae in Turri, extenditur unus magnus funis a Porticali, quod est supra gradus mortuorum, usque ad domum Petri Iohannis de Pampano, in qua de jure debet ligari, secundum tenorem locationis, et suspenduntur in eo XVIII. candelae.

Itaque a Baronio ² jure meritoque Mabillonius ³ discessit, qui Ecclesiam S. M. in Turribus, Pantheon fuisse existimavit. Quod aequè falsum esset, etsi de altera Ecclesia B. M. in Turri loquutus fuisset, quam Turrigius ⁴ pone Templum Caeciliae in regione Transtiberina designavit, frustra tum contra Martinellio ⁵ vehementer adnitente. Haec enim luculenter nominatur a Cencio in Ord. XI. Rom. ubi ⁶ VI. den. S. M. in Turri in Transiberim dari tradit pro Presbyterio, et ab altera, de qua nunc disputamus, aperte distinguit, quam S. M. in Turri ⁷ simpliciter nominat, idemque Presbyterium VI. denariorum, huic etiam assignat.

Ab hujus Ecclesiae vicinia nomen inditum arbitrantur Bull. Vat. editores ⁸, Portae Posterulae, quam hodie vocamus, Porta de' Cavalleggeri, minime vero Porta Fabrica prope Figulinas Vatic., ut contra Grimaldi opinionem, Martinetto excidisse Dionysius ⁹ fatetur, quam Andreas

¹ T. II. Mus. It. p. 162. ² ad an. 1087.

³ T. II. Mus. It. p. 547. ⁴ p. 517.

⁵ de Imag. Mariae V. apud Moniales SS. Xysti, et Dominici.

⁶ p. 192. ⁷ p. 195. ⁸ T. II. p. 344.

⁹ Risposta alla censura riferita negli articoli XII. XVI. c. XXXIII. del Giornale de' Letterati contro due de' tre Editori del Bollario della Basilica Vaticana. Roma 1753. 4. p. 59.

Fulvius, et Julius II. in Literis Apostolicis anni MDCXI. *Portam Turrionis* appellant. Haec enim Aedes apud veteres appellata etiam fuit *S. Maria in Terrione, in Atrio, in Atriano* ¹, *in Arrano* ², *ad Gradus, in Laborario, in Turri*.

Ejusdem tamen frequentior appellatio fuit *S. Mariae inter Turres*, sive *in Turribus*. Nam Ordo antiquus coronationis Imperatorum, haec habet. *Deinde Sum. Pontifex cum omnibus Ordinibus suis ad Altare procedit, et facta ibi oratione, ad sedem adscendit, Rege cum suis, et tribus Episcopis, videlicet Ostiensi, et Portuensi, et Albanensi in Ecclesia S. M. in Turribus remanente, ubi a Canonicis S. Petri receptus in Fratrem, imperialibus induatur insignibus, dato ipsius Pallio Camerario D. Papae*. Haud absimile est, quod legimus in Patritii Caeremoniali ³. *Capella, inquit, D. Gregorii, D. Maurittii, et quae S. M. in Turribus appellatur, extra Ecclesiam in primo Porticu sub Turri Campanaria est, bene mundentur. . . . Ingredientur Porticum ad Cappellam, quae vocatur B. Mariae in Turres; ibi a Canonicis, et a Capitulo Ecclesiae processionaliter recipietur Caesar*. Item in Ordine XIV. ⁴ *Ecclesia S. M. in Turribus* semel, atque iterum nuncupatur. Et in diplomate Innocentii VI. ⁵ propter Coronationem Karoli VI, ejusque Vxoris Annae Reginae legitur. *Veniat ad Altare S. M. in Turribus; ac paullo post, praestito autem in Cappella S. M. in Turribus juramento*. Praeterea Mallius ⁶ in valvis veteris Bas. Vat. ante posterioris quadriporticus frontem, quamdam fuisse tradit inscriptionem, cujus haec erant extrema verba. *In Portis aeneis, quae super gradus B. Petri fuerunt, videlicet in introitu Ecclesiae S. M. inter Turres, argenteis*

¹ in T. II. Anast. in vita Honorii p. 213.

⁴ p. 398.

² T. III. Anast. in vita Sergii II. p. 53.

⁵ T. I. Bull. Vat. p. 356.

³ apud Catal. T. I. pag. 184.

⁶ num. 51.

litteris adnotata fuerunt. Ac ne quid dicam de Aeneae Sylvii testimonio superius ¹ allato, Leo Card. Hostiensis, *S. M. in Turribus* hoc Templum appellat.

Ciampinius ² causam adducit, cū haec quadriporticus pars *S. Mariae in Turri* vocabatur, eamque esse putat, *vel propter unam ei proximam, vel ut aliis placet, propter duas Turres Campanarias, inter quas media attollebatur*, quin tamen in XII. Tab. ichnographica duas hasce Turres repraesentaverit. Ea enim tantum, quae ab Adriano excitata est, ibidem conspicitur. Ceterum ambigendum minime est, geminas hujusmodi Turres, ab antiquissimis usque temporibus existisse, quum praeter allata testimonia, Paullum Jovium scripsisse vidimus ³, hanc *Aram, duarum Turrium*, iccirco fuisse nuncupatam.

Quales vero fuerint hae *Turres*, Bull. Vat. editores ⁴ declarare studuerunt, in explanationibus ad *Iohannis XIX.* diploma, ubi cum CC. VV. Joh. Mabillonio ⁵, et Petro Moretto ⁶, quibus Thomasius adjungendus erat, lectionem rejiciunt *ab Ecclesia S. M. in Transtiberim*, quae apud Vghellium, et Bullarium Romanum habetur, aliamque aequae mendosam *S. Mariae in Thermis*, quam praefert Benedicti IX. diploma. Ac proinde locum aliorum inscitia, seu oscitatione depravatum, suae integritati restituant, ac mirifice germanum verborum sensum illustrant, quibus Johannes XIX. ⁷ Canonicis Bas. Vat. praecepit, *ut omni annua die, Dominica Palmarum, cum Processione, ab Ecclesia S. Mariae in Turri exirent, et venientes ad magnum Altare S. Petri, Missam celebrarent*. Ad hoc enim, usi sunt auctoritate indicis sollemnum *Collecta-*

¹ p. 837.² p. 84.⁶ de Presbyterio Par. I. §. viI. n. 1. p. 66.³ p. 845.⁴ T. I. p. 18.⁷ T. I. Bull. Vatic. pag. 18. et T. II. Mus.⁵ T. II. Mus. It. p. 154.

It. p. 155.

rum, et Stationum S. R. E. edito ex duobus membraneis codicibus Vaticanis a Mabillonio, qui haec exhibet ¹. *Dominica in Palmis, dicimus Tertiam in S. Maria in Turre, ubi palmae benedicendae sunt.* Erroris autem causam fuisse animadvertunt, notam compendiarium *intres*, a priscis Amanuensibus adhibitam, ut vocabulum *inter Turres* designarent. Quod constat ex pervetusto Canonorum Vat. Bas. Antiphonario, quod edidit Ven. Card. Thomasius ², ubi haec habentur. *In Litan. Major. Statio in Basilica S. Petri. Antiph. ad Collectam in Ecclesia S. Mariae intres*, idest *inter Turres*, seu *in Turres*, ut in aversa pagina memorati Indicis *Collectarum* apud Mabillonium ³, ex alio Codice adnotatur.

Vereor autem, ut aeque laudandi sint Bullar. Vat. editores, quum hoc Ecclesiae nomen adhaesisse scripserunt ⁴, quod sita esset *inter Turrim Campanariam, aliamque fortassis B. Iustini a proximo, ut quidam ajunt, ejusdem Sancti Templo, ita nuncupatam*. Nam etsi id etiam Turrigium ⁵, quem Card. Thomasius ⁶ sequutus est, tanto ante asseruisse detexi, nihilominus inverisimile mihi videtur, Ecclesiam *S. M. in Turribus*, ita appellatam fuisse ab altera *S. Iustini*. Eam enim idem Turrigius ⁷ locat, *ubi nunc est Campus Sanctus*, et ex veteri Instrumento, in *Portica S. Petri*, et Severanus ⁸, eamdem fuisse Ecclesiam arbitratur, atque illam *S. M. de Conceptione*, alias in *Campo Sancto*, nationis Theutonicae. Martinellus ⁹ vero eam posuit in rupe S. Spiritus, dejectamque tradit in constructione Vinearum Caesiorum, et Vercellorum,

¹ in T. II. Mus. It. p. 547. ⁴ T. I. Bull. Vat. p. 18.

⁷ p. 112.

² p. 130.

⁵ p. 112.

⁸ p. 98. et 394.

³ T. II. Mus. It. p. 548.

⁶ ad II. respons. p. 117.

⁹ p. 363.

ut conjicit ex hisce Canonici Romani ¹ verbis. Leo IV. (Turrigius legendum censet III.) *Ecclesiam S. Iustini positam in monte Saccorum, quam fecerat, ad sepulturam omnium peregrinorum Latinorum^{lit}, S. Petri Canonicis donavit.* Nam pro Saccorum legendum Saxonum existimat, additque ex veteri Instrumento apud Tabularium Secret. Ap. Vat. in libro, qui Cencio Camerario ² tribuitur, nominari *Ecclesiam S. Iustini de Civitate Leoniana.*

Propterea amplectenda mihi potius videtur Costagutti ³ sententia, qui prope Templum Vaticanum, Aedem fuisse scribit *S. M. ad Turres* nuncupatam, quod inter *duas Turres Campanarias*, ex utraque parte ad Basilicae januas collocatas exstaret. Atqui nonnemo, praeter plurima loca a nobis ipsis superius allata, in quibus hoc Templum *S. M. in Turri*, minime vero *in Turribus* nuncupatur, alia etiam mihi objiciet Panvini, Turrigii, et Alpharani, qui illud singulari hac denominatione, tantum indigitant. Prior enim ait ⁴. *In angulo sinistro versus Plateam, ubi olim fuit S. M. in Turri Aedicula, adhuc superest Turris Campanaria sub Porticu, quae respicit Orientem.* Atque alibi ⁵. *Supra hanc Ecclesiam erat Turris Campanaria, quam, auctore Bibliothecario, Leo IV. construxit, cui etiam magnam Campanam cum malleo aereo imposuit; supra vero ad pinnaculum Crucem deauratam.* Alpharanus vero Panvinio ita concinit. *Ad Aquilonem, inquit ⁶, Turris Campanaria multis, et praegrandibus Campanis exornata.* Itemque paullo post ⁷. *Iuxta Turrim Campanariam ad Aquilonem, addita sunt triplicia marmorea moeniana ab In-*

1 tit. xI.

2 p. 416. a terg. col. 3. et 4.

3 p. 10.

4 T. II. ms. p. 135.

5 T. III. ms. p. 19.

6 ms. p. 10. 7 ms. p. 11.

nocentio VIII. Ac demum alio loco ¹. *A sinistra vero Porticus parte, intrinsecus ad Aquilonem exstat Turris Campanaria adhuc integra, magnis, mirificisque sonoris Campanis munita. Quid vero de Turrigio dicam, qui scriptum reliquit* ²? *Congionto al Portico vi si scorge il Campanile, già edificato da S. Leone IV. nel 863. . . . e vi si legge. Frons Palatii Apostolici a Paulo II. Turris Campanaria a Leone IV. et Porticus ad Benedictiones ab Alexandro VI.*

Haec si Ciampinius ³, et Bonannius ⁴ legissent, multo magis dubiam rem esse pronunciassent, utrum una, an plures Turres Campanariae, pone Bas. Vat. exstitissent. Verum idem Panvinus libri caput ⁵, quo *Templum S. M.*

¹ ibid. pag. 56. num. 151. *Haudabs re erit alterum ejusdem Altharani locum proferre. L' anno del Signore 1574. volendose riffondar il Campanile, et farsi una chiavica, che ricevesse l'acqua in mezzo detto Portico, fu cavato in tempo de Greg. xii. essendo un' altra volta prima cavato qualche parte l'anno 1571. in d. Portico a tempo de Pio V. dove essendosi trovati tre pili belli con Cadaveri dentro, et una ampolla di vetro, non essendo stati levati adesso di novo quelli, et abbiti trovati bellissimoi, sepulture di marmo, quasi tutto detto piano pieno, de' quali forno levati quelli impedivano. Il resto rimasero con gli medesimi Cadaveri, rimesi però dentro a quelli, che riman. fu trovato anco in mezzo una bella stanza a modo di Cappella con fenestrini, et porte, con pitture, diversi animali, nottule, et molte ossa, et parte in sepolchri di creta cotta, et parte in busci dentro li muri, fra i quali era un maggiore alto di pietra trevertino, quali forno giudicati esser Sepolchri di Gentili, inante fosse fatta*

la Chiesa di S. P. et fra gli altri pili fu trovato uno bellissimo tutto con figure, fra i quali era Bacco con l'uva in mano, quale poi fu portato in Palazzo del Papa Gregorio XIII. Il simile se ritrovavano per mezzo la Piazza di S. Pietro. Lo Altare fu ruinato, et postovi una Croce antiqua, che stava li appresso, et dentro forno trovate delle reliquie de' SS. Martiri, quali reliquie forno posti con gli altri in Sacrestia . . .

Fu fatto un Portichetto innante la Porta dell'Altar magg. appresso all'Altare di S. Sisto PP. Sino sostenuto di doi colonne bellissimoi, de quali volendosi fare i fondamenti, fu ritrovata una bella sepoltura fra l'ura colonna, et l'altra innante l'Altar magg. tutta di musaico antiquo con figure, che parevano cavalli, più presto giudicai fosse di gentili, era simile a quella fu trovata, sotto al Portico del *Campanile* con fenestrine, et porte.

² Grotte Vat. p. 109.

³ p. 84.

⁴ p. 178.

⁵ c. xxii. T. 111. p. 28.

in Turri dumtaxat nuncupavit, de *Ecclesia S. M. in Turribus* inscripsit. Quod item dici potest de Mallio, qui etsi semel, atque iterum¹, hanc Ecclesiam vocet *S. M. in Turri*, tamen eam alibi² appellat *S. Mariae inter Turres*; atque ita nominatam esse docet³, quod sita esset *inter Nolaria*, quorum unum majus, alterum minus fuisse putandum est, ex iis, quae habet apud Turrigium⁴. *Guidones, qui ducebant oratores, idest devotos, venientes per Porticale, quod est juxta Nolarium majus, frequenter per eam intrabant, unde usque ad nostra tempora, idest Alexandri III. faculae, vel cerae ibi vendebantur.* Quum enim prima tantum Turris a Stephano erecta Bas. Vat. propior esset, *S. Mariae in Turri* dumtaxat vulgo nuncupari debuit. Quod fieri vel postea quandoque consuevit, etsi altera ab Adriano excitata fuerit. Praeterea recte utrumque deinde etiam dictum esset, etsi revera Ecclesia S. M. *inter duas Turres* sita esset. Verum si *uni* solum *Turri Campanariae* proxima fuisset, ut cuiquam Alfarani, aliorumque auctoritas suadere posset, nemo non videt, nusquam vocari potuisse, Ecclesiam *S. Mariae in Turribus*. Quumque *duas Turres Campanarias*, pone Vat. Bas. a Stephano, et Adriano exstructas fuisse probaverimus, cur ad *Turrim* potius Ecclesiae *S. Iustini* longius dissitam, quam ad eas hinc inde collocatas, hoc vocabulum referendum sit, plane non video.

At vero, dices, etsi haec sententia recipienda esset, proque certo habendum, Ecclesiam *S. M. in Turribus* *inter duas Turres Campanarias* sitam fuisse, hoc tamen intelligi posse, ac debere de *Turri Adriani*, deque alte-

1 n. 122. p. 49. et n. 162. p. 54.

2 n. 160. p. 54. 3 p. 49.

4 Grotte Vat. pag. 582. V. Macrum in *Porticanus*.

ra , quam apud eundem Anastasium a Leone IV. exstructam fuisse legimus , quin ad antiquiorem *Stephani* confugiamus . Non alienum igitur mihi videtur , huic etiam argumento occurrere , ac de tota re , quae mea ratio sit , aperire .

§. III.

Cetera de Turribus Campanariis Bas. Vat. exponuntur .

Si fides non tam Vgolino , cujus verba superius ¹ attulimus , quam Rocchae praestanda esset , qui , quum *de Campanis Commentarium* ² lucubraverit , rem enucleatius , ut videtur , debuit inquirere , ante hanc *Leonis IV.* Turrim , nullam aliam in Bas. Vat. excitatam fuisse , putandum esset . Quocirca non solum prima *Stephani* Turris , sed etiam altera *Adriani* , ex eorum sententia , essent rejiciendae . Quod quum , uti ostensum est , Anastasii auctoritati aperte refragetur , quid vetat , quominus utramque *Turrim* , intermedio Templo nomen indidisse judicemus ?

Quis autem miretur , duas hasce Turres Bas. Vat. , Rocchae incomptas fuisse , si neque illam agnovit , quam LXX. annis , ante *Leonem IV.* in Corbejensi Galliarum Monasterio *de more* , nimirum usu jam inveterato , positam fuisse scimus ? Legimus enim apud Mabillo-
nium ³ , quod *Basilicae perfecta fabrica , Turrique imposita , ex qua signa , vel Campanae de more pendebant , Fulradus Venerabilis Abbas , qui operi strenue institerat , cuidem Airrado praecepit , ut submoveret instrumenta , quibus nixi Artifices praedictae Turris cacumen erexerant . Quod dum ille exqueretur , ex summa Turri in terram corruit ante Bas. S. Pe-*

¹ p. 1342.

² Romae 1612. et in T. II. Thes. Sallengre.

³ T. II. Annal. Bened. lib. xxv. pag. 236. ann. 780.

tri, quae Turri proxima erat. Et sane Campanarum usus a Beda memoratur, ubi ait¹. *Audiuit notum Campanae sonum, quo ad Orationes excitari, vel convocari solebant, quum quis de hoc saeculo fuisset evocatus.* Ac praeterea in vita S. Columbi Abbatis Hyensis, qui obiit seculo VI. exeunte, apud eundem Mabillonium², ibi *media nocte, pulsante Campana, ad Ecclesiam perrexisse, et³ quadam die ministro suo Campanam subito pulsare, praecepisse perhibetur, cujus sonitu Fratres excitati, Ecclesiam protinus sunt ingressi.*

At fucum fortasse Rocchae fecerunt Fl. Blondi illa verba⁴, *Leo IV. Campanariam Turrim exstruxit, quae omnium prima in Orbe Terrarum fuit.* Etsi enim Roccha hoc intelligi posse innuat, quod ceteras altitudine, aut praestantia superaret, tamen videtur potius existimasse, iccirco haec a Blondo scripta fuisse, quod opinaretur, nullam aliam Turrim Campanariam, *ante Leonem IV. aedificatam fuisse.* Siquidem in medium adducit Giacconii auctoritatem, qui in eundem lapidem impegit, quum scripsit⁵. *Anno dcccl. Leonem IV. S. Petri Basilicam novo ad usum rei divinae, eoque magnifico Campanario exornasse.* Verum quam Fl. Blondus, una cum Roccha, Ciacconio, et Vgolino, a veritate aberraverit, facile deprehendet, qui Scriptores de *Campanis* adibit⁶.

1 lib. IV. c. XXI. I.

2 sec. I. Benedict. c. XXI. I.

3 ibid. cap. xxv.

4 lib. I. Romae Inst. n. LVI.

5 T. I. col. 615.

6 Gilbert. Grimaud *Liturgie sacrée.* Lugd. 1666. 4 Paris. 1678. *Dissertazioni di Gius. Capece intorno alle due Campanie della Chiesa Parroch. di S. Gio. di*

Capua, alla quale si dà principio con altra diss. sopra lo stesso argomento di Paolo M. Paciaudi. Napoli 1750. 4. Ioh. Bapt. Pacichelli de *Tintinnabulo Nolano.* Neapoli 1693. Xaverius Zech de *Campanis, et instrumentis Musicis.* in Tom. I. discipl. *Populi Dei Fleurii.* editionis Venetae pag. 122. Azevedo de *Signo, quo olim ad divina officia Clerici con-*

Itaque quum falsum certo sit, hanc *Leonis IV.* Turrim, *primam omnium* in Vrbe fuisse conditam, et Bas. Vat. ante alias quodammodo famulatam, quis non facile credat, Fl. Blondum, Panvinium, et Roccham, ac cum iis Ciacconium, Bonannium, et Vgolinum, quod de *Adriani* Turri accipiendum erat, de altera prope Templum *B. Andreae*, a *Leone IV.* excitata, perperam scripsisse? Quod sane liquet ex iis, quae ad ejusdem Turris elegantiam, et magnificentiam, a Blondo, et Ciacconio proferuntur, quaeque potius convenire videntur *Turri Adriani*, quam refert Anastasius, *mirae pulcritudinis, et picturis, marmoribusque decoratam* fuisse. Quid autem haec cum *Turri Leonis IV.*, ubi tantum positam esse scimus *Campanam cum malleo aereo, et Cruce aurato*? Verum hoc clarius etiam apparet ex iis, quae huic ipsi *Leonis Turri* Ciacconius, Bonannius, aliique tribuunt, quaeque a Ciampinio, et Bull. Vat. editoribus multo rectius, ad alteram *Adriani* referri observabimus.

Nam apud Roccham ¹, et Bonannium ² legimus, hanc Turrim, ut ipsi putant, a *Leone IV.* aedificatam, usque ad annum mcccxxii. integram permansisse, sed

vocabantur. *ibid.* p. 120. Bourlet du Signal pour appeller le peuple a la Messe. dans le T. LXXIV. du Journal de Dinovart pag. 237. Joh. Bapt. Thiers in tractatu gallico de Campanis. Hieron. Magius de Tintinnabulis cum Sveertii notis. Borgia Memor. di Benevento T. I. p. 265. et in opusc. Card. Valerii de Agnor. bened. p. 33. L. E. Rondet sur l'usage de sonner les cloches dans le temps d'orage. dans le Tom. LII. du Jour. Eccles. pag. 155. Johannes Maurus Stohrio de Campanis Templorum. Lipsiae 1692. Johannes

God. Lavi, an turrium, et Campanarum usus in R. P. Christiana Deo displiceat? Lipsiae 1704. Io. Ge. Modelii, an Campanarum sonitus fulmina, tonitrua, et fulgura impedire possint? Vitem. 1703. Arnoldus Stockflet de Campanarum usu. Johannes Christ. Reimannus de Campanis. Nicolaus Eggers de Campanarum materia, et forma. Jenae 1685. de origine et nomine Campanarum. Harald. Wallerius de Campanis Templorum, Adolphus Lampe de Cymbalis veterum. 1 p. 172. 2 p. 179.

ingens deinde passam fuisse detrimentum, flammaram vi, quae noctu, post Festum Principis Apostolorum, eam devastarunt. His adjiciunt, ex Codice MSS. *Benefactorum Bas.* haberi, *Bonifacium VIII*, Campanis partim liquatis, partim in terram collapsis, confractisque (quas inter una adnumerabatur, quae ceteras Urbis vastitate Corporis, et boatu sonoritatis excedebat, uti narrat Raynaldus¹, a Gregorio IX. anno MCCXXI. Basilicae dono data) sex alias novas, easque duplicati ponderis fundendas curavisse. Praeterea Rutilius Alberinus apud Bonannium² tradidit, anno MCCCXXIII. eandem Turrim, fulminis ictu, magnam partem quassatam fuisse, Campanis tamen illaesis. Ac demum praeter Matthaeum Villanum³, Ciacconius refert in vita *Clementis VI*, anno MCCCII. quadriduo ante ejus obitum, IV. Nonas Decembris, *Turrim Cymbelariam S. Petri in Vaticano*, (sic eam appellabant⁴, a tintinnabulis, quae *Cymbala*⁵ dicebantur), fulmine de coelo tactam, et magna ex parte culmen ejus disjectum, ignisque vi Campanas absumptas, quarum loco anno MCCCII. *Innocentius VI.* majores substituit. Quae quidem aperte demonstrant singulare Romanorum Pontificum studium de *Turribus Campanariis* Vat. Bas. restaurandis, ac reficiendis, cujus rei subsequutis etiam temporibus plurimum satagerunt, uti patet ex *Bullario Vaticano*, praesertim in diplomatibus *Vrbani V.*⁶ et *Pii II.*⁷ Sed ne in hac qui-

1 T. II. p. 408.

2 p. 179.

3 Istor. lib. III. cap. XLII. apud Murator. T. XIV. col. 186.

4 V. Martenium de ant. Mon. rit. lib. I. c. IX. et in Tom. VII. ampl. Coll. c. 92. Carpentierium T. I. p. 1254. Durandum in rat. Div. Offic. lib. I. c. IV. n. II. Ioh.

Beletum de div. Offic. c. LXXXVI.

5 Lanfranc. pro Ord. S. Ben. c. I. Durand. lib. I. ration. cap. IV. num. II. Sententia Navarri Ep. Consecran. ann. 1208. apud Mart. I. Anecd. col. 92. Vdalr. lib. I. Consuet. Chron. c. XII.

6 T. II. p. I. et 4.

7 T. II. p. 177.

dem laude ulli Praedecessorum PII VI. cessit munificen-
tia, qui tintinnabulum ex aere magnum ¹ in amplio-
rem, et elegantio-rem formam conflandum curavit, ac sollem-
ni caeremonia in Porticu Basil. Vatic. benedixit, die xI.
Junii, Trinitati Augustae sacra an. MDCCLXXXVI. ²

Verum alios etiam hujusmodi studium, olim aemu-
lato fuisse testatur Necrologium Bas. quod haec prodit.
xvi. Kal. Iulii ³. Obiit Ven. Vir bone memorie Dñus Egi-
dus de Roffredis Concanonicus noster, relinquens nostre Basi-
lice multa bona. . . . Item legavit Basilice, pro reparatione
Campanilis, et Campanarum, ducentos flor. auri, quos ha-
buimus. ii. Non. Martii ⁴. Obiit Dñus Paulus de Scrofano,
Prior nostre Basilicae, ac Domini PP. in Vrbe Poenitentia-
rius, qui reliquit nostre Basilice omnes fructus distributionum
suarum, que sibi debebantur de tribus annis; reliquit etiam
in opere Campanarum dicte Basilice florenos auri centum.

¹ *Veteres, ac novae Inscriptiones ibi-
dem insculptae sunt hujusmodi.*

✠ In nomine Domini Matris Petrique
Paulique.

Accipe devotum parvum licet accipe
munus.

Quod tibi Christe datum Petri Paulique
triumphum

Explicat, et nostram petit populique
salutem

Ipsorum pietate dari meritisque refundi.
Et verbum caro factum est.

✠ Anno milleno trecenteno cum quinquage-
no.

Additis et tribus Septembris mense co-
latur.

Ponderat et mille decies septiesque li-
brarum.

✠ Campanam hanc longo usu contractam
non plus quam quatordecim mille libras
pendere compertum est. Benedictus XIV.
addito usque ad viginti mille libras me-

tallo, conflari, et denuo refici jussit,
anno reparatae salutis MDCCXLVI.

✠ Eadem, septimo vix exacto Lustro,
rimis actis inutilem, uno plus, et viginti
millibus pondo metalli repertam, PIVS
SEXTVS Pont. Max. non mediocri me-
tallo superaddito ad idem ponderis con-
flari, fundique mandavit, anno Domini
MDCCLXXXV. Pont. XI. Aloysius Eques
Valadier construxit.

² De hoc ritu, quem praeter alios temere irridet Geor. Henr. Goetzius de Baptismo Campanarum. Lubecae 1712. consule Cangii Glossarium. Recueil curieux, et edifiant, sur les Cloches, avec les ceremonies de leur benediction 1757. 12. Pichler de Augusta V. Karolorum histor. lib. I. de Karolo M. a num. 611. Sarnelli della benedizione delle Campane. T. VII. Litt. Eccl. p. 26.

³ p. 84.

⁴ p. 32.

Expendantur pro Anniversario suo florini duo . 111. Kal. Iulii ¹.
 Obiit Presbyter Iotius Prior Clericorum Chori ñre Basilice ,
 qui reliquit medietatem distributionum , quas de quinque an-
 nis debebat recipere , Camere nostre , et de reliqua medietate
 conversa in opere Campanarum , solutis certis suis legatis ,
 voluit fieri anniversarium suum . Prid. Non. Decembris ².
 Obiit Magister Raynaldus Marci Dñi N. PP. Camerarius , re-
 dimens Crucem Stationariam , et faciens fieri Campanam ,
 nomine Camerariam , sua propria pecunia . Orate gratis .

Quis autem non videt , haec omnia multo potiori jure,
 ad *Turrim Adriani* referenda esse , quae haud impar fuisset,
 tot , tantasque Campanas sustinendi ; quod certe nequis-
 set *Turris Leonis IV* , ubi una solum *Campana* erecta fuit ?
 Quamobrem perverse *Turrigius* ³ , ac *Bonannius* ⁴ *Ana-*
stasii verbis , fecit etiam ibi ipsum *Campanile* , illa verba
 in *Ecclesia S. Petri* , de suo supposuerunt , quum vocula
 ibi de *Ecclesia B. Andreae* , quam prius nominavit , intel-
 ligenda sit , uti jam demonstravimus ⁵ .

Sed istiusmodi opinio ex eo profluxit , quod utrique
 eorum ignotum fuit , *Ecclesiam S. Andreae* a *Symmacho* ex-
 structam , fuisse *Templum Rotundum* , ubi postea *B. M. Fe-*
brium imago depicta fuit . Quum enim sibi cum ceteris
 persuasissent , hanc in aditu *Templi S. Petronillae* esse agno-
 scendam , minus verisimile visum ipsis fuit , *Campanile*
 a *Leone IV.* erectum prope illam fuisse . Quod nunc ,
 quisquam , opinor , facile credat , quum minime abso-
 num sit , *Turrim Campanariam* prope *Templum rotundum* ,
 recens dejectum , olim exstitisse . Ac propterea , quum
 pro ea , quam *Adrianus* construxit , accepta sit , quae

¹ ibid. p. 85.

de Archiatri Pontificii p. 13.

² p. 171. et apud Marinium in T. II.

³ p. 110.

⁴ p. 178.

⁵ p. 1341.

tantum, una cum altera a *Stephano* prius erecta, Basil. Vatic. inserviit, non dubium est, quin *Leoniana* ad Templum *S. Andreae* omnino spectaverit.

Neque vero putandum est, *Turrim Campanariam* a *Leone* constructam, alterius a *Stephano* prius excitatae loco erectam fuisse. Quis enim credat, *Turrim* tantae magnitudinis, quantam fuisse scimus illam a *Stephano* aedificatam, quae ex parte inaurata, et ex parte argento investita tres Campanas sustinebat, seculo nondum elapso, *Leonis* IV. aetate, jam vel diuturnitate collapsam, vel ab eo dejectam fuisse, ut alteram operis, ac formae minus concinnae, qualis certe fuit, quae ab *Anastasio* describitur, ejus vice excitaret? Quod multo magis tenendum est, *Adrianum* minime praestitisse, qui suam *Turrim*, paullo post primam a *Stephano* exstructam, noviter erexit, prope *Porticum*, quae descendit ad *Balneum*.

Jam vero quum *Turris Leoniana*, etsi duas pone Bas. Vatic. *Campanarias Turres* fuisse agnoscamus, quod ego contendo, ac multo minus, si ad Vaticanam Basilicam illa tantum exstisset ab *Adriano* constructa, inter *Turres* Templi Vaticani neququam sit adnumeranda, reliquum est, ut existimemus, *Leonem* IV, qui pluribus donariis Templum *B. Andreae* cumulaverat, hoc etiam *Turris Campanariae* ornamento decorare voluisse. Nam si haec etiam ad Bas. Vat. spectasset, non amplius duas tantum *Turres*, sed tertiam quoque, saltem aliquo temporis spatio, ibidem exstuisse, dicendum esset. Quod nemini hactenus in mentem venit; ac praeter omnium scriptorum silentium, vetus ipsa Templi *S. Mariae* duarum *Turrium* denominatio satis excludit. Propterea quisnam omnem *Anastasio* fidem esse adhibendam, inficias ive-

rit, quin ulla illius verbis injuria, ac vis inferatur, et vocula *ibi*, quae certe ad *Templum S. Andreae* referenda est, de Bas. Vat. amplius accipiatur?

Atqui rem in hoc certe sensu recte accepit Vgolinus, qui in indice rerum gestarum *Leonis IV.* ¹, id etiam recensuit, quod *in Ecclesia S. Andreae Campanam cum malleo aereo fecit*. Quod utique verum est; non autem illud, quod supra ² expresserat, hanc *primam* fortasse *Turrim* fuisse ad Campanarum usum excitatam.

Verum, etsi cetera deessent argumenta, quibus in hanc sententiam compelleremur, *Gallus aeneus*, qui nos ad hanc bene longam, satisque litigiosam disputationem excitavit, hujus rei testis esse videtur optimus, et locupletissimus, eamque sua, ut ita dicam, voce plenissime confirmare. Nam si *Turris Campanaria Leonis IV.*, cui ipse imminebat, modo fulmine disjecta, modo incendio devastata, flammarumque vi Campanae ipsae praegraves fusae essent, putasne, eum dumtaxat incolu- mem evadere potuisse, nullamque ignis passum injuriam, superstitem quodammodo evolasse? Quare id etiam *Gallus* aperte prodit, damna, quae Roccha, Bonannius, aliique, *Leonis Turri* illata fuisse ajunt, ad alteram *Adriani Turrim* esse referenda, *Gallumque* nostrum usque ab initio, *Turri Campanariae Leonis IV.*, prope *Templum B. Andreae*, impositum fuisse, eoque deinde disjecto, intra idem *Templum* feliciter confugisse, ibique, quoad solo aequatum est, a temporis injuriis sartum tectum permansisse.

Itaque antiquae *Turris* forma, quae a Bonannio exhibetur tabula v, qualem sub Xysto V. Pictor expressit

1 T. III. p. 308.

2 ibid. p. 102.

in Bibl. Vaticana, quadrilatera, senis fenestris in singulis faciebus apertis, quas columnae bifariam dividunt, rotundo vertice, non tamen acuminato, et pyramidali, sed tholi instar absoluto, Turrim ab *Adriano* excitatam, et ab aliis Pontificibus restauratam repraesentat, quamquam secus eidem Bonannio visum fuerit, qui jamdiu inveterato praejudicio, eam ad *Leonem* IV. auctorem, haud haesitans referendam existimavit.

Si quis autem ex me quaerat, quo loco haec *Turris Leoniana*, prope Templum *S. Andreae* sita esset, quoque tempore collapsa, aut dejecta fuerit, nil certi de his possum statuere. Equidem non ignoro, apud veteres Christianos, ut Martene¹ erudite adnotavit, in more positum fuisse, ut Altare *S. Michaeli* sacrum, vel supra, vel pone *Turres Campanarias* erigerent, in quorum fundamentis, ut habemus ex Chronico Casinensi², et apud Catalanum³, quandoque SS. Reliquias recondebant, quas inter *beneficia*⁴ ejusdem *S. Michaelis* recensenda sunt, *pars scilicet rubei pallioli, quod ipse memoratus Archangelus in Monte Gargano, supra Altare posuit, et marmoris, supra quod stetit, cujus ibidem usque nunc in eodem loco superexstant vestigia*⁵. Quocirca secus aditum *S. Petronillae*, ubi aram *Michaeli* sacram fuisse vidimus, recte suam hanc Turrim *Leo* statuisset. Ceterum, si in re tam obscura, et incerta divinari licet, ipse locorum positus declarat, nonnisi pone Obeliscum, *Turrim Campanariam* excitari potuisse,

¹ de ant. Eccl. rit. Tom. II. cap. XXI. pag. 832.

² lib. III. c. xxx.


³ Pont. Tom. II. p. 339.

⁴ V. Diurnum Rom. Pont. c. v. tit. VI. de Beneficio *S. Angeli*.

⁵ V. Vitam *S. Autberti* Ep. Abrincatens. apud Mabillon. P. I. Sec. III. Ann. Ben. et in Synopsi historica God. Henschenii in T. III. Junii pag. 603. et apud Cl. Borgia in T. I. Memorie di Benevento p. 189. 190. 191.

quam aut temporis injuria deinde sublatam, vel, ut amplior ejusdem Obelisci translationi locus pateret, cum aliis aedificiis, quae Templum *B. Andreae* circumstabant, funditus eversam puto. Nam de Turri Campanaria Bas. Vat. accipienda esse reor, quae scripsit Grimaldus ^r. *Anno MDCX. XIV. Oct. Turris Campanaria a Leone IV. facta, solo aequata fuit.*

Sed, ne alias etiam difficultates, quibus nostra haec conjectura obnoxia est, dissimulemus, posset heic aliquis ex me sciscitari, num, etsi revera haec *Turris Leoniana* prope Templum *B. Andreae* posita fuerit, item pro certo habendum sit, *Gallum* hunc nostrum, in ejus fastigio olim insedissee? Ejus enim Anastasius non meminit, qui *Campanam* describens, eandem tantummodo *cum malleo aereo, et Cruce exaurato* fuisse tradit. Verum hoc, ut dicam, quod est, parum negotii mihi facessit. Siquidem *Turrius*, *Venutus*, et *Chattardus*, *Gallum* hunc supra eam *Turrim Campanariam*, quam ipsi a *Leone* exstructam putabant, exstitisse affirmarunt, etsi hoc *Turris* ornamentum Anastasius minime nominaverit. Itaque, si donec pro *Adriani Turri*, *Turris Leoniana* accepta est, supra eandem, *Gallum* hunc stetisse, minime dubitarunt, quin Anastasius id unquam expresserit, qua de causa dubitare quis poterit, super eandem exstitisse, quod prope *Templum B. Andreae* positam fuisse declaravimus?



§. IV.

*Cur Veteres Christiani Turribus Campanariis
Gallos imponerent ?*

Age vero, quoniam exciso Templo rotundo, praeter antiquam ejus originem, ac nomen, *Turrim Campanariam*, qua olim exornabatur, omnium primi, post Vgolinum, qui rem obiter tantum innuit, vindicavimus, placet heic etiam *Gallum* hunc nostrum paullo diutius contemplari, et mysterium explicare, quo hujusmodi *Gallorum* effigies, Templorum pinnis, aut Turribus, apud Veteres imponebantur. Nam communi apud omnes more receptum erat, ut Templorum *Turres Campanariae*, *Crucem*, *Stellas*, aut *Gallum* promiscue praeferrent, quod haec omnia suum mysterium velabant ¹.

Cruces porro Ecclesiam significabant, vel *Cruce* redemptam, vel *Cruci* in Terris omnino subjectam. Quamquam non defuere, quibus aliam originem, et explicationem huic consuetudini placuit assignare. Quum enim Apamensis Antistes, uti refert Evagrius ex Procopio, partem *Crucis* Dominicae circumgestasset, Persico exercitu Vrbi imminente, eaque ostensa, Apamenses ab hostibus liberati fuissent, iccirco, tanti prodigii memoriae causa, *Crucem* jam inde in summo Templi vertice propositam fuisse inquirunt, quae ad avertenda cujuscumque generis mala, paullatim in Templorum omnium fastigiis, palam poni deinde consuevit.

Non raro etiam *Stellas* iis praefigebant, quae claro velut indicio essent, Verbum Dei in Templo, *Stellarum* instar fulgere, quod *qui ad justitiam erudiunt multos, quasi*

¹ V. Ioach. Hildebrandum de Sacris Eccl. primitivae. Helmst. 1699. pag. 17.

Stellae, in perpetuas aeternitates fulgebunt ¹; vel Tempa, Populi nimirum, ac sacrorum praecipue Ministrorum opera, ita lucere perpetuo debere, ut ea videntes homines glorificent Patrem, qui in Caelis est.

Verum frequentius in summitate Crucis, quae Turrimum Campanarum cacumini imponi solet, Galli versatiles effingi solebant, ut plura monumenta testantur. Nam Eckehardus Jun. de casibus S. Galli ², haec tradidit. *Duo ex illis ascendunt Campanarium, cujus cacuminis Gallum aureum putantes.* Item Guibertus narrat ³. *Ictu ruente grandi sono fulminis, hoc modo penetratur Ecclesia; Gallum, qui super Turri erat, Crucem, Columque, aut dispergit, aut cremat.* Eadem occurrunt apud Guillelmum Armoricum de gestis Philippi Augusti ita disserentem ⁴. *Frequenterque tenuit in illis diebus, adeo ut in crastino Nativitatis B. Mariae fulmen desursum veniens in Campanariam Turrim Beati Dionysii, quae mirae erat altitudinis, Gallum auratum, cum Lebeta deaurato, prostraverit de Turris summitate in terram.* Praeterea, in Computo reparationum S. Michaelis Lemovicensis, post annum MCCXXVII, ex Archivo ejusdem Eccl. desumpto, ita adnotatum fuisse legitur. *Cruce aurea, Gallus, et concha, cum Arcibus constituunt XVII. lib.*

Propterea, teste Card. Rasponio ⁵, in *Turribus* ad Pyramidis formam a Xysto IV. excitatis, supra Porticum Lateranensem, olim spectaculo erat Gallus versatilis aeneus in fastigio earum, satis eleganti artificio elaboratus, qui Basilicae incendio consumptus est. Eadem de causa Frideri-

¹ Daniel. cap. LII. V. Sarnelli lume

² Principianti Part. I. Ques. XL. Che vuol dire il S. Giobbe con quelle parole

Astra matutina? pag. 222.

³ cap. v.

⁴ lib. I. de vita sua c. XXI.

⁵ apud Duchesium T. v. p. 92.

⁶ de Bas. et Pat. Lat. p. 71.

cus Borromaeus, dum esset Card. Diaconus Tituli *Nicolai in Carcere Tulliano*, in ejusdem Ecclesiae constitutionibus praecepit, ut *Turris Campanarum*, Galli *effigie firmissime affixa*, *Crucem erectam sustineret*. Quod, ut obiter heic moneam, omnem difficultatem eliminat, si quae superesset, de *Gallo Turri Leonis IV.* superimposito, quum ex Cardinalis Borromaei praescripto abunde pateat, ibi etiam poni *Gallum* potuisse, etsi supra eandem *Cruce exaurata* exstisset; quod et alia duo superius ¹ allata exempla confirmant. Ac demum, ne plura congeram, notum est, *Mediolani in Turri Campanaria S. Nazarii Gallum* exstisse, qui hodieque exstat ibidem in vertice *Tholi S. Babilae*, et *Viterbii in culmine Turris Campanariae Domus Pontificalis*.

Nam Christiani veteres, ut docet Rodolphus Hospinianus ², *Gallorum* proposita effigie, cunctos admonere voluerunt, *in Templis Dei praedicationem perpetuo sonare, et ejus Administros, Gallorum instar, poenitentiam securis, et dormientibus intonare, et quosvis ad eam excitare debere*. Atque heic minime praetermittendam esse reor alteram hujusce usus explicationem, quam profert Saussayus. Certe, inquit ³, *non sine causa, Majorum pia industria effecit, ut supra Templi pinnacula effingeretur Gallus; nimirum ad significandum, Pastorem, qui Christi ovili praeest, decere, tamquam Gallum, esse pervigilem, debereque subjectarum sibi animarum vigilantiam ad studium salutis ineundum perenni sollicitudine excitare*. Alciatus etiam in *Emblemate xv.* quod item Franc. Sanctius Brocensis apud Puricellum ⁴ de *custodia*, et *vigilantia* Rectorum Ecclesia-

¹ pag. 1364.

² de origine Templorum p. 346.

³ in Panoplia Sacerdotali P. II. p. 652.

⁴ in Monum. Bas. Ambros.

rum interpretatur, vigilantiam ab iis quodammodo indicari demonstrat, hoc epigrammate.

*Instantis quod signa canens dat Gallus Eoi,
Et revocat famulas ad nova pensa manus,
Turribus in sacris effingitur, aerea mentem
Ad Superos Pelvis quod revocat vigilem.*

Sed audiamus, quid etiam de hujuscemodi Gallis Gul. Durandus apposite ad rem nostram scriptum reliquit. Gallus, inquit¹, supra Ecclesiam positus, Praedicatorum designat. Gallus enim profundae noctis pervigil horas suo cantu dividit, dormientes excitat, diem appropinquantem praecinit; sed prius se ipsum alarum verberibus ad cantandum excitat. Haec singula mysterio non carent. Nox enim est hoc Seculum. Dormientes sunt Filii hujus noctis in peccatis jacentes. Gallus Praedicatorum, qui distincte praedicant, et dormientes excitant, ut abjiciant opera tenebrarum, clamantes, vae dormientibus, exurge, qui dormis, lucem venturam praenuntiant, dum diem Iudicii, et futuram gloriam praedicant, et prudenter, antequam aliis virtutes praedicent, se a somno peccati excitantes, corpus suum castigant . . . Hi etiam sunt et Gallus, quando contra ventum se vertunt, et increpando, et arguendo contra rebelles fortiter resistunt, ne Lupo veniente, fugisse arguantur. His etiam plane concinunt Frantzius², Hoepingius³, et Andreas Crusius⁴.

Verumtamen id improbarunt Valdenses, contra quos scripsit Raynerus, qui ait⁵. *Mysticum sensum in divinis Scripturis refutant, praecipue in dictis, et actis ab Ecclesia traditis: ut quod Gallus super Campanile significet Docto-*

¹ in Rat. Div. Off. lib. I. c. I. p. 7.

² Hist. anim. cap. x.

³ de Jure insignium c. II. n. 49.

⁴ de nocte, et nocturnis officiis c. II. p. 821. in T. II. Thes. Sallengre.

⁵ cap. v.

rem . Iis opponam Honorii August. auctoritatem , qui docet ¹. *Per Gallum admonetur Presbyter , Gallus Dei , ut per campanam dormientes ad matutinas excitet .* Recole in hanc rem , quae doctissimus Bochartus adnotavit ² , ad ea Jobi verba , a Hieronymo sic reddita ³. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam , aut quis dedit Gallo intelligentiam ?* Quocirca Petrus Blesensis , Prophetas Christi praenuncios , ac veluti quosdam anteambulones , quorum missionis totum munus in eo versabatur , ut *testarentur de lumine , Gallos ita nuncupavit* ⁴. *Taceo Prophetas , aliosque etiam enumerare longum est , quibus , tamquam Gallis , Dominus dedit intelligentiam , ut adventum verae lucis , longe ante ejus ortum praeconarent .*

Ceterum Sarnellius ⁵ aliam quoque causam adducit , cur praecipue Gallos in Turrium vertice , antiquitus superimponerent , ut scilicet in mentem peccatoribus revocaretur *Petri fletus* , quem , ut ait Clemens ⁶ , singulis noctibus , ad *Galli cantum* renovabat , ac veniae spem conciperent a proxima *Cruce* , in qua Christus pro eorum salute mortem obivit . Hoc idem innuisse videtur Ambrosius , ubi de Gallo scripsit ⁷. *Dormientem excitat , et sollicitum admonet , et viantem solatur hoc canente devotus affectu exilit ad precandum . Hoc postremo canente , ipsa Ecclesiae Petra culpam suam diluit . Ipsius cantu , spes omnibus redit , aegris levatur incommodum , minuitur dolor vul-*

¹ lib. I. c. CXLIV.

² T. II. Hierozoicon p. 115.

³ xxxvii. 36.

⁴ in Serm. ix. V. Bochart. T. II. Opp. pag. 907.

⁵ in vet. Basilicogr. p. 134.

⁶ V. Sarnelli lume a' Principianti P. II.

Ques. xxvi. Se la Passione di Cristo ha liberato gli uomini dalla pena del peccato? p. 189.

⁷ lib. v. Hexamer. cap. xxiv. V. Prud. Hymn. I. ad Galli cant. Sedul. Carm. lib. v. de negat. Petri Fulg. Serm. LVII. Pseud. Chrys. de negat. Petri.

nerum, febrium flagrantia mitigatur, revertitur fides lapsis, Iesus titubantes respicit, errantes corrigit. Hanc ipsam Petri negationem tradit Dom. Macer ¹, in mentem Pontificum excitari consuevisse, ad repraesentandam, in die Possessionis, commiserabilem Humanitatis fragilitatem, ac mitem se erga eam praebere debere. Vix enim peracta stuppae combustionis caeremonia ², iisdem indigitabant porphyreticam Columnam, super quam Gallus aeneus insistebat, eratque prope Lateranensem Portam, quam a fel. m. Alexandro VII. ob id auferri iussum fuerat, quia insipiens Vulgus apocrypha traditione deceptus, existimabat, eandem Columnam fuisse, supra quam Gallus cantaverat in Gallicinio Passionis Christi. Eam ex Aedibus Pilati allatam putabant, ut narrat Andreas Scottus ³, una cum aliis Columnis porphyreticis Baptisterii Constantiniani; deque ea mentionem faciunt Aloysius Contarenus ⁴, Card. Rasponius ⁵, et Joh. Bottarius ⁶, qui praeterea alterum Gallum Columnae in-nixum, instar Lateranensis describit.

Haec autem Columna etiamnum adservatur in veteri Atrio Canoniorum Lateranensium, ubi paullo ante visabantur marmoreae Sedes Stercorariae ⁷, et Sarcophagus porphyreticus Helenae Augustae BB. Matris Constantini, qui ex ipsius Mausoleo, miliario ab Vrbe Roma III. via Lavicana, a Latronibus violatus, atque expilatus, ab Anastasio IV. ad proprii Monumenti usum, ut refert Iohannes Diaconus ⁸, et ex eo Bosius ⁹, Raspo-

¹ in Hierolex. p. 557.

² V. pag. 805 806. 807.

³ in Itin. Ital. lib. II. p. 310.

⁴ p. 74.

⁵ p. 62.

⁶ T. I. Rom. subt. p. 134.

⁷ V. Rhodium de Sellarum perforata-

rum usu in Balneis. in not. ad Scribonium Largum 280. Montfauconium in Diario Ital. pag. 158. Malillonium in Comm. ad Ord. Rom. p. cxxl. et Scriptores de Fabula Iohannae Papissae.

⁸ T. II. Mus. It. in Append. p. 569.

⁹ Rom. subt. lib. III. c. xxII. c. 348.

nus ¹, Marangonius ², aliique ³, in Basilicam Lateranensem translatus fuit. Quae quidem monumenta affabre instaurata, et perpolitata Pontifex munificentissimus in Museo Pio Clementino collocavit.

§. v.

De Christi verbis, antequam Gallus cantet.

Multa de Petri lapsu erudite disputavit Aloysius Cucagnius in nupera ejus vita ⁴, quam alii plures primum concinnaverant ⁵; sed tamen ne leviter quidem attinxit, planeque praetermisit celeberrimam quaestionem, quae doctorum hominum coetus jamdiu pervagatur, num Christi illa verba, *antequam Gallus cantet*, ad praenuntium lucis alitem sint referenda? Itaque non alienum videtur, pauca quaedam de hac controversia obiter delibare.

Atque, ut omittam, quae de *Buccinatoribus*, qui horam indicabant, doctissime adnotavit Burmannus in luculentissima *Petronii* editione ⁶, hoc tamen loco minime

1 p. 58. et 77.

2 c. LVIII. p. 299.

3 Ciampinius Tab. xxxI. Winchelmänn Storia dell'Art. T. IJ. p. 411.

4 Roma 1777. T. III. 8.

5 Paulus Aemilius Sanctorius. Acta Sanctorum Apostolor. Petri, et Pauli. Romae 1597. ac rursus T. VII. Junii Boland. pag. 1. Commentarius de SS. Petro et Paulo (qui exstat apud Surium mens. Jun. pag. 353.) graece, et Latine cum Commentario praevio, et notis Godefr. Henschenii, Analectisque Dan. Papebrochii. Tom. v. Junii pag. 398. Ichann. Palazzius. Vita di S. Pietro Principe degli Apost. Venet. 1687. 4. Karolus Ster-

gelius. Commentar. rerum gestarum SS. Apost. Principis Petri, e sacris litteris, SS. Patribus, et probatissimis scriptoribus concinnatus. Aug. Vindel. 1627. 4. Nic. Sanson. Vita S. Petri Apostoli, in qua potissimum describuntur ejus patria, mansiones, itinera, et peregrinationes. Exstat in ejus Geogr. Sacra. Amst. 1704. fol. p. 36. Theodorus Bibliander. de vita, doctrina, fide, operibus, et Ecclesia Petri. Basileae 1550. 8. Aegid. Strauchius. Vita Petri, dissert. historico-theologica descripta. Wittembergae 1650. Christ. Kortholtus. de Simone Petro, primo Apostolorum. Gottingae 1718.

6 p. 93.

praetereundum est, Joh. Georgium Altmannum ¹ dissertationem lucubrasset *de Buccinatore, vel Cornicine Stationario Hierosolymis a Petro in Aedibus Pontificis audito*. Hujus vestigiis inhaerentes Leonardus Hoffmannus ², Kar. Gottlob Fischerus ³, Ickenius ⁴, et *Relandus* in Oratione de *Galli cantu Hierosolymis audito* ⁵, ac praesertim V. C. *Castus Innocens Ansaldi*, a Galliciolio ⁶ laudatus, in dissertatione *de Forensi Hebraeorum Buccina* ⁷, in controversiam vocarunt, utrum memorata nostri Servatoris verba, in alium sensum, quam quo hactenus recepta sunt a ceteris Scrip- toribus ⁸, ac praesertim a Samuele Bocharto, qui plura de *Galli cantu* in *Hierozoicon* eruditissime con- gessit, trahi recte possint. Nam vocem ἀλέκτωρα promiscue olim usurpatam fuisse demonstrant, non ad alites modo significandos, verum etiam ad Graecos homines, tum Virginem, tum Conjugem, tum etiam gemmam, atque nummum, atque ad certos demum Viros denotandos, *Praeconem* nimirum, *Tubicinen*, *Buccinatorem*. Quare opinati sunt, Christum fortasse de industria Petro *amphibologice* loquutum, ejusque verba de *forensi* tantum *Buccinatore* esse intelligenda, qui ad concionem, in qua Servator noster damnatus fuit, cogendam, *buccina* ex more clangere debuit. Nam in convocandis litigantibus coram Tribunali apud Iudaeos, Cornu adhibitum esse, *Ansaldus*, *Zoe-*

1 in T. iv. *Tempe Helvet.* p. 1. et in T. xxvii. *Thes. Vgolini*.

2 *Ancilla Hebraea.* Ierac 1717. 4.

3 *Diss. de Ancillis Ostiariis.* Lips. 1745. 4.

4 de *Tubis argenteis Hebraeorum* p. 92.

5 in T. xxvii. *Thes. Vgolini*.

6 T. ix. edit. Venet. Opp. S. Gregorii M. c. vi. *Isagog. Liturg.* p. 183. et 287.

7 *Brixiae* 1745. 4, et in Tom. xxvii.

Thesaur. Vgolini.

8 V. Ioh. Frid. Niehenck *dissertat. de proditore Iuda, et Petro, horumque peccato, et poenitentia.* Rostoch. 1702. 4. Iohan. Christ. Biel *animadversiones ad Altmanni observation. et Blasii Vgolini ἀλεκτροφωνίας evangelic. significationem genuinam defensam.* in T. xxvii. *Thes. Ant. Hebr.*

ga¹, aliique demonstrant. Nusquam vero de *Alitis* cantu interpretari posse contendunt, eam etiam ob causam, quod Iudaei, non ut olim molles Sybaritae², placidioris somni gratia, sed ne terram in Vrbe sancta dissipantes immunda eruerent animalia, quae res sacras malo omine polluerent, *Gallos* alere, Hierosolymitanis vetabant, ut libri Thalmudici auctoritate erudite demonstrat Balthas. Lud. Eskuche³.

Quod tamen de Hebraeis tantum in Vrbe Hierosolymitana degentibus intelligendum est. Nam alibi *Gallos* habere, iis minime interdictum erat. Siquidem, ut praeteream ridiculam Balaami cum *Gallo* collationem, quam Baal Hatturim⁴ instituit, de iisdem loquitur Ioma in Thalmudico Tractatu, inquiens. *Quotidie Cineres ex Altari demunt ad Galli cantum, aut proximo tempore, sive praecedat, aut subsequatur.* Atque alibi⁵. *Quisquis ante Galli cantum ad iter se accingit, sanguis ejus est super caput ejus.* Haud secus in Semoth Rabba capite 1. ubi agitur de Israelitarum Servitute in Aegypto. *Et ibant exactores in Praefectorum domos summo mane, ut eos ad operas suas educerent ad Galli cantum.* Ac paullo post⁶. *Adstabat hora Galli cantus, ut eum educeret e domo sua.*

Praeterea nemo est Judaeorum, qui pridie Festum expiationis non offerat pro se *Gallum*, haec ingeminans, dum illum suo capiti ter allidit. *Iste Gallus sit permutatio pro me. Iste sit loco meo. Iste sit expiatio pro me. Iste Gallus eat ad mortem. Ego autem cum toto Israele ad*

1 de Buccina Hebraeorum p. 391.

2 Polit. Miscell. c. xvi. et Camerar. in hor. successiv. Centur. II. cap. LXXXIX. p. 340. ex Athenaeo.

3 Diss. philologica de Gallis, et Galli-

nis ad Aram Iehova non factis. Rintel. 1741. 4. V. Macrum in Hierolex. T. I. ed. Bonon. p. 441.

4 V. Bochart in T. II. Hierol. p. 119.

5 fol. 20.

6 fol. 21.

beatam vitam . Amen . Stulte enim sibi persuadent , *Gallum* , et *Hominem* a Deo indiscriminatim haberi posse , quod uterque eodem nomine apud eos appelletur ¹ .

§. VI.

De Galli Symbolo apud Christianos usitato .

Quo demum cumque modo sese res habuit , certum illud est , ut vel ad colendum , vigilantia proposita , vel ad placandum divinum Numen , trinae *Petri* negationis , veniaeque ei concessae exemplo homines excitarent , saepe numero majores nostros ejusdem effigie usos fuisse . Nam , ut videre est apud Aringhium ² , Bottarium ³ , Mamachium ⁴ , Jos. Allegranza ⁵ , et Dionysium ⁶ , libenter in anaglyphis , anulisque *Gallum Gallinaceum* insculpebant . Nil vero dicam de *Gallis* pugnacibus , quibus pueri spiritus addebant , palmas ostentantes ; quosque in vitris coemeterialibus praesertim exprimebant , ut notant Boldettus ⁷ , Bottarius ⁸ , et Mamachus ⁹ . Hoc enim symbolo tantum utebantur , ut iis , qui strenue pro Christo dimicassent , palmam victoriae paratam esse demonstrarent .

Praeterea *Gallorum* vigilantiae exemplo , ad Dei laudes horis antelucanis celebrandas , sese invicem excitabant , idque iis vitio vertit Plinius junior , in celebri ad *Trajanum* epistola ¹⁰ . Nam , ut praeterrittam Hymnorum , et

¹ Buxtorfius in c. xx. Synagogae. Bochart in T. 11I. Hierozoicon p. 119.

² T. 11I. p. 398.

³ T. 11I. Rom. subt. p. 181.

⁴ T. 11I. Antiquit. Christ. p. 92.

⁵ Diss. VII. sopra un Agape co' suoi Simboli p. 123. e nella IX. sopra la Porta della Bas. Ambrosiana p. 161.

⁶ p. 120. ⁷ lib. I. c. XI. p. 216.

⁸ T. 11I. p. 4. et 44.

⁹ loc. cit.

¹⁰ l. x. ep. 97. V. Ioh. Schefferi notas in Plinii Epist. lib. x. in Lect. Acad. Libro. Hamb. 1675. 8. pag. 59. Franc. Balduini Comm. ad Plinii lib. x. Ep. xcviI , et xcviII. in Plinii edit. Veenhusii Lugd. Bat. 1669. 8. pag. 743. Conr. Rittershusii Comment. ibid. pag. 764. Ger. Ioh. Vossii Comment. ibid. p. 793 , et in Vossii Opp. T. IV. p. 54. int. Opusc. varia. Geor. Gasp.

Odarum exempla , quae in publicarum precum , ac laudum consuetudine quotidie usurpamus , in *Antiphonario* Monachorum Brencorensium , quod Muratorius ¹ edidit , exstat *Hilarii Hymnus* de Christo , longe pulcerrimus , et antiquissimus , cujus haec circa finem leguntur verba .

Galli cantus , Galli plausus
Proximum sentit diem ,
Et ante lucem nuntiemus
Christum Regem saeculo .

Cujus quidem Hymni admirandam vetustatem , ac pretium singulare , elegantissimo commentario , qui utinam publico literariae Reip. bono in lucem prodeat ! , illustravit *Vitus Maria Iuvenatius* , cujus ingenium , memoriam , doctrinam , graecis , latinisque literis eruditionem , vix , credo , pauci sint , qui assequantur , nemo , qui superet . Quod si quis amicitiae potius , quam veritati id me tribuere suspicetur , is consulat , licet , disertissimam ejusdem lucubrationem de *Vrbe Aveja* ¹ , cujus editioni procurandae , atque ornandae meam operam libentissime contuli , ejusque Scholia in *T. Livii Fragmentum ἀνέκδοτον* ² , quod ego primus publici juris feci , doctissimis ejus scholiis illustratum .

Kirchmajeri *Analysim* Epist. Plinii xcviI. lib. x. Witt. 1693. 4. Hymnophili (Kie-kebusch) *Observation.* ad Plinii lib. x. Epistol. xcviI. de carmine Christo quasi Deo dicto . in *T. v. Misc.* Lips. nov. P.11I. p. 521. Joh. Henr. Albini *Diss.* de statu , et ritu Christianorum veterum ex Epist. Plinii . Witt. 1693. 4. Frid. Andr. Halbaveri *Comm.* de pristina Christianae rei facie , a Plinio repraesentatae . Jenae 1738. 4. Kortolthum . de *Sacris publicis*

colendis . Kilon. 1693. Joh. Nicolaum . in *selectis* quibusdam *Ant. Eccl.* Tubing. 1705. Schutzfleischium in *Compendio Ant. Ecclesiast.* Lipsiae 1733. Bohemerum . in *dissertat.* xII. de *Iuris Eccles. antiq.* Binghamum . in *Orig. Eccl.* I. xII. c. ix. Grancolasium . in *Breviar. Rom.* lib. I. cap. xxI. Azevedo . in *VI. Exerc. Liturg.*
¹ in *T. IV. Anecd.*
² In Roma 1773. 4.
³ Romae 1773. 4.

Atque, ut praeteream celebres Alcuini versus ¹, praecleara sunt illa, quae protulit in hanc rem Michael Glycas ², ubi docuit. *Iam quod Gallus Gallinaceus noctu, certis horis cantet, non multum ante Solis ortum, ejus rei causam in hunc modum nonnulli explicarunt. Ajunt enim, animal hoc a natura calidissimum, et in primis in appetendo nutrimento avidum, ob calorem quidem insitum, citius susceptum alimentum concoquere, ob aviditatem vero naturae, appetitum suum significare, quasi pascentem se invitet, et excitet. Alii volunt, rem quamlibet alicui certo sideri dicatam esse, sicut Lotus herba solaris est. Quo fit, ut huic luminari exorienti folia sua pandat, quum eadem, eodem occidente, contrahat. Sic et Gallus gallinaceus de horum opinione sub Solem refertur. Quamobrem ad ortum redeunte Duce suo, ratione quadam occulta, et naturali gaudet. Simul quasi carmen ei quoddam concinere velit, clarius vocem attollit, et altum clamat. Atque illorum quidem haec est sententia. Tu vero, mi Fili, voces hujusmodi referre inter fabulas, ne verearis. Nam Gallum gallinaceum noctu canere Deus jussit, qui omnia providentia sua complectitur: ut hoc modo vel invitati de lectulo surgamus, nec sine fructu noctem integram consumemus; sed partim ad operas nosmet convertamus, partim ad Dei celebrationem excitemur. Sic enim consuevit Deus tam per doctrinam, quam per ipsa etiam Animalia nos erudire. Haec autem de nocturno ejusdem Alitis cantu statis horis Alkausinius adnotavit. E mirabilibus (naturae ejus illud est), quod novit horas noctis; adeoque quum nox est horarum xv, pro ejus ratione dispensat cantus suos, quomodo etiam dispensat, quum solum est horarum ix, idque per Dei inspirationem. Haud absimile*

¹ de Gallo in T. iv. Anal. Mabill. p. 524. et in ejus Opp. edit. Froben. ² p. 47.

est illud, quod Damir in eo animadvertit. In eo maxime mirabile illud est, quod novit tempora noctis, et juxta ea, tam aequa lance cantus suos dispenset, ut ex iis vix quidquam demat, siue longiora sint, aut breviora, et cantus ejus perpetuo praecedat, et sequatur Auroram. Laus illi sit, qui eum ad id instituit.

Quid vero frequentius occurrit, tum apud Patres, Regulasque Monasticas, tum in Romanis Ordinibus¹, Capitulari Evangeliorum a Frontone edito, Missalibus Turonensi, et Lateranensi², Antiphonariis a Thomasio, Georgio, aliisque, evulgatis, quam illae Inscriptiones, in primo Pullorum cantu, in Galli cantu, in primo Galli cantu, in Gallicinio, ad Gallorum cantum? Quae quidem consonant iis, quae legimus in Libro Tobiae³. Circa Pullorum cantum accersiri jussit Raguel Servos suos, et abierunt cum eo, ut foderent sepulchrum, id est, quo tempore canunt Galli Gallinacei; atque eadem in mentem revocant grave illud monitum apud Marcum⁴. *Vigilate igitur. Nescitis enim, quando Dominus domus veniet, Vespere, aut media nocte, aut Galli cantu, aut mane.*

Siquidem ad Galli cantum vigiliis sollemniores incipiebant, ut luculenter demonstrant Gregorius Turonensis⁵, Amalarius⁶, Menardus⁷, ac fusius Martene⁸, et Joh. Chrys. Trombellius⁹, qui allatas Inscriptiones de media nocte, qua primum cantum edere Galli solent, non autem de Gallorum cantu circa diluculum, docent esse intelligendas. Quod mirifice confirmat Canon Sy-

1 T. II. Mus. It. p. 324. et 326.

2 p. 18.

3 Vulg. Tob. vii. v. 11.

4 xii. 35.

5 de Gloria Martyr. atque alibi.

6 de div. Off.

7 ad Gregor. Sacram. not. 98.

8 de ant. Eccl. rit. l. iv. c. xii. n. xix.

9 de cultu SS. Dissertat. vi. cap. xxi.

Bononiae 1740.

nodi Salengustadiensis Germanicae., habitae Seculo xI. ineunte, quo nondum per Horologia nocturnas horas designandi usus obtinuerat. Ibi enim, ut egregie notat Fr. Ant. Zaccaria ¹, praecipitur, ne quisquam, qui *post Galli cantum* bibisset, sacrum celebraret, tum per aestatem, tum etiam per hyemem, etsi hiberno tempore *Galli cantus* mediam noctem haud recte indicet.

Praeterea hujusce Avis oblatio in nonnullis Ecclesiis obtinuit. Haec enim exhibet Charta anni mcccxxii. in Chartulario S. Petri Carnotensis ². *Dedi in perpetuam elemosinam Monasterio S. Petri Carnotensis tres Gallos, et unum Pugillum, sive unam Havatam Candelarum, quas percipere solebam annuatim in Altaritagio S. Christophori.* Item Laudes Papiæ, ubi agunt de Capillorum benedictione, haec habent ³. *Rectoribus Parochiarum semper offerunt aliquid, non solum in Missis festivorum dierum, verum quoque . . . in benedictione Capillorum masculorum infantium certis festis, quam habent ex consuetudine, et pro qua offerunt pullum album, videlicet Gallum.* Ejusdem Alitis donum, prima nuptiarum nocte, in Galliis Sponsi praestare tenebantur sociis, amicisque suis, ut discimus ex Charta Reg. Charthoph. ubi haec legimus ⁴. *Die nuptiarum dicti matrimonii de sero accesserunt ad domum dicti defuncti, tunc Sponsi, parentes, et amici, qui ad nuptias ipsas ratione amicitiae convenerant . . . causa solatii, et quaerendi Gallum, seu Cochetum, ut in partibus illis est moris.* Ac quandoquidem de Galliis incidit sermo, adnotare libet, quod refert Flaminus Cornelius ⁵. *In tessellato pavimento Basilicae*

¹ in T. II. Bibl. Liturg. p. CLXXIV.

² in Gloss. Carpentier T. II. p. 727.

³ apud Murator. T. x. Script. rer. Ital. col. 31. et Carpentier. in T. I. p. 787.

⁴ apud Carpentier. T. I. p. 1005.

⁵ in Basilica Ducali S. Marci pag. 132. in Eccl. Venetae Ant. Monum. Dec. XII. Part. I.

S. Marci Venetiis, duorum Gallorum Gallinaceorum figuræ conspiciuntur, quæ Vulpem pedibus palo alligatam efferunt. Eaedem Karolum VIII, et Ludovicum XII. Gallorum Reges, editione Mediolanensi, Ludovicum Sfortiam, Virorum callidissimum, expellentes denotare videntur.

Quid, quod Ordo Equitum anno MCCXIV. institutus fuit a Delphino Tractus Viennensis Regulo, quum dimicans adversus Anglos, Polarii ope, incolumis e mortis discrimine evasit? Nam in honorem sospitatoris sui, cujus insigne erat *Gallus Niger* in albo campo, *Ordinem Galli* nuncupavit. Alterum *Galli* ordinem memorat Justinianus, quem a Montmorancio erectum contendit; verum ab Helyoto¹ inter commentitios rejicitur.

§. VII.

De Galli Symbolo apud Ethnicos.

Haec nonnemini jam tum nimia fortasse videbuntur. Quid vero, si multa, et mira, quæ de ejusdem Alitis Symbolis apud Ethnicos occurrunt, heic etiam attexam? Atqui dabitur mihi, opinor, haec venia, tam longo itinere defesso, ut diverticula de industria quaeritem, quæ amoenitate quadam recreent, atque oblectent. Itaque, quum id argumenti satis elegans, ac festivum sit, in eo excolendo lubet paullo diutius immorari; quod me non inutiliter, nec nulla eorum, qui lecturi sunt, voluptate praestitutum confido.

Quis autem ignorat, *Gallum* vel apud antiquos fabulorum Numinum cultores, tamquam Symbolum colendæ Divinitatis habitum fuisse? Id enim quamplures²

¹ in Tom. VII. hist. Ord. Mon. p. 440. p. 269. T. II. Chassanus. in Catal. Glor. mundi p. I. Concl. 83. et 84. Lindebro-

² Aldrovandus, lib. IV. Ornithol. c. I.

allatis exemplis demonstrarunt, qui nonnihil divinum in Galli cantu agnoverunt. Vnde ait Cicero ¹. *Quid in mentem venit Callistheni dicere, Deos Gallis signum dedisse cantandi? quum Democritus optimis verbis causam explicet, cur ante lucem Galli canant. Depulso enim de pectore, et in omne Corpus diviso, et modificato cibo, cantus edere quiete satiatos.* Sed alii secus, una cum Callisthene, senserunt, ac praeterea diversa ejusdem cantus veluti interstitia adnotarunt. Nam Censorinus, ubi diei partes enumerat, postquam de media nocte loquutus est, statim ait ³. *Sequitur Gallicinium, quum Galli canere incipiunt; deinde conticinium, quum conticuere.* Simile est illud Macrobbii ⁴. *Primum tempus diei dicitur mediae noctis inclinatio; deinde Gallicinium, inde conticinium, quum et Galli conticescunt.* Sed quum Gallus vel a media nocte canere incipiat, cantum, quem rursus edit inter medinoctium, et Auroram, secundum nonnulli vocant. Nam Aristophanes ait ⁵. *Nempe per Iovem, si tunc venisses, quum Gallus secundo canebat.* Item diserte Heliodorus ⁶. *Galli jam secundo canebant.* Vnde vetus illud adagium, de quo multa erudite scripsit Erasmus, *priusquam Gallus secundo canat, id est, summo mane.* Neque aliter Synesius ⁷. *Quum nox jam esset circa secundum Gallorum cantum.* Ac Juvenalis ⁸:

*Quod tamen ad cantum Galli fuit ille secundi
Proximus ante diem Caupo sciet.*

Huc etiam pertinent illa Ammiani ⁹. *Casium montem as-*

chius. in Chronic. Karoli M. pag. 69.
Camerarius. Cent. I. Hor. Subeis. c. 89.
Hieronymus Columna. ad Enni fragm.
p. 471. edit. Neap. Christianus Rotarides.
in Programmate de Gallinalibus, seu de
Festo Galli. Col. Brand. 1705. 4.

1 de Divinatione lib. I.

3 c. XIX.

4 lib. I. Saturn. c. III.

5 p. 735.

6 lib. V.

7 epist. IV.

8 Sat. IX. v. 106.

9 lib. XXI.

cendit, unde secundis Galliciniis videtur primo Solis exortus; quae a Mela¹, Plinio², Solino, et Martiano Capella³ quarta vigilia nuncupantur. Galli nempe, ut docet idem Plinius, cum Sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia, ad curas, laboremque revocant. Iccirco Horatius cecinit⁴.

Agricolam laudat juris legumque peritus,

Sub Galli cantum consultor ubi ostia pulsat.

Sic etiam Apulejus Auroram indicasse videtur, ubi narrat⁵. *Noctis Gallicinio venit quidam Iuvenis proxima Civitate.*

Praeteream plani, et impostoris Mahomethae⁶ deliria, qui Deum habere nugatus est *Gallum album*, cujus alae smaragdis, hyacinthis, et margaritis distinctae sint, et ab Ortum ad Occasum expansae, caput sub Throno gloriae, pedes in summo aere, illumque quotidie precum tempus summo mane indicare, atque ab omnibus Caeli, et Terrae incolis audiri, praeter homines, ac Daemones, ac propterea illi *Gallos terrae respondere*. Quae tamen ex Hebraeis petita esse demonstravit Bochartus⁷, quippe qui in Psalmis habent⁸, *Gallus Sylvestris, cujus crura humi stant, et caput ejus attingit Caelos*. Illud potius memorem in numis Urbium⁹ *Gallum* frequenter insculptum fuisse; atque inter figuras, quibus Basilidiani, seu potius Aegyptii¹⁰, Abraxam suum, sive *Solem*, in lapillis, et gem-

1 l. i. c. x. 2 l. x. c. xx1.

3 lib. viI. 4 Sat. I. 5 lib. viII.

6 ex Chronicis Espahan.

7 Prophetarum loca x1I. de Gallinaceo genere examinata. in T. 11I. Hierozoic. pag. 123.

8 lib. 11.

9 Eger. Thes. Brandenburg. T. I. p. 357. Spanhem. de praest. et usu Num. T. I.

p. 96. Fea in adnot. ad T. I. Winckelm. arte del disegno p. 210.

10 V. Beausobre Hist. du Manich. T. 1I. pag. 50. Caylus Recueil d'Antiq. T. viI. planch. xIx. n. iv. p. 64. a Benettis chronol. et critic. hist. prof. et Sacr. T. 1I. p. 96. Passeri Diatrib. de gemmis Basilidianis. P. Martin expliq. de plus Monum. singul. pag. 291.

mis stulte delineabant, frequenter representari Corpus humanum paludatum, cum capite *Galli gallinacei*, cujus tibiae modo in caput Serpentis, modo in stellas, interdum item in capita *gallinacea* desinebant. Nam *per Galli faciem, cristamque*, ut explicant ex Kircheri ¹ doctrina Ioh. Macarius ², Ioh. Chiffletius ³, et Nicolaus Galeottus ⁴, *Solaris Numinis potestatem denotabant*, cui iccirco sacrum fuisse Gorius ⁵ ostendit. Atque hinc fortasse inter aenigmata Ianuarii, principis reliquorum anni mensium, in Calendario Caesareo Viennensi ⁶ *Gallus gallinaceus* apparet, quem praecipue *album*, ut Iamblichus ⁷ refert, mactari vetuit Pythagoras, quippe qui ageret mensis sacrum supplicem, etsi Gisbertus Cuperus Lunam, non mensem, a Iamblico indicatam, fuisse contendat ⁸. Ceterum *albi Galli* in partes dissecti sacrificium Methanenses praestabant, ad tempestates averruncandas, ut auctor est Pausanias, qui hujusmodi usum ita explicavit ⁹. *Quod vero mihi magnae Methanis admirationi fuit, id ipsum jam scribam. Africus e Saronico sinu agrum, et vineas perfians, novos pampinos acriter torret. Id quoties ac-*

1 in Oedip. Aegypt. Tom. II. Part. II. Class. II. de magia Hieroglyph.

2 Abraxas, seu Apistopistus, quae est antiquaria de geminis Basilidianis disquisitio. Accedit Ioh. Chiffletii Abraxas Proteus Antwerp. 1657. 4. pag. 17. et in T. v. Misc. Chifflet.

3 Abraxas Proteus, seu multiformis gemmae Basilidianae portentosa varietas Comment. illustrata. in T. v. Miscell. et loc. cit. c. I. p. 57. 62. 63. 91. Christiani Rotaridis Programma de Gallinalibus, seu festo Galli. Colon. Brand. 1706. 4. Abraxas T. II. 177. descript. des Pierres gravées du Cabinet de M. le Duc d'Or-

leans. Paris. 1784. fol.

4 in tab. xxxII. Musei Odescalchi T. II. pag. 73.

5 de Libertorum Columbario in T. III. Sallengre p. 12.

6 Gronovius in T. I. ant. Graec. Tab. mensis singulari honore culti Antiochiae. Patinus. Vaillant. I. A. Fabricius in libello de mensibus. Jablonskius in Comment. de Remphah. p. 89.

7 cap. xvIII.

8 in T. II. Thes. Poleni de Harpocrate pag. 415.

9 Corinthiaca, sive lib. II. p. 191. edit. Kuhnii. Lips. 1696. fol.

*cidit , vento etiamnum spirante , Viri duo Gallum gallina-
ceum , albis alarum pinnis , in contrarias partes distractum
lacerant , ac deinde dimidiam uterque Galli partem praefere-
rens , cum cursu vites ambiunt ; mox in eum ipsum locum ,
unde currere coeperunt , rursus congressi , avem ibi defodiunt .
Hoc ab illis excogitatum est , tamquam praesentissimum re-
medium contra noxios Africi flatus .*

Eundem Alitem , utpote diei , Solisque nuncium , *Aescu-
lapi* Veteres sacrificasse , Lactantius ¹ testatur , ut etiam
Andreas Tiraquellus ² animadvertit . Porro Socrates , quem
per *Gallum* jurare solitum fuisse , narrat Laertius , post
Cicutae potum , ita Critonem alloquitur , apud Platonem
in Phaedone ³ . O *Crito* , *Aesculapio* Gallum debemus , quem
reddite , neque negligatis . Fiet , inquit *Crito* , quod jubes .
Quae quidem Viri sapientissimi verba ita explicavit Joh.
Reuchlinus ⁴ . *Aesculapio* Gallum offerendum vocit ; non ut
sibi Corpus sanaret , qui jam morti adjudicatus venenum bi-
berat , sed ut parenti *Apollini* , hoc est primo , et incorporeo
Soli , aeternae vitae dispensatori , animum tranquille morien-
tis , cum laetitiae júbilo , et *Paeane* redderet . Nam Gallus
Apollini *Phoebo* , qui *Sol* nominatur , sacer est , horarum , et
diei laetus nuncius .

Praeterea idem *Gallus gallinaceus* , ut demonstrat Kir-
cherus ⁵ , *Mercurio* sacer erat ob vigilantiam , quippe qui
a prima mediae noctis inclinatione , ut ait Lucretius ⁶ .

..... noctem , et plaudentibus alis
Auroram clara consuetus voce vocare .

¹ div. Instit. lib. III. c. xx.

² de nobilit. c. xxxI. n. xxvI.

³ Rhodiginus ant. Lectionum xvI. 12.

Pier. Hieroglyph. xxiv. 18.

⁴ in lib. II. de Arte Cabalistica. V. Ioh.

Chiffletii Socratem , sive de gemmis ejus
imagine relatis iudicium . p. 34. in Abrax.
Gemm. Comment.

⁵ in Obelisco Pamphilio p. 234.

⁶ lib. IV. v. 714.

omnesque ad munia sua excitare. Propterea Laertius narrat, Citharoedum, qui semper ab Auditoribus deserebatur, ita a Diogene salutatum fuisse ¹. *Salve Galle*. Ille autem quaerens, cur ita? *Quia*, inquit, *canens omnes excitas*. Eadem de caussa, qui in Choro Praecentor erat, ut ait Varro apud Nonium, dicebatur,

Vocis Suscitabulum ²,

Cantantiumque Gallus Gallinaceus.

Propterea excubiarum, et vigiliarum signum fuisse produnt Pierius ³, Saubertus ⁴, et Aleander ⁵. Eadem de caussa *Nocti* Deae, et nocturno tempore sacrificabatur, ut tradidit Ovidius ⁶.

Nocte Deae Nocti cristatus caeditur Ales,

Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Interdum etiam solebant ⁷, Laribus *cristam promittere Galli*, quod pervigil domum custodiret. Quis tamen crederet, canoram hanc avem pone silentii Deam fuisse insculptam ⁸? Nihilominus figura Theatro Hieroglyphicorum Hervatiano inserta, et rursus a Kirchero prolata exhibet *Harpocratem*, qui sinistro cubito *Galli*, jamjam vocem molientis, guttur premit, ac coercet, ut ostendat, quietem, et otium contemplationis, per *Noctuam* ibidem adjunctam indicatum, perturbandum non esse ab importunis diurni temporis actionibus, quarum *Gallus* nuncius est, ac voce ad eas excitare solet homines.

Verum ob pugnacitatem eadem avis praecipue *Marti* sacra, ab Aristophane ⁹ *Martis pullus* nuncupatur, eam-

¹ in lib. vI.

² c. 11. num. 826. V. Sveton. in Aug.

³ LXXXIV, et in Nerone c. xxv.

⁴ Hier. c. xx. ⁵ de Sacrif. c. 111.

⁶ in Tabulae Heliacae explicatione in

Tom. v. Thesaur. Graevii pag. 718.

⁷ Fastor. lib. I. v. 455.

⁸ Sat. x111. v. 233.

⁹ in Obelisco Pamphiliano p. 316.

⁹ in Avib. p. 580.

que Eucherius Imperii, et Principis Symbolum appellat. Hac de caussa *Galeae* Idoli *Irmensul*, vel *Ermensul*, in Oppido S. Petri, in *Monte Martis*, apud Saxones olim culti ¹, cujus descriptionem habemus apud Erastium ², et Maurinos ³, *insidebat* Gallus Gallinaceus, *quod magnorum bellorum erat signum*. Iccirco *Gallum* frequenter in insignibus insculpebant, ut docent nonnulli ⁴, ex Pausaniae auctoritate, qui ⁵ Idomeneum Minois Nepotem, a Pasiphae Solis Filia oriundum, in scuto *Gallo Gallinaceo* usum fuisse tradidit. Item Tullius ⁶, et Plinius ⁷, *Gallum* in Foro Romano, et Scuto pictum demonstrant, quem a Julio Caesare positum fuisse, auctor est Quintilianus ⁸. Illum enim obstrepenti Helvio, ac saepius urgenti, qualem se tandem ostensurus esset, indigitasse narrat imaginem *Galli*, pictam in scuto Mariani Cimbrici, cui tunc Helvius simillimus videbatur.

Eorum cantus in augurali disciplina victoriae signum fuit, quod Victores canere, ac victi silere soleant ⁹. Et sane refert Tullius ¹⁰ ex Callisthene, Leuctricae ca-

¹ Du Dieu *Irmensul* adoré chez les Anciens Saxons. dans le T. II. de l'Hist. de l'Acad. des Inscript. pag. 188. Henric. Meibomius T. III. Rer. Germanicarum. Furstenbergius in Monumentis Paderbornensibus p. 102. Ernestus Casimirus Wasserbach in diss. de *Irmensula* Saxonica. Lemgoviae 1698. S. Christ. Schloepkenius in Chronico Bardevicensi, et Beniam. Bielerus in enarratione succineta de *Hermensaula* Saxonica. Tornavii 1749. Dunge in Gloss.

² in lib. II. Observ. c. XVI.

³ dans le Voyage littéraire T. I. p. 149.

⁴ Beverlinchius. Tom. IV. magn. Theatr. vit. hum. p. 323. Forcatus. lib. VI. de

Gallor. Imp. p. 781. Mennenius. in delic. equestr. Ord. pag. 59. Dempsterus. in additam. ad Rosin. antiq. Rom. lib. III. p. 149. et Hoepingius. de jure Insignium pag. 623.

⁵ in Eliacis lib. V. p. 218.

⁶ lib. II. de Orat.

⁷ lib. XXXV. c. IV.

⁸ lib. VI. c. II. Franc. Kar. Conradi in loca Quintiliani Inst. Orat. lib. VI. c. I. et III. de usu picturarum in judiciis apud Rom. conjecturae. Exst. in Misc. Lips. nov. vol. IV. Par. III. p. 511.

⁹ Petr. Morestellus de Feriis Romanor. dial. XII. p. 507. in T. VII. Thes. Graev.

¹⁰ de div. lib. XI. c. XXV.

lamitatis tempore, quae Lacedaemonios propemodum oppressit, quum apud Thebaidem a Trophonio res divina fieret, *Gallos gallinaceos* ibidem sic assidue canere coepisse, ut nihil intermitterent; ac tum Augures dixisse, Thebanorum esse victoriam. Quocirca Lacedaemonii, ut est apud Plutarchum, statim ac hostem profligaverant, *Gallum* immolabant ¹. Iisdem, pro captandis auguriis, usos fuisse prodit insignis Geor. Cedreni locus, qui post historiam Gothorum irruptionis in Romanam ditionem, haec narrat ². *Libanius Sophista, et Iamblichus Procli Magister, Galli Gallinacei divinationem instituerunt. Scribentes enim in pulvere xxiv. elementa, ac cuiusvis granum frumenti imponentes, Gallum iis immiserunt. Atque is granum de litera TH, item de E, de O, et de D abstulit, itaque ambiguum designationem reliquit, quemadmodum id genus res solent imposturarum esse plenae. Valens autem, re intellecta, multos Theodosios, et Theodotos, et Theodoros, aliosque, quorum nomina ab istis literis inciperent, insontes suppliciiis affecit. Iamblichus metuens sibi, hausto veneno sibi mortem conscivit. Atque hinc inter praecipua Divinationum superstitiosarum genera, *Alectryomantiam* recensebant, divinationem scilicet per *Gallos Gallinaceos*, quam plures ³ illustrarunt.*

Profligato hoste, domum reversus, Dux deposito Imperio, si astu vicisset, Bovem immolabat, si acie, *Gallum Gallinaceum*. Audi Plutarchum in vita Marcelli. *Spartae Dux, deposito Imperio, si astu, aut suada rem perfecis-*

¹ lib. 111. c. x.

² p. 313.

³ Zonaras T. 111. p. 28. Annal. Plinius hist. nat. lib. x. c. xx1. Kircherus T. 11. Oedipi Par. 11. p. 472. Vossius de Phi-

losophia p. 176. Bulengerus l. 111. c. XL. Potterus p. 339. Archaeol. Theod. Thummius de impietate Sagarum pag. 63. et Ioh. Praetorius in singulari libro de hoc argumento. Francof. 1681. 7.

set, *Bovem immolabat, si acie Gallum Gallinaceum*. Idem in Lacon. Instit. *Quum stratagemate hostem vicissent, Bovem Marti immolant, quum aperte Gallum*. Ac de Gallo meminit in Agesilao. *Consuetum censebant, et competens ipsis opus, vincere hostes, ut nec Diis immolarent, nisi Gallum, in victoriae testimonium*. Huc facit Columellae locus, qui ait ¹. *Nos enim censemus instituere vectigal industrii Patrisfamilias, non rixosarum avium lanistae, cujus plerumque totum patrimonium, pignus aleae victor Gallinaceus pyctes abstulit*. Columellae verba lucem mutuantur a Plutarcho, qui narrat. *Nisi et canes habuerint praecellentes, et equos, et coturnices, et Gallinaceos, ferunt periniquo animo*.

Praeterea ab eorum pugnacitate exemplum petentes, eosdem non secus, ac Gladiatores in arenam producebant. Iis enim tanta dimicandi libido, ut finis non sit, nisi commorientibus. Quod praeter Plinium, memoriae prodidit etiam Philo Judaeus in libro, *quod omnis Probus, liber*. Gallinacei tanta contentione pugnare solent, ut ne cedant, etsi viribus vincantur, animis tamen non superantur; ad mortem usque pertendunt. Vorato praesertim allio, pertinacia augetur, ut notat Xenophon in Symposio. Hinc apud Comicum in equitibus, *σχοροδιζετυ*, est ad proelium animare, deductum a natura Gallinaceorum, qui, assumpto allio, magis ad pugnam accenduntur. Ab hoc Animante profluxit adagium, *Gallus insilit*, ubi quis semel victus certamine, quum superior evadit, tamquam ovans, cantum edere solet, ac si cantu se victorem testari vellet. Inquit enim Plinius ². *Gloriam sentiunt, et hi nostri Vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rum-*

¹ de re rust. l. viii. c. ult.

² l. x. c. xxi.

pendoque somno natura genuit . . . Quod si palma contingit , statim in victoria canunt , seque ipsi principes testantur . Id etiam Aelianus animadvertit , narrans ¹ . Quum vicit , superbus est , et ceruice erecta , et glorianti similis . Sic etiam Phile ² . Gallus , quum pugna superior est , mere turget , et cum pompa graditur , et exultat . In hanc rem Lucilius cecinit ³

Gallinaceu quum victor se Gallus honeste

Sustulit in digitos , primoresque erigit ungues .

Recte igitur Basilius pronunciavit ⁴ . Superbum quid est Gallus .

Si vero in pugna superatur , trepidus aufugit , alasque submittit . Victus , ait Plinius , occultatur silens , aegreque seruitium patitur . Vnde in pavitantem dicitur , tamquam Gallus Gallinaceus , ut habet Erasmus . Meminit istius proverbii Plutarchus in Alcibiade

Pavidus refugit , more Gallinacei ,

Quum victus alas ille submittit suas .

Illorum pugnantium spectaculum quotannis edebatur Athenis , Pergami , et Romae . Tradit enim Aelianus ⁵ . Post devictos Persas , Athenienses Legem posuerunt , ut Galli Gallinacei quotannis uno die publice in Theatro certarent . Quin et juvenes , quotquot erant , id spectare tenebantur . Haec disco ex Solonis verbis apud Lucianum . Quo modo afficereris , si apud nos Coturnices , et Gallos Gallinaceos intense certantes videres , et in his non parvam curam ? rideres nempe : ac multo magis , si id scires , lege fieri a nobis : tum praeterea imperatum , uti juvenes omnes adsint , spectentque aves usque ad extremam virium defectionem decer-

¹ hist. l. iv. c. xxix.

² hist. anim. c. xli.

³ l. vii. Sat.

⁴ in Hexaemeron Hom. vii. l.

⁵ var. hist. lib. xl. c. xxviii.

tantes. Nam Themistocles adversus Persas quum exercitum duceret, *Pullos gallinaceos* inter se de victoria decertantes conspicatus, inde arrepta occasione, Athenienses ad strenue, fortiterque depugnandum adversus hostes, isto Avium exemplo adhortatus est, prosperoque rei eventu confirmavit. Quamobrem, superatis Persis, Athenienses, ob insolentis facti memoriam, descriptum *Gallinaceorum* certamen instituerunt.

Sed ipsam legis originem ab Aeliano audiamus ¹. *Vnde vero initium haec lex sumpserit, dicam. Quum Themistocles civium exercitum educeret adversus Barbaros, Gallos gallinaceos vidit pugnantes: neque ille oscitantes eos vidit, sed adductis ad spectaculum militibus, at hi, inquit, non pro patria, nec pro Diis, item patriis, aut sepulcris progenitorum, malum sustinent; nec pro gloria, neque etiam libertate, liberisque; sed dumtaxat ne vincantur, neve alter alteri cedat. Quibus dictis, confirmavit Athenienses; quodque ad virtutem eos incitasset, voluit in memoriam similium rerum conservare.* Verum Themistocli, quae adscribit Aelianus, Diogenes Laertius Iphicrati tribuit in vita Socratis, ubi ait. *Iphicrati quoque Duci animos adjecit, quum ostendisset ei Gallos gallinaceos tonsoris Midae, adversus eos, qui Galliae erant, alis pugnantes.*

Plinius autem refert ². *Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum publice editur, ceu Gladiatorum.* Eorum imitatione, Romanis hoc ipsum placuit de certamine *Coturnicum*, ad quod publice per Praeconem spectatores invitabant, quum dicerent, *Pulli pugnant.* Item Hero-

¹ V. Meursium de Popul. Atticae p. 308.
et in T. J. Opp. ed. Flor. p. 337. et Ioh.
Henr. Boeclerum in Diss. de Themistocle.

int. ejusd. Diss. Acad. T. II. pag. 1145.
Argentor. 1710. 4. V. p. 101.

² lib. x. c. xxI.

dianus narrat de Severi Filiis ¹. *Inter se Fratres dissidebant, puerili primum certamine, edendis Coturnicum pugnīs, Gallinaceorumque conflictibus exorta discordia.*

Gallus gallinaceus cognomine *Centaurus*, ut tradidit Nicander ², amavit *Secundum*, Nicomedis Bithyniae Regis Aurigam, qui itidem Gallo impense favit, gratiam rependens; ita ut nescio, an serio acceperit, quod olim joco Diogenes pronuntiavit, ut Platonem salse perstringeret, qui *Hominem, animal bipēs sine pennis* esse definierat. Nam postridie *Gallum* deplumatum in ejus Liceum immisit, clamitans, *en Hominem Platonis* ³. Agrigentini, ut narrat Timaeus, testis oculatus, apud Diodorum Siculum ⁴, Gallinaceis pugnatoribus, *Perdicibus, Coturnicibus mirifice delectabantur, et ad pugnam inter se destinabant, iisque sumptuosos tumulos exstruebant*. Verum nemini carior hujusmodi avis fuisse legitur, quam Poliarcho, quem ferunt, Aeliano teste ⁵, *ad eam mollitiem pervenisse, ut Canes etiam, et Gallos, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publice, et amicos suos convocaret ad funus, splendideque eos sepeliret, atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum insculperet*.

Ceterum haud dissimulem, longe diversam quandoque fuisse *Galli* sortem apud Romanos. Eum enim, quod cum parentibus, et liberis colluctari soleat, una cum Cane, Vipera, et Simia, in culeo includebant ⁶, quo, sin-

¹ lib. 111. c. x.

² Mustricus Philosophus de luxu Graecorum c. x11. p. 2525.

³ Laert. lib. v1. c. xxv1, et apud Grimaldum Vita di Diogene p. 79. V. Erasm.

In Adagiis. Chiliad. V. Cent. I.

⁴ lib. x111. Bibl. fol. 375.

⁵ Var. Hist. lib. v111. c. 1v.

⁶ Cicer. ad Herennium lib. I. 13. de Invent. 11. 30. et pro Roscio Amer. c. xxv, et xxvi. Modestin. Dig. lib. 48. tit. 9. leg. poenult. Juvenal. Sat. v111. v. 214. Seneca l. I. de Clem. c. xv, et xx111. Suet. in Aug. c. x1x111. Scaliger ad Festum. Dositheus in sent. et epist. Adriani. Imp. Anianus ad L. uncam G. de patricid.

gulari supplicio, Viri Parricidae, sanguineis virgis caesi, insuebantur, in Profluentem dejiciendi.

Itaque, quum haec Avis, tum a Christianis, tum ab Ethnicis adeo celebrata fuerit, Lectoribus, ut puto, non displicebit, me in ejus gratiam, quasi de causa digressum, de eodem paullo fusius disseruisse. Sed tandem Gallos omnes, atque etiam hunc nostrum, de B. *Andree* Templo rotundo optime meritum, quippe qui pristinum *Turris Campanariae* decus ei quodammodo conservavit, salutemus; ac gratulati, quod ejus etiam casum superstes evaserit, ad alia dejecti *Sacrarii* ornamenta consideranda progrediamur.

C A P V T X V.

*De marmoreis, aeneisque Statuis, quae in exciso
Sacrario permanebant.*

Quum diu haesissem, utrum marmorea, aeneaque Monumenta, quae in *Sacrario* exstabant, suis quaeque locis describerem, an potius ea simul colligerem, et lectorum oculis, uno veluti intuitu, conspicienda exhiberem, tandem optimum factu esse duxi, priore consilio abjecto, posterius amplecti, omniaque unum in caput reji-

Isidor. *Hisp.* in glossis. Zonaras *Annal.* II. p. 16. Dempsteri *Paral.* ad Rosini antiq. *Rom.* VIII. 24. Fab. *Semestr.* II. 7. Sigon. de *Iudic.* II. 31. Politian. *Miscell.* cap. 20. Rob. *Cenal.* de pond. et mens. rat. de Culleo, Vase coriaceo ad puniendos Parricidas legibus instituto. in T. XI. *Thes. Graevii* p. 1472. Poetus de *Rom.* et *Graecor.* mensur. in T. III. *Thesaur.* *Graevii* p. 1645. Gyraldus de var. sepel.

rit. c. II. Boxhorn. *quaest. Rom.* c. 37. Voss. de *Idololatria* III. 35. Turneb. *ibid.* VIII. Laurent. de tormentis c. 7. Thom. Cencius par. II. *animadv.* v. p. 247. Hier. Magius *Misc.* IV. 8. Goldastus ad *Dositheum* p. 874. et 875. edit. Schultingii. Christ. Colerus in *Parergis*, et Meursius III. 23. part. II. *exercit. critic.* pag. 162. aliique apud Pitiscum T. I. pag. 33. et T. II. p. 390.

cere . Fortasse enim acceptior , probatiorque sic futura est eorum descriptio , quae secus , tot aliis rebus implicata , confusa accidisset , eorumque quasi species , ac forma evanisset .

Sed , ut ordine procedamus , in pariete exteriori , inter *S. Clementis* , et *Reliquiarum Cellam* , marmorea Προτομή visebatur cum Inscriptione , quam una cum ceteris , quae in *Sacrario* exstabant , videsis in nostra *Sylloge monumentorum* . Haec erat *Card. Barberini Senioris* imago , quam ad ejus memoriam perennandam , ponendam curavit *Karolus Barberini Card. Fratris Filius* , cujus ibidem , ut supra narravimus , servabantur praecordia . Prioris autem Cadaver fodiendo repertum est .

Hic magna cum laude , maximoque Cleri Vaticani commodo , Basilicae regimine functus est . Praterea anno MDCLXXX , regia plane munificentia , nobilissimum ei ornamentum adjecit . Duo enim Apostolorum *Petri* , et *Paulli* signa , ex aere conflata , *Gregorii XIII.* donum , inauranda curavit ; ac quod multo magis est , *quattuor argentea candelabra* , aureis laminis obducta , quae iccirco *aurea* vulgo audiunt , basibusque ex lapide lazuli , et sphericis crystalli montani segmentis praefulgent , dono dedit ^r . Atque ita multo pretiosius reddidit , ac cumulavit *Alexandri Farnesii Cardinalis* munus , oblatum anno MDLXXXI , aliorum

^r In iis insculpta est hujusmodi inscriptio .

CAROLVS . SPAGNA . OPVS

Ceterum Rodolphinus Venetus in *Numism. Romanorum Pontificum a Martino V. ad Benedictum XIV. Romae 1744. 4 p. xxxiij.* Annam Hameranam , arte pictoria nobilem , sacras historias , quae eadem Candelabra mirifice exornant , cestro pinxisse narrat .

Et quoniam in his sumus , minime praetereur dum est , duo majora aerea Candelabra , quae auro fulgentia , et aspera signis stant hinc inde , sollemnioribus diebus , ad altare princeps Bas. Vat. , esse opus insigne Ant. Pollajoli , atque antiquitus aenei Mausolei Xysti IV. decus fuisse . Deinde vero Praesul Oliverinus , Fabricae Oeconomus eadem inauranda curavit .

duorum, quamvis paullo breviorum, cum *Cruce* illis socia ¹, opus insigne peritissimi Artificis *Antonii Gentili Faventini* ², ac pretii xv. mille aureorum, juxta *Turrigium* ³, seu xii. mille, ut tradunt *Martinettus* ⁴, et *Chattardus* ⁵, quibus favet libri *Benefactorum* locus, quem heic exhibeo ⁶. vi. *Nonas Martii*. Eodem die anno 1589. Obiit bone memorie *Alexander Cardinalis Farnesius Episcopus Ostien. S. R. E. Vicecancellarius, et nostre Basilice Archipresbiter, qui vivens preciosam Crucem ex argento, artificiose sculptam, cum duobus similibus Candelabris, valoris tredecim milium aureorum, Altari Apostolorum pie obtulit. Idem pluviale pulcherrimum auro contextum Sacratio attribuit. In obitu vero Calicem aureum pretii quingentorum aureorum, lanceam ex argento cum duobus urceolis similibus testamento legavit. Solemne anniversarium quotannis Capituli decreto pro ejus anima celebretur.*

Alterum vero obversabatur *Canonicorum grati animi monumentum* in pariete, qui inter *Reliquiarum*, et *S. Annae Cellam* interjacebat. Hoc nimirum memorie *Pauli IV. P. M.* erectum fuit, quod praeter alia multa iis collata beneficia, quae *Alpharanus* ⁷ enumerat, literis Apostolicis anni *MDLIX.* tertio *Idus Majas* ⁸, *Alphonso Caraffae Card. Regenti Camerae Apostolicae* demandave-

¹ In *Cruce Basi* exstat hujusmodi inscrip.

ALEXANDER
FARNESIVS
CARD. VICECAN
HVIVS BASILICAE
ARCHIPRESE

D. D.

ANTONIO. GENTILI FAENTINO. F

Exstant autem in foliis trium liliorum, quae referunt insigne *Farnesianum*, tria

haec verba viriculo affabre insculpta

ΔΙΚΗΣΚΡΙΝΟΝ
ΒΑΛΛΟΤΤΩΣ
ΠΑΡΑΠΛΩΣΟΜΕΝ

² V. *Baglioni* fol. 109. *Orlandi Abcedario Pittorico*.

³ p. 121.

⁴ p. 227.

⁵ p. 231. T. I. ⁶ p. 31.

⁷ ms. c. xii. n. 168. p. 63.

⁸ T. i. Bull. Vat. p. 36.

rat, ut Monitorio praemisso, sacris interdiceret detentores bonorum, aliarumque rerum ad Basilicam pertinentium, quas recensuit, ipsique Basilicae asseruit. Quare ad hujus beneficii memoriam, ibidem Pontifici Statua aenea, inaurata, ex alio aeneo archetypo desumpta, ut narrat Turrigius ¹, a Canonicis collocata fuit, cum epigraphe, a Benedicto Aegio Spoletino elucubrata, juxta Antonium Caracciolum ² Joh. Baptistam Taphurium ³, et Turrigium, seu potius ab Achille Maffejo Vat. Bas. Canonico, ut refert Grimaldus ⁴.

Sed Alpharanus ⁵ audiatur, qui postquam de Cella *Reliquiarum* disseruit, ita hoc monumentum ob oculos ponit. *Iuxta, et extra hoc Sacellum in pariete contra Orientem, a dextera Sacelli parte collocata fuit a Canonicis aenea Paulli IIII. Summi Pontificis Statua deaurata, cum Angelis illi Regnum supra Caput sustentibus, sub qua adest tabula aenea deaurata literis insculpta, quibus longe benemeritum Basilicae, et Canonorum Paullum IV. fuisse cognoscitur.*

Paries denique inter *S. Annae* Cellam, aliamque *SS. Andreae, et Iacobo Maj.* olim sacram, cujus vice postmodum Arcus erectus fuerat, sub quo Basilicae *Beneficarii* sacris vestibibus sese induebant, aeneam *Benedicti XIII.* Statuam exhibebat. Quod grati animi monumentum posuit, aere conlato, Pontifici benemerentissimo, ut subjecta docebat Inscriptio, omnis Ordo Cleri Vaticani, quod sibi, quum redivitibus legatorum, fundisque dilap-

¹ p. 241. 548.

² in ejus vita.

³ Hist. Cler. Regul. c. xvj.

⁴ in lib. Instr.

⁵ ms. n. 168. pag. 63. Nel pilastro de questa Cappella li R. Canonici, et R. Ca-

pitolo di S. Pietro hanno messa la Statua de metallo deaurata de d. Paolo IIII. denotando li gran beneficj fatti da S. Beatitudine verso la Chiesa, et Capit. di S. Pietro, con questa iscrizione in tabula aenea deaurata.

sis, ob stas impensas, aere alieno oppressus, maximasque in difficultates adductus esset, summam aureorum cxxiv. milium liberalissime largitus esset; cujus gratia, oneribus explicatis, et conditionibus certos in dies definitis recreatus revixit. Praeterea iccirco pro Pontifice de se optime merito, anniversaria sacra perpetuo celebranda constituit.

C A P V T X V I.

De ceteris dejecti Sacrarii Monumentis.

§. I.

De Rota Porphyretica.

In *Sacrarii* umbilico *Lapis porphyreticus*, circularis figurae, palmorum xl. visebatur, quem illuc *Nicolaus V.*, ut tradit *Turrigius*¹, dum Templum restauravit, ad pavimenti ornamentum, e Basilica Vaticana transferendum curavit. Hujusmodi lapides, quos in Caeremoniali Romano, *circulos porphyreticos* appellatos fuisse legimus, *rotae* vocabulo apud antiquos scriptores usitatus veniebant, ut pluries supra² vidimus.

Quidam vero locus exstabat in Bas. Vat., qui ad *quattuor rotas* dicebatur, quemadmodum videre est in *Karoli M.* diplomate, apud eundem *Turrigium*³, *Macrum*⁴ aliosque. Plures enim earum, testante *Severano*⁵, vetus Basilicae pavementum ornabant, quarum una maxime omnium a priscis Scriptoribus commemoratur.

¹ p. 520.

² pag. 823. 827. 844. 845. 846. 847.

³ p. 24. 520. 509.

⁴ in *Rota Porphyr.* ⁵ T. I. p. 129.

Eadem sita erat, ut habemus ex Petro Mallio ¹, ante *Portam Argenteam*, quae princeps ex Bas. Vat. Portis, ac media erat, unde etiam *Mediana* appellata, ab Honorio ² primum *ex argento investita*, ac deinceps, postquam eam Saraceni argento nudaverant, a Leone IV. ³ reparata, et *tabulis multis argenteis lucifluis, salutiferisque historiis sculptis decorata*; pari modo, quo nomina Urbium, atque Oppidorum a Karolo M. Sedi Apostolicae subjectorum, ut Mallius refert ⁴, *in portis aeneis super gradus B. Petri, videlicet in introitu Eccl. S. M. inter Turres, argenteis litteris legebantur*. Iccirco S. Paullinus eam describens ⁵, *venerabilem regiam, caerulea eminus fronte ridentem* vocavit, utpote argenteis laminis, figurisque obductam. *Regias* vero, ac *speciosas* Templorum Portas Graeci appellabant, utpote ad regium Dei Palatium, ac Basilicam inservientes ⁶. Nam, quum olim in Portis Urbis, vel Sanctuarii jus diceretur ⁷, idem erat apud Veteres, ut recte adnotavit Steph. Borgia ⁸, ad *Portam* pergere, ac ad Iudicem, seu Tribunal, quod idem valet atque ad *regiam*, quum Reges Iudicum munere fungerentur. Porro de Portis Civitatum Iudaeae, iisque praesertim, quae *Battrabim* Hebraice nuncupantur, ac de Fori, iudiciorumque in iis exercendorum more, praeclara sunt illa, quae habet Hie-

1 num. 110.

2 T. 11. Anast. p. 208.

3 T. 111. Anast. p. 123.

4 T. VII. Jun. Bolland. p. 54. Torrigio Grotte Vat. p. 337. Borgia Mem. di Benevento T. I. p. 33. et 161.

5 in epist. XXXIII. ad Pammachium.

6 Binghamus T. 111. lib. VII. cap. v. p. 189. De Portis Speciosis, ac regiis, cur ita vocatae?

7 V. I. Wichmanshausen in Philologematis octo selectioribus. Witteb. 1715. §. 3. Franc. Moncaesium in lucubrationibus ad Canticum Canticorum. Paris. 1587. 4. p. 88. Will. Frid. Pistorium Amoenitatum historico-juridicarum diss. II. §. 47.
8 in illustrat. Opusc. Card. Valerii de benedictione Agnorum Dei. Romae 1775. 4. pag. 25. et in Vatic. Confessione B. Petri pag. 251.

ronymus¹. In porta, juxta veterem judaici morem Populi fuisse judicia, et saepe legimus, et crebro interpretati sumus, ut ne Agricola ad caussam veniens, frequentia Civitatis, et novo terreretur adspectu, nec Urbis habitator longe ab Vrbe properaret, et subvectionem quaereret jumentorum. Hinc hodieque Porta pro Aula adhibetur, ut Porta Ottomannica, nimirum Regia Turcarum, ac pari sensu est apud Xenophontem *ὑπάι*².

Libri rituales, ubi agunt de Imperatorum coronatione, ejusdem rotae porphyreticae saepe numero meminerunt. Sed ne singula persequar, quae in Ordinibus a Raynaldo, Mabillonio, Martenio, Muratorio evulgatis occurrunt, antiquioris Ordinis a Panvinjo primum, ac deinde, ut supra³ dictum est, a Gattico, et Cennio in lucem editi proferam auctoritatem. Ibidem post primam Orationem ab Episcopo Albanensi recitandam, pro electo Imperatore coronando, ante Portam Argenteam, ritus describitur obeundus ante secundam precationem habendam ab Episcopo Portuensi in medio rotae Medianae⁴. Tunc enim Pontifex B. Petri Ecclesiam ingressus, sedet in sede sibi praeparata in dextra parte ejusdem rotae, contra sedem praeparatam Electo in sinistra parte. His concinit Innocentii VI. diploma⁵, quo ritus in Karoli IV. coronatione, ejusque uxoris Annae Reginae servandos declarat, itemque Christophori Marcelli⁶ praescripta, qui Imperii corona donandum in medium Bas. veluti manu ducit, ubi est rota porphyretica.

Verum praeter ea, quae pro Imperatorum Coronatione, afferuntur, alibi etiam hujusce rotae fit mentio. Nam

1 lib. 11. in Amos p. 1413.

2 V. Henr. Stephani annot. in Xenophontem, et Lakemacheri observat. philolog. pag. 331.

3 p. 824.

4 Torrigio Grotte Vat. p. 587.

5 T. I. Bull. Vat. p. 353.

6 Tit. v. §. xiv.

Cencius Camerarius, ubi disserit ¹, *qualiter Dominus Papa perguit in Litania majori in festo S. Marci, facta oratione*, inquit, *post Te Deum laudamus super rota, in introitu quasi Ecclesiae, perguit ad Secretarium*. Ac, ut cetera exempla missa faciam, a Turrigio ², et Catalano ³ prolata, Petrus Diaconus in Chronico Monasterii Cassinensis ⁴ testatur, *Henrico IV. una cum Paschali II. Basilicam ingresso, quum in rotam porphyreticam venisset, positus utrimque sedibus ambo consedissee, eodemque loco Paschalem, nefario ausu, vinculis constrictum fuisse; quae quidem Petri verba nollem, Ducangius ⁵ accepisset pro Cubiculo, ubi XII. Viri judicia exercebant*.

Hujusmodi lapidum unus etiamnum superest, qui Basilicae portam principem ingredientibus statim obversatur, et delineatus apud Dionysium exhibetur ⁶. Alter enim qui in *Sacrarii* pavimento exstabat, periit temporis diurnitate, plures in partes diffractus. Ceteros, qui a Turrigio ⁷, et Severano ⁸ in *Cryptis Vaticanis* servari perhibentur, Dionysio ⁹, etsi eos diligenter inquisivit, reperire minime licuit.

Sed heic lectoribus invidere nolo insignem Grimaldi locum, quo *rotas omnes porphyreticas*, quae aevo suo, Bas. Vat. pavementum ornabant, accurate recenset, etsi eam, quae in *Sacrario* exstabat, minime nominaverit. Ait itaque ¹⁰. *Cernebantur reliquiae primi pavimenti, et for-*

¹ in Ord. XI. c. xxix. p. 204.

² p. 120.

³ T. I. §. II. p. 106.

⁴ Excerptum ex Chronic. Saxonico de captione, et custodia Paschalis II. in T. v. Ann. Bened. p. 681. V. Papebrochium in Conatu Chron. hist. p. 702. Muratorium

in T. III. rer. Ital. p. 354. Ioh. Adolph. Hartmanni Vitam Paschalis II. cum ejusd. Vitis Victoris III. Urbani II. Marb. 1729.8.

⁵ in Glossario.

⁶ Tab. LI.

⁷ p. 120.

⁸ p. 135.

⁹ p. 128.

¹⁰ fol. 159.

tasse Constantiniani , vermiculati operis , albis , porphyreticis , serpentinisque lapillis . In hoc sacro vermiculato solo , magnae Rotae erant ; meo tempore has notavi . Visebantur tres amplae nobilissimae , et integrae Rotae ante solium Pontificis , in veteri apsida , quarum una fracta nunc est ante sepulcrum Clementis Octavi . Iacobus a Porta Architectus rogatus a multis , ut integras inde elevaret , quum jussu Clementis Apsidam diruere vellent , verba dedit , ignorantia ne dicam , an malitia tales lapides flocci pendit , et fabricatores murorum , massas super ipsas Rotas dejiciendo , in plures partes fregerunt , multae licet crassitudinis essent ; hujusmodi lapidis materia cinericium erat , orientale grannitum vocatur ; hinc non longe alia Rota similis minor erat , quam integram inde elevarunt . Mirabantur inspicientes , et priscorum Romanorum potentiam hinc arguebant . Hic locus fortasse , quem Carolus Magnus , in suo privilegio asseruato in Archivo S. Petri , nominat ad quatuor rotas . Ante organa alia similis rota magna in aliquot partes fracta . In porticu ante mediam portam fuit ibi olim alia Rota . Remanserant vestigia , ubi P. Mallius scribit quiescere Ven. Bedam ¹ . Ante Altare Deiparae Virginis in columna Rota alba venati marmoris . Ante Altare SS. Sacramenti Rota porphyretica magna , et ampla , pulcherrima , et integra , praeterquam in ora parum fracta in antiquis caeremoniarum libris saepius nominata , dum agitur de coronatione Imperatoris , ubi una Oratio super ipsum Caesarem dicebatur , de qua diffuse agit Card. Baronius in vita Paschalis II. capti a Caesarianis ad Rotam porphyreticam , modo ibi est sepulta in antiquo pavimento , et locus iste hodie subjacet immediate musiveis stemmatibus SS. D. N. Pauli V. quae sunt in magno fornice .

¹ V. pag. 896. 899.

§. II.

Dejecti Sacrarum Inscriptiones .

Dum *Sacrarum* pavementum effoderetur, inter lapides, quibus instructum erat, alia insuper *Καιμελία* ad hanc usque diem coelasse, compertum est. Hinc enim plura veterum *Inscriptionum* fragmenta, in apricum prolata sunt. Haec inter, duo praesertim insignia sunt; nimirum *Leonis* cujusdam epitaphii fragmentum, et *Nicolai I. Pontificis* titulus sepulcralis, qui ad hanc usque diem apud Scriptores mutilus, ac detruncatus occurrebat. Atque ita praeter ea, quae supra de *Leone*, et *Gregorio* attulimus, tertii quoque Pontificis, qui ex rebus praeclare gestis *Magni* cognomen duxit¹, gloriae posthumae illustrationem, operis hujusce ratio, amica, ut ait ille, conjuratione postulavit. Haec autem monumenta, fateor debere me V. C. *Petro de Tois*, rerum antiquarum Bas. Vat. studiosissimo, et acerrimo indagatori, qui ea mecum, uti ferme cetera *Inscriptionum* apographa, perquam accurate descripta, humanissime communicavit.

Quum autem prope *Sacrarium* celebres *Inscriptiones*, ac praesertim *Vrsi Togati*, et *Q. Herennii* custodirentur, jure quodam veluti suo, locum in nostra collectione sibi vindicabunt. Quae quidem monumentorum series, velut per saturam, partim ex antiquis Scriptoribus, partim ex ipsis lapidibus, tum in veteri, tum in novo *Sacrario* exstantibus congesta, ac unum in fascem redacta, nonnullis etiam animadversionibus, loco suo diligenter illustrabitur.

¹ V. Sarnelli nel lume 2° Principianti P. I. Quest. xxxii I. Se il titolo di *Magno* si è dato in vita ad alcuno? p. 100.

Sed claudam hanc monumentorum seriem alterius *inscriptionis* mentione , quae in dejecto *Sacrario* exstabat . Quum enim *Alexander VII.* constituisset , ut quoties nonnemo in *Beatorum* albo censeretur , aurei quingenti , ac mille , quoties *Sancti* Novensiles caelestibus honoribus donarentur , Basilicae Vaticanae *Sacrario* solverentur , beneficentissimo Pontifici perpetuum grati animi monumentum Canonici posuere , quod nos in Sylloge aliis adnectimus .

§ III.

De Sera , Vecte , Dentibus Elephantinis , ac ferreis Catenis , ibidem servatis .

Jam vero , antequam ex his monumentis discedimus , nonnihil addendum est de *ferreis catenis , sera , et vecte , dentibusque elephantinis* , quae supra arcum *Sacrarii* , ex quo in Basilicam patebat aditus , manebant appensa . Postquam *Karolus V.* Mulassem in Regnum Tunetum ductum , Vectigalem fecit , ac Tunetum ipsum , potio-remque Africae partem debellavit , *seram , vectesque Portarum* expugnatae Urbis , et decem vexilla , celeberrimae victoriae insignia , una cum *ebore* , cujus in Africa magna est copia , obsequii , gratique animi ergo , Apostolorum Principi dono misit . Quae Christiani nominis hostium spolia , tunc temporis , supra *Portam Romanam* veteris Basilicae a *Paullo III.* locata fuerunt , ut *Alpharanus* ¹ , *Vgonius* ² , et *Bonannius* ³ testantur .

¹ ms. c. ix. num. 128. pag. 49. Sopra la Porta Romana ve sono otto Bandiere , et una Serratura con Catenacci da Carlo V. Imperatore della vittoria avuta d'Affrica , in reverentia , gratia , et ho-

nore de Dio , et de S. Pietro suo Vicario et in questo tempo fono levate le bandiere d'Affrica , et il Carenaccio , e Serratura , che stavano sopra la Porta , in segno della Vittoria .

His sociae ferreae pendebant catenae, quae Portum Smyrnensem praecinxerant, quaeque a Card. Oliverio Caraffa, Xysti IV. Legato, qui insignem de Mahumetanis, classe Pontificia superatis, victoriam reportavit, transmissae, supra Portam Ravennianam, ut Alpharanus 4 prodidit,

Sopra la Porta Ravenniana vi è un Stendardo, et una Catena del Porto di Smirna, preso nel tempo di Sisto PP. IV. d' un Cardinale Legato de Latere nell' armata, siccome se vede questa Istoria penta nell' Hospitale de S. Spirito, appresso all' Altare, che è in mezzo l' Hospitale.

Sopra questa med. Porta furno posti dodici bandiere, overo insegne della Vittoria havuta contra l' Ammiraglio, et Vgonotti in Francia in tempo della felice mem. di Pio PP. V. l' anno del Sig. 1569.

Accipe, quid in hanc rem tradidit Turrigius ex veteri Diario. p. 584. die 23. Orator Franciae cum Nobili misso a Rege (Karolo IX) cum XII. Vexillis captis in bello, ubi perit... Venit ad Pal. Vat. hoc ordine. Equites levis armaturae, eorum Tubicines XI. equites portantes XI. Vexilla, Capitaneus Custodiae Sviszerorum, sui milites a lateribus equitantium, Magister Cerimoniarum, Orator Franciae medius inter Hier. Bonellum a dextris, et Missum a Rege a sinistris, multi togati, et alii in brevibus. Pontifex sedens in Aula Constantini excepit eum, assidentibus XI. Cardd. In Porta Palatii dicta Vexilla accepta sunt a XII. Laicis Palatii, qui genuflexi ea detulerunt ante Papam, cui Nobilis Missus exposuit commissionem Regis gallice, sed Orator supplevit italice, osculatis pedibus eius. Tenor commissionis fuit, quod Rex recognoscens victoriam habitam a Deo, et firmiter credens, Orationes Suae S. sibi fuisse causam d. viatoriae, volens aliquod signum devotio-

nis, et recognitionis ostendere erga Deum, et S. Petrum, suum primum Vicarium, ac S. S. ipsius locum tenentem, miserat illa Vexilla S. S. ut darentur Bas. S. Petri, cui sperabat in futurum, mediantibus suis orationibus, missurum alia majora signa reverentiae. Cui SS. respondit, quod semper sanctam intentionem sui Regis commendabat, et offerebat se paratum semper oraturum Deum pro defensione ipsius, omneque auxilium pro posse suum praestaturum, et quod libenter acceptabat dicta Vexilla. Postea Corn. Firmano Magistro Cerimoniarum illa Vexilla mandavit, ut in Porta S. Petri deinde consignarentur Canonicis S. Petri, qui processionaliter ferrent ad Altare S. Petri, deinde affigerentur super Portam Bas. majorem. Ideo bini, et bini dicti Portitores descenderunt ad S. Petrum, sequente Oratore, et Nobile, et ibi XII. Canonici in Porta eum exceperunt, et Patriarcha Vicarius cum pluviale, et mitra coepit cantare *Te Deum* . . . et itum fuit processionaliter ad S. Petri Altare, super quo ea posita fuerunt in parte anteriore, et completo *Te Deum* Vicarius dixit Versiculos dictos a Pontifice in Eccl. S. Spiritus diebus elapsis. Postea dicta Vexilla delata in Sacellum, ut conservarentur, donec affigerentur supra Portam dictam. Non fuerunt exoneratae bombardae in Arce S. Angeli, sed Tubicines Equitum levis armaturae sonuerunt per viam.

2 pag. 95.

3 pag. 53.

4 ms. c. IX. num. 132. pag. 50.

collocatae fuerunt . Denique sub Paulo V. haec omnia Christianae virtutis Tropaea , conjunctim in *Sacrarium* translata sunt , suppositis inscriptionibus , quas refert Turrigius ¹ , nosque in *Sylloge* exscribemus .

Atque heic obiter animadvertite usum anathemata B. Petro offerendi , quae vel antiquitus in ejus Basil. appendi. consuevisse constat ex Panvinio , qui haec narrat apud Turrigium ² . *Supra Portam Guidoneam erant olim appensa Lancea , et Vexillum a Rege Hisp. ann. 1212. devicto Muamolino Rege Saracenorum ad B. Petri Corpus pro Christi gloria , ut eminenti loco suspenderentur missa , ut etiam lancea , Corona , et Vexillum Regis Albuini , missa ab Henrico Imperatore .* Atque alibi ³ . *Supra eandem Portam (id est mediam) exstant Catena , et hasta , quae Vexilla videntur fuisse , item signa militaria tria proxime hanc . A dextro latere alia minor Porta Ravenniana consequitur , Vexillorum hastis , et sera ferrea suspensis ornata , quae spolia Xysti IV. Papae tempore capta a Classe Ecclesiastica in Asia Smyrna , et aliquot Turcis occisis ex ea victoria , Romam delata fuerunt , et ad ejus memoriam perpetuam conservandam ibidem affixa .* Verum de hujusmodi usu praecipue consulendus est Marangonius ⁴ , ubi disserit de ritu manubias in sacris Aedibus affigendi .

Sed tandem *Sacrarii* descriptionem cum Panvinio absolvam , qui eam sic claudit ⁵ . *Insunt in hoc Sacrario multa aurea , argentea , serica ornamenta , imagines , candelabra , vestes sacrae , et Ecclesiasticae . Quot absidas habet , tot fenestras habuit , tres clausas , quinque apertas . Tota Ecclesia est ligneis tabulis tarsiatas cooperta .*

¹ de rebus mem. Bas. Vat. T. II. p. 136.

² Grotte Vat. p. 583. V. Macrum in Porticani. 3 p. 465.

⁴ delle cose profane ridotte ad uso sacro c. IV. p. 17.

⁵ T. II. ms. p. 140.

CAPUT XVII.

De nonnullis Sacrarum Sacerdotum.

§. I.

De Altari S. Marci.

Priusquam de vetustioribus Sacrarum Sacerdotum sermonem instituam, praestat nonnulla in antecessum exponere. In literis Apostolicis Gregorii XIII, latis anno MDLXXX. VII. Id. Sept. memoratur ¹ *Ecclesia, seu Cappella B. M. de Virgariis in Platea dictae Basilicae, postea, suadente ornatu, et amplificatione dictae plateae, inter alia Aedificia disjecta, et a felicis recordationis Pii PP. IV. ad Basilicam, et Altare S. Marci translata.* Haec illa eadem est aedes a nobis supra descripta ², ubi a *Schola Virgariorum* Pontifici paratum fuisse lectum demonstravimus, quum festa die S. Marci pompa sollemnis in Vat. ducitur, ac supplicatio est, uti segetes bene eveniant. Extrema Gregoriana diplomatis verba, aliaque, quae infra subjiciuntur, aperte declarant, dejectae Ecclesiae onera, una cum redditibus, ad Altare S. Marci fuisse translata. Hoc autem Altare, sumptu non mediocri, *Paullus II.* erexit ad australem Templi Vaticani regionem, ibique, postquam e vivis excessit anno MCDLXXI, in marmoreo monumento, Mini opera, praestantissimi illo aevo sculptoris, a Marco Barbo Cardinali consanguineo tumulatus est; qua de re praeter Dionysium ³, qui ejusdem *Paulli* jacentem effigiem in aes incisam repraesentat, legi possunt, quae supra ex Alfarano recitavimus ⁴.

1 T. 111. Bull. Vat. p. 137.

2 p. 736.

3 p. 141.

4 p. 871.

Quum autem haec eadem Cella in *Gregorii XIII.* diploma-
te ¹, *Altare S. Marci Evangelistae, Nicolai V, et Paulli II.*
nominetur, Bull. Vat. editores, ut causam afferant, cur
ibidem *Nicolai* nomen, pro altero *Eugenii*, quod in literis
Iulii III. occurrit ², subrogatum sit, et utrumque diploma
ad concordiam revocent, apposite animadvertunt, id
evenire potuisse, quod eidem *S. Marci* Cellae proximum
fuit nobilissimum *Nicolai V.* sepulcrum (de quo plura,
si lubet, videsis apud Dionysium ³) et Ara *S. Nicolae*
Papae erecta, ut docet *Alpharanus* ⁴. Quocirca nil mi-
rum esse, recte pronunciant, si *Altare S. Marci*, quod
inter *Eugenii*, et *Nicolai* Pontificum tumulos medium erat,
modo ab unius, modo ab alterius Pontificis nomine,
novum aut *Eugenii*, aut *Nicolai* agnomen acceperit.

Sed anno MDLXXIV. in veteris Bas. eversione, una
cum *Paulli II.*, et *Nicolai V.* sepulcris, *Altare S. Marci*
aliò translatum fuisse apparet ex *Alpharano*, qui rem
ita memoriae consignavit ⁵. *Paope dictum aditum, nunc*
Nicolai V. Mausolaeum, erat antiquitus Altare S. M. della
misericordia, nuncupatum, a Nardo de Latino hujus Bas.
Beneficiato restauratum, ac dotatum, quo denique exolescen-
te, in hujusmodi locum Paulli II. Altare fuit translatum;
beatoque Marco Evangelistae dicatum, in memoriam illius
Altaris a praed. Pontifice in altera Basilicae parte exstructi,
ut supra retulimus, et optime dotati. Huic Altari, etiam
nostris temporibus, Ecclesia, et omnes redditus S. M. Virga-
rriorum in platea S. Petri existentis, uniti fuere, quum illa
Ecclesia disjecta fuit, et novissime in hoc anno MDLXXVII.
fuit consecratum ad honorem SS. Marci, et Lucae Evangelii-

¹ T. III. Bull. V. p. 136. ² ib. p. 13. et 15. ⁴ num. 61. pag. 31. V. p. 872.

³ p. 28. 48. 77. 80. 81. 138. 139. et 187. ⁵ num. 105. p. 40.

starum , et S. Ambrosii Episcopi , et Ecclesiae Doctoris , quorum Altaria olim in Basilica exstabant .

Quorsum autem haec , inquires , tam longe arcessita disputatio ? nimirum , quod hac ipsa demum S. Marci Ara ad novae Bas. structuram solo aequata , Gregorii XIII. jussu geminum Altaris S. Marci Sacerdotium , Sacrario Bas. Vat. assignatum fuit , ea tamen lege , ut illis imposita Sacrorum onera implenda curaret .

§. II.

De Altaribus Mortuorum , et de Ordinibus Cleri Vaticani .

Duo in veteri Basilica Altaria cognomina exstabant , quae Altaria Mortuorum , sive Animarum dicebantur , eo quod inibi , ut explicat Alpharanus ¹ , *sacra facientibus specieatim praerogativas , et Indulgentias maximas pro animabus defunctorum Summi Pontifices condonaverant* . Quis enim nescit , Sacrificium ad defunctorum admissa expianda , levamen omnium maximum , ac tutissimum , a primis usque Ecclesiae temporibus , habitum fuisse , quum id omnes ferme Theologi demonstraverint ² ? Horum prius Alpharani tabula ichnographica ³ exhibet , prope intercolumnii Parastatam , quae sinistram partem Crucis transversae intersecabat , ubi erat Oratorium S. Iohannis ad Fontes cum Baptisterio . Atque hoc quidem (verba sunt Alpharani ⁴) *Cajus de Bartolinis Civis Romanus pio zelo du-*

¹ n. 28. p. 23.

² Card. Perronius . *replique a la response des Roy de la Grande Bretagne liv. iv. c. v.* a Paris. 1620. Bullengerus . *Diatribae ad exercitationes Baronianas* Isaaci Casauboni *Diatrib. II.* Lugd. 1617.

Natalis Alexander . *histor. Eccl. sec. iv. Diss. XLI.* Parisiis 1679. Berlendis . *de Oblationibus* p. 431. Card. Gottus contra Lambertum Danaeum in *Veritate religionis Christ. T. VII. c. XLIX.* Romae 1739. ; *num. 28.* 4 p. 23.

ctus, optime dotaverat, ibique ipse, et ejus uxor, et ex eo geniti, positi fuerunt.

Alterum, de quo nunc sermo habendus est, inter duas Portas navis majoris, *Ravennianam*, et *Argenteam* exstabat, prope Sepulcrum S. Leonis IX, qui primum, ut narrat Vibertus in ejus vita, sicut ipse disposuerat, juxta B. Pontificis Gregorii Altare, ante fores Eccl. sepultus fuerat. Quae quidem a Viberto recte prolata, una cum Praesule, omnium laudum genere cumulatissimo, Steph. Borgia¹ unusquisque fatebitur, qui verum Oratorii a Gregorio IV. erecti situm agnoscat. Nam deinde intra Bas. translatus fuit, ut constat ex veteri Kalendario, apud Turrigium². Die XIX. Aprilis Leonis IX. P. et Conf. habemus Corpus juxta Altare Mortuorum, et fecit miracula. Eadem testatur P. Mallius, ubi ait³. Leo P. IX. requiescit infra Eccl. B. Petri, in pilo marmoreo, prope Portam Ravinianam, de quo sunt apud nos multa, et magna miracula. His concinit Vegius inquires⁴. Leonis IX. multa emicuerunt, ac magna signa, jacetque Corpus ejus intra Portam argenteam, et Ravennianam, intus ipsam Basilicam; ubi nunc est Altare, ad quod memoria omnium defunctorum, die suo quotannis celebratur.

Hoc idem Altare de' morti, ornato, ut ait Vgonius⁵, d' un antichissimo privilegio per le anime del Purgatorio, antiquissimum esse docet idem Alpharanus⁶, cum insignis de domo Vrsinorum, et Statua Benedicti XII. Tholonsani, qui fecit fieri de novo tecta hujus Sacrosanctae Basilicae. Ibidem Canonicus Petrus de Benevento, quem Ciam-

1 Mem. di Benevento T. I. p. 332. 450.

2 Grotte Vat. p. 171.

3 cap. v.

4 n. 69.

5 Staz. di Roma p. 99.

6 num. 48. p. 28.

pinius ¹ *Bartholomaeum* oscitanter appellat, usque ab anno MCDXXX. *Capellam* instituit, et congrua statuta dote decrevit, ut Capellanus, ter in hebdomada, hostiam in ea perlitaret, ac praeterea, communia Clericis Beneficiariis quibuscumque onera in eum transferens, horis Canonìcis interesse, Clericorum Beneficiariorum habitum, atque vestitum gestare, et in Subseliario, ultimo post eos loco, sedere iussit ².

Hujusmodi Clericatus, quemadmodum notant Bull. Vat. editores ³, est xxvi, ac proinde omnium postre-

¹ de Sacr. Aed. p. 69.

² *Alphar. haec omnia literis consignavit.* Infra la Porta Raviniana, et la Porta Argentea, vi è un Altare antichissimo da M. Vegio chiamato *Altare Mortuorum*, da P. Mallio se dice, che fu sepulto Leone PP. VIII. fol. 20. In tempi nostri se ritrova eretto un Chierico della Chiesa, Beneficiato di questo Altare da un Canonico della nostra Basilica, ut patet his verbis. Anno Dñi 1430. die xix. mensis Augusti Ind. vii. Pont. Dñi N. D. Martini PP. V. Dñs Ioannes Mercerii Canonicus Remen. executor testamenti ultime voluntatis quond. Ven. Viri D. Petri de Benevento, Canonici Basilicae Pñpis Apostolor. de Vrbe, de propriis bonis stabilibus ipsius D. Petri dotavit Capellam ad Altare mortuorum sit. in dicta Basilica inter duas portas navis maioris. Ita quod Capellanus decenter possit vitam ducere, cum orere ter in heb. celebrandi ad dictum Altare, ac etiam, ut quotidie horis divinis intersit in Choro, et recipiat a Capitulo dictae

Basilicae singulas distributiones, prout unus de Clericis dictae Basilicae, pro quibus dandis numeravit Capitulo, et Canonìcis dictae Basilicae pecunias sufficientes, et assignavit bona immobilia sufficientia pro dictis distributionibus dicto Cappellano dandis in perpetuum, quod hactenus observatur. Nell' anno 1574. il prefato Altare, et Cappella vecchia, con arme di casa Orsina, fu restaurata con bellissime colonne de mischio verde dalli Sagrestani di S. Pietro, et de novo da Papa Gregorio xii. fu concessa l'Indulgenza de liberar l'anima dal Purgatorio, celebrandovi la Messa. Il simile ancora ha concesso, a chi celebrerà sopra l'Altare di S. Gregorio Pño PP. in perpetuum, ut patet in ejus Bulla plumbea.

De sopra a questo Altare alla pariete della Chiesa in alto, verso Levante, vi è la Statua de Benedetto PP. XII. de marmo con chiave in mano, et regno in testa con Epitaffio

BENEDICTVS PP. XII. THOLOSANVS FECIT FIERI DE NOVO TECTA
HVIVS BASILICAE SVB ANNO DNI M. CCC. XII.

³ T. III. p. 139.

mus . Nam *Bonifacius VIII* ¹ , anno mcccviii , primus om-

¹ *De eodem haec memoriae tradidit Necrolog.* p. 144. 1111. Id. Octobr. In nomine Dñi Amen. Anno ejusdem MCCC. III. III. Ind. mensis Octobris . Obiit sancte memorie Dñus Bonifacius PP. VIII. natione Campanus , de Civitate Anagnie , de Domo Gaytanorum , magnar. scientie et eloquentie , qui ob magnam devotionem , quam habuit ad istam Sacrosanctam Basilicam ,cujus ante fuerat Canonicus , liberaliter donavit ipsi Basilice Item unum calicem aureum ad usum S. Marie de Cancellis , ponderis quinque Marcharum . Item unam Crucem cum pede de argento , pulcherrime operis ad smaltos , ponderis LVII. Marchar. cum dimidia . Item unum pluviale nobilissimum de opere Cyprenen. ad ymagines cum aurifrigio anglicano ad perlas . Item unam dalmaticam de opere Cyprenen. cum granicis ad figuras cum perlis . Item donavit nostre Basilice indulgentiam anni centesimi Iubilei. Hic instituit , quod de cetero in ipsa Basilica triginta Canonici essent , praeter Archipresbiter. augmentando , et ampliando numerum antiquum , qui erant viginti duorum et octo . Hic etiam instituit in ea viginti Clericos , quos Clericos Chori voluit nominari . Hic etiam instituit tres Beneficiatos , ultra numerum triginta , institutum per sancte memorie Dnum Nicolaum Papam Tertium , per quos voluit perpetuis temporibus dici Missas ad Altare S. Bonifacii pro anima sua , juxta quod Altare , quod fecit innovari , et etiam consecrari fecit , et erigi sepulcrum suum , in quo requiescit ; supra quod Altare , et juxta ipsum fecit erigi Cappellam insignem cancellis ferreis circumdatam , intra cuius etiam ambitum ante Altare fecit sepelli Nepotem suum bone memorie Dnum Benedictum Gaytanum Sanctor.

Cosme , et Damiani, Diaconum Cardinal. ad cuius Cappelle , Altaris , et ministro-rum usum donavit hec , que sequuntur . In primis unum par baccilium de argento , quatuor Calices cum patenis , duas Cruces de argento , unam de dyaspro , et unam de Cristallo , tria paria Candelabor. de argento , et unum par de dyaspro , cum apparatu de argento , et gemmis , duas naviculas de argento , unam pissidem de argento deauratam pro hostiis , unum colatorium de argento perforatum , quatuor paria ampullarum de argento , quorum unum par est deauratum . Item tria thuribula de argento , quorum duo sunt deaurata , et sunt in eis due teste de argento , ponderis predictorum c. XIII. Marcharum unc. 1111. et quartarum tertium . Item unam coronam de Ebure , cum duodecim hystoriis novi testamenti valde pretiosam . Item undecim planetas diversorum colorum de Scyamito panno tartarico , et dyaspro . Item duo pluvialia de dyaspro , et panno tartarico . Item sex doxalia diversorum colorum , quorum tria sunt de opere Cypren. nobilissima . Item decem , et septem pannos integros diversorum colorum de opere Lucan. Item quinque Aurifrigia , quor. tria sunt de opere Cypren. , et unum est de opere Anglican. et unum est ad Smaldos , habens figuras Sanctorum integras , nobilissimum . Item quatuor Camixas de cortina cum pectoralibus , et Gramicis de opere Cypren. Item septem amictos cum aurifrigiis de opere Cypren. Item tres stolas , et tria manualia de opere Cypren. Item septem cingula de Serico . Item duo paria Corporalium cum donibus de opere Cypressin. Item unum Missale pulcrum . Item unum breviarium pulcrum , notatum in duobus voluminibus . Item unum graduale no-

nium Clericos vicos instituit ; deinde Franciscus de Thebaldescis Card. Tituli S. Sabinae ¹, dum erat Prior Canonorum Vaticanæ Basilicæ, tres Clericos adjunxit, ac demum Xystus IV. ² anno MCDLXXXII. duos alios adjecit. Itaque usque ad Gregorium XIII, unus idemque fuit Clericus Beneficiarius, et hujusce Altaris Mortuorum Cappellanus. Sed ejusdem Gregorii jussu, anno MDLXXXI. hu-

tatum parvi voluminis. Item viginti tobaleas tam sericas, quam operis Alamanici. Item tria superpellicia vimpa, et cortina. Item duo articularia de opere ad arcum. Item hic cum in nocte festi B. Petri, ex incuria Mansionariorum, ignis consumpsisset rectum, et quicquid hœdificii ligi (sic), erat in Campanili, a summo usque deorsum, et propter quod Campanæ corruentes in terram confracte fuissent, celeriter ipsum Campanile in hœdificiis ligneis reparari, et innovari melius solito. Et Campanas sex fieri de novo fecit optimas duplicati ponderis, et pluris quam prioris extitissent.

¹ ex eodem *Necrologio*. pag. 125. 1111. Idus Septembr. In nomine Dñi Amen. Anno Nativit. Dñi M. CCC. LXXVIII. mens. Sept. die vero vL. Obiit bon. me. Rñtus Pater, et D. D. Franciscus de Tebaldescis Tit. S. Sabine Presb. Card. Prior, et Concanonicus noster, qui nostram Basilicam multum dilexit. Nam juxta majus Altare construi, et erigi fecit Cappellam suam, in qua requiescit, que vocatur Altare de Ossibus

Apostolorum, in qua instituit, et ordinavit tres Presbiteros, Clericos Chori, ultra numerum viginti Clericorum, institutum per fel. recordat. Bonifacium Papam VIII, per quos voluit perpetuis temporibus omni die celebrari in dicto Altari tres missas, pro anima ipsius Dñi Card., ac Dñi Theobaldi eius fratris Concanonici nostri Not. Dñi Pape, et suor. et voluit, quod pred. Presbiteri tres Clerici deservirent Choro nostræ Baslice omnibus horis nocturnis pariter, et diurnis, prout alii Clerici Chori faciunt, et tenentur. V. *Turrigium Grotte Vat.* p. 347. *Gallettum Inscr. Rom.* T. I. p. 199.

² ib. p. 113. Id. Aug. M. CCCC. LXXXVIII. Sixtus PP. Quartus patria Saonen. qui in presenti Basilica Beneficiatos duos, et totidem Clericatus fec. ac Capellam, in qua divina celebrant. construxit, obiit, ac sepultus in aeneo Monumento fuit in eadem Cella Subselliarii, ex qua translatus fuit, ad alteram e regione positam, una cum aliorum exsuviis, ut docet huiusmodi Inscriptio, quæ haud ita pridem ibi posita fuit.

SIXTVS IV. IVLIVS II. ROMM. PONTT.

NATIONE LIGVRES PATRIA SAONENSES GENTE ROBORA

GALEOTTVS DE RVVERE CARD. S. PETRI AD VINCVLV

IVLII II. SORORIS FILIVS ET

FATIVS SANCTORIVS CARD. S. SABINAE ET EPISC. CAESENATEN.

DEPOSITI SVB HOC ELEGANTISSIMO AENEO MONVMENTO

VIII. CALEND. SEPTEMBERIS MDCXXXV.

jusce Sacerdotii munia , ac jura in Bas. Vat. *Sacrarium* translata sunt , adnexusque Clericatus , perpetuis aliis xxv. adjectus , literis Apostolicis , quae a Bas. Vatic. editoribus ¹ recensentur .

Heic autem minime praetereundum esse duco , quod iidem editores animadvertunt , nimirum istiusmodi sacrorum onera sub definito numero , ac stato tempore a Ministris *Sacrario* Bas. Vat. satisfacienda , nostra hac aetate in ejusdem *Sacrarii* codicibus descripta nequaquam apparere . Qua de re conjectari posse arbitrati sunt , ea in Xysti V. decreto de *Missarum reductione* , quod ibidem ² recitarunt , fuisse comprehensa . Quumque vi hujusce decreti , xv. sacra , quotidie in eadem Basilica celebrentur , ipsa etiam *Altaris Mortuorum* onera huc esse revocanda , docere videtur temporum vicinitas , quae tanta est , ut *Gregorium* inter , et *Xystum* nullus alius Pontifex intercedat . Haec in collectione *Bullarum* Bas. Vat. quae quidem ad *Sacrarii Sacerdotia* spectarent , reperire licuit . Nunc ad Pontificum in idem *Sacrarium* collata beneficia recensenda gradum faciamus .

¹ T. II. p. 139.

² ibid. p. 153.



C A P V T XVIII.

Pontifices de Sacrario benemeriti .

§. I.

Gregorii XIII. erga Sacrarium beneficia .

Etsi uberiores *Sacrarii* redditus e media Annata , de cuius origine , atque usu confer , quae Bull. Vat. editores adnotarunt ¹ , sint repetendi , tamen alios etiam proventus debet Pontificum liberalitati , quorum partem modo enumerandam suscipimus . Exstat in Territorio Polutri , Coenobium cum Aede sacra , *S. Barbato* Antistiti Beneventano ² dicata , a Rainerio , et Engeltruda Conjugibus aedificatum , qui bonis auctum , ac dicatum , an. mxv. Monachis Ordinis Benedictini inhabitandum donaverant . Hoc autem Raynaldus eorum Filius , anno m^xlⁱlⁱ , *Abbatiae Majellanae* , quam eruditissima dissertatione illustrarunt Bull. Vatic. editores ³ , possidendum concessit .

Sed , *Abbatia Majellana* anno m^dlⁱlⁱ . Basilicae Vaticanae a Julio III. attributa , pari modo et ipsum *S. Barbati* Monasterium , eidem accessit . Vix enim Bartholomaeus Ferratinus , Amerinus Antistes , ab hujus Monasterii administratione , quae sibi commissa fuerat , sese abdicavit , *Gregorius XIII.* de *Sacrarii* commodis , et utilitate vehementer sollicitus , anno m^dl^xx^xlⁱ . praedia , juraque omnia cum omni reddito hujusce Secerdotii , in *Sacrarii* dotem addixit , eique perpetuo nexu sociandum

¹ T. I. p. 177. T. II. p. 91. 268. 344. 425.
T. III. p. 60. in append.

² Ejus vita , auctor. Anonymo , cum
Comm. praevio , et notis Joh. Bollandi.

in T. III. Febr. p. 136. et 142. Borgia
Mem. di Benevento T. I. pag. 213. T. III.

p. 42. 277. T. III. p. 69.

³ in calce T. I.

decrevit; id quod constat ex ejus diplomate apud Bull. Vat. editores ¹.

Alia vero optimi Pontificis beneficia in Bas. et in *Sacrarium* collata, a Necrologio Vat. discere licet, quod ea recenset in hunc modum ². *Die x. Aprilis an. MDLXXXV. hora circiter xx, obiit fel. record. Gregorius XIII. patria Bononien. familia Boncompagna, Princeps de Vaticana Basilica optime meritus. Nam et Gregorianum Sacellum exstructum lectissimorum marmorum varietate, pretiosis columnis, opereque plastico, et musivo, sumptu maximo LXXXV. aureorum millibus erogatis exornavit, Deiparaeque Virgini, ac S. Gregorio Nazianzeno dicavit, sub cujus Altare ejusdem insignis Doctoris ossa ex D. Mariae ad Campum Martium eximia processionis pompa anno MDXXC. III. Non. Junii translata postridie recondidit. Quatuor Sacerdotes in ipso perpetuo celebraturos instituit. Calices argenteos, ornamenta, sacras vestes, Crucem cum VI. Candelabris ex argento cXL. librar. aliaque ad divini cultus usum summa liberalitate donavit. Idem Altari Apostolorum Principis VI. Candelabra cum Cruce ex metallo artificiose sculpta pro quotidiano usu, aliaque diversa genera sacrae suppellectilis est elargitus. Ad Sacrarii subsidium Abbatiam S. Barbati, et Sacella duo defunctorum, ac S. Marci, in Basilica sita, annui redditus Scutor. DXL. attribuit. Privilegiis denique, ac immunitatibus nostram Basilicam maximopere decoravit, et auxit, cujus anima in pace requiescat. Amen. Celebretur quotannis ejus anniversarium.*

1 T. II. p. 141.

2 in lib. Benef. pag. 51.



§. II.

*Pontificum Maximorum studium, ne quidpiam Sacratio
addictum usquam distraheretur.*

Si de augendis *Sacrarii* redditibus Romani Pontifices adeo solliciti fuerunt, impendio magis etiam studuerunt, ne quidquam, quod ad illud pertineret, ullo modo distrahere, atque alienare quisquam posset. *Clemens* enim IV.¹ sacras vestes, aliaque bona thesauri Bas. Vat. oppignerari, vel quovis pacto alienari prohibuit. Quae Constitutio ab *Vrbano* VI.² fuit confirmata, qui anathemate plectendos sancivit, quoscumque qualibet *Ecclesiastica, vel mundana dignitate conspicuos, etiam S. R. E. Cardinales, scienter recipientes, aut ementes, nedum alienantes jocalia, imagines, anulos, vasa aurea, et argentea, gemmas, aliaque cujusquemodi Basilicae Sacrarii.*


Haec autem Pontificum cura ad alias etiam res, redditusque conservandos, qui *Sacrario* addicti fuerant, providentissime pervasit. Nam *Innocentius* VIII.³ possessiones, fructus, redditusque Ecclesiae Parrochialis *S. Mariae, et Catharinae*, jampridem *Sacrario* Bas. Vat. destinata, in alios usus converti vetuit.

Ac quandoquidem de hac Ecclesia incidit sermo, placet heic de eadem pauca interserere; quod eo lubentius facio, quod eandem, veluti matrem, quum intra ejus curiae fines modo sim, colere debéam, atque observare.

1 T. I. Bull. Vat. p. 144.

2 T. II. p. 30.

3 T. II. pag. 257.



§. III.

De Templo S. Mariae, et Catharinae de Rota.

Templum S. Mariae, et Catharinae, in regione Arenulae, situm est, prope aedes Farnesianas, pluribusque nominibus apud Scriptores venit. Martinellius enim¹, Camilli Fanuccii adstipulatu, illud appellat S. Catharinae in Catinaria, nunc de rota. Quam quidem nomenclaturam, quae hodieque viget, apud vulgus obtinuisse putat Filinus², cui subscripserunt Ant. Fonseca³, et Joh. Bapt. Bovius⁴, jam inde, quum Senenses haud ita procul alterum D. Catharinae Templum de via Julia excitarunt, ut nonnullum, inter utramque Ecclesiam eidem dicatam, discrimen exstaret.

Verum alibi⁵ idem Martinellius cum Pancirolo⁶, qui testem Vat. Tabularii membranam producit, S. Mariae in Catharina nomen inditum ei fuisse narrat, instar Basilicae S. Laurentii in Damaso, et Ecclesiae S. Laurentii in Lucina, a Damaso, et Lucina conditoribus, ut recte coniecit idem Fonseca⁷. Praeterea Martinellius notat, corrupte aliquando appellatum esse in Catemeri, et in Taxa Leonis X. in Catinara, vocabulo haud ita dissimili ab eo, quod legitur in hujus Pontificis diplomate⁸, ubi Ecclesia Parrochialis S. Mariae, et Catherinae in Catinari, regione Arenulae, nominatur. Sed tamen ne haec quidem appel-

1 p. 352.

2 p. 125.

3 de Basilica S. Laurentii in Damaso. Fani 1-45. fol.

4 La Pietà Trionfante su le distrutte grandezze del Gentilesimo nella magnifica fondazione dell'insigne Bas. di S. Lorenzo in Damaso, con la serie istorica

di tutte le sue Chiese Figliali, degli Vffizj della Cancellaria Apost. e de' Cancellieri della S. R. C. Roma 1729. fol.

5 p. 371.

6 Ch. 25. 2. 11.

7 c. xx. p. 313.

8 T. 11. Bull. Vat. p. 352.

latio homini arridet, putatque legendum cum Castallo Metallino, *Catemiri*.

Hanc Eccl. inter sacras Aedes, quas *Hadrianus* IV ¹, *Innocentius* III ², *Gregorius* IX ³, *Vrbanus* VIII ⁴, aliique Pontifices, editis ea de re peculiaribus privilegiis, Vaticano Clero concesserunt, aut jam ab aliis concessas novis corroborarunt, ex Basilicae ejusdem Censualibus, seu Ecclesiarum, Hospitalium, Monasteriorum eidem subditorum repertoriis, jampridem enunciata[m] fuisse constat. Verum jam inde ab *Alexandri* III. Pontificatu controversia exorta est, ad utram Basilicam, tamquam Matrem referenda esset, anne *S. Laurentii in Damaso*, an potius *Templi Vaticani*. Quod dissidium ipse *Alexander* composuit, qui Vat. Bas. Canonicis causam adjudicavit. Pontificis sententiam Annibaldus Vrbis Senator in autographo diplomate, pro Vat. Bas. anno mclxxxv. edito, in hunc modum enunciavit ⁵. *Sancinus quoque decreto, et auctoritate Sacri Senatus, sententiam a Domino Alexandro Papa III. inter ipsos Canonicos (Vat. Bas.) et Clericos S. Laurentii in Damaso latam, super Ecclesiam S. Mariae, et S. Catherinae, et quaecumque ab ipso, vel ab aliis catholicis Pontificibus Romanis, seu aliis pro eisdem Canonicis facta, vel scripta sunt, rata, et inconvulsa perpetuis temporibus permanere, et inviolabiliter observari.* Nihilominus eadem controversia, proxime elapso Seculo ⁶, apud XII. Viros stilitibus judicandis hinc inde agitata est, sed tandem eodem exitu.

Ceterum usque ab initio, *Alexandri* sententiam effectum

1 T. I. Bull. Vat. p. 57.

2 ibid. p. 78. 3 ibid. p. 111.

4 T. III. Bull. Vat. pag. 59.

5 T. I. Bull. Vat. p. 69.

6 V. Ciampinum de S. R. E. Vice Cancellario. Romae 1697. §. xxv. S. Mariae in Catherina, sive Catherinae, sive in Catinaris. p. 174.

suo non caruisse, palam facit vetustus Ecclesiarum Catalogus, quem exhibet Codex, Demetrii Lucensis opera coordinatus, in quo ita legimus ¹ *Item Ecclesia S. Mariae, et Catherinae spectat ad ipsam Basilicam (S. Petri) pleno jure, cum tota Parochia sua, facit obedientiam, reverentiam, subjectionem; debet venire ad Scrutinium, Baptisma, chrismatis confectionem, et processiones, habet ibi jus ordinandi, instituendi, destituendi, Capitulum ipsius Basilicae corrigendi, et ad tempus privandi, et Archipresbyterum confirmandi, electum a Clericis. In festo S. Catherinae debent ire septem ex Canonicis cum septem scutiferis, seu septem famulis, qui Canonici, seu alii, quibus placet committere, debent vigiliis cantare. Qui omnes cum scutiferis post vigiliis, debent coenare, quibus in ipsa coena debent Clerici bona fercula cum bonis vinis ministrare, et quibus placet, remanere, debent bonos lectos praeparare. In mane, cantata ibi Missa, et praedicato, prandent ibi omnes, quibus praeparent bona cibaria, et diversa vina bona. Debet postmodum Archipresbyter rogare, quod si defectus fuit in cibis, debeant parcere; alioquin parati sunt satisfacere in octavam. Et Prior Canonorum, qui est ibi, si bene fuit eis in prandio, et coena, regratiantur; alioquin eos ad tempus ab officio, et beneficio suspendet.*

Ex quibus jure illud animadversione dignum esse putant Bull. Vat. editores, Canonicos, aut alios ex aliis Cleri ordinibus, quotannis, die festo Titularis, aut Patroni, ad sacras Aedes Vat. Capitulo subjectas accedere consuevisse, ut modo etiam solent, sollempni pompa rem divinam acturos, et in earum nonnullis olim concionem quandoque haberi, imo etiam convivium, quod Rector

¹ In tab. sign. litt. A. T. I. B. Vat. p. 69.

Ecclesiae, ubi festum celebrabatur, instruere debebat, ut veterem Christianorum morem a Plinio ¹ memoratum imitarentur, qui in Martyrum natalibus, aliisque sollemnioribus diebus convivia inibant, de quibus plura Muratorius egregie disseruit in *disquisitione de Agapis* ². Quae non solum ex allato Codice chartaceo, sed etiam ex veteri altero membraneo, *Sermones pro Matutino* inscripto ³, apparent, ubi ⁴ Index Ecclesiarum sub jure Basilicae Vaticanae.

In hac eadem Aede, perpetuam Vicariam *Pius* II. instituit, eique pro ejus dote nonnullos fructus assignavit pro uno Vicario illi deservituro. Verum *Leo* X. ipsius Capituli precibus eam abrogavit, ejusque fructus eidem Capitulo ⁵ adtribuit; atque hinc eadem Ecclesia Societati *Calzettariorum*, uti vocant, adjudicata fuit. Quae tamen Societas anno MDLXX. omni jure super eadem excidit, ac jubente *Pio* V. ⁶, ab ipso Capitulo extrusa fuit.

Denique quum idem *Pius* V. literis Apostolicis anni MDLXXI. ⁷ *Vicarios Curatos perpetuos* instituisset, non modo in Basilicis Lateranensi, et Vaticana, sed etiam in Collegiatis S. Mariae in Via Lata, S. M. in Transtiberim, S. Laurentii in Damaso, S. Marci, S. Angeli in Foro Piscium, S. Quirici in Montibus, S. Nicolai in Carcere, alios item constituit in Aedibus S. Blasii *della Pagnotta*, S. Panthaleonis, et S. *Catherinae de Rota*, cujus quidem Curiae sacris, omni laude, nunc praeest Vir spectatissimus, Andreas Tosi,

¹ lib. x. ep. 97.

² Patavii 1709, una cum graecis anecd. p. 24r.

³ in Arch. Bas. sign. litt. C. n. 107.

⁴ p. 247. 249.

⁵ T. II. Bull. Vat. p. 35.

⁶ T. III. Bull. Vat. pag. 85.

⁷ ibid. pag. 90.

§. IIII.

De ceteris Sacrarum bonis non locandis.

Jam vero, interruptum narrationis filum resumamus. Quum *Paullus IV.* anno MDLIX.¹, *Xysti IV.*, et *Clementis VII.* constitutiones innovasset de bonis Basilicae non locandis, nedum Canonicis, Beneficiariis, Clericis, eorumque affinibus, et consanguineis, praeter anathematis poenam transgressoribus irrogatam, unice Pontifici reservatam, tam ducentorum aureorum *Xysti*, quam quingentorum *Clementis*, quorum dimidia pars Camerae assignanda erat, severioris ingenii Pontifex, integram summam *Sacrarum* applicandam decrevit.

Praeterea omnibus prohibuit, *Sacrarum* suppellectilem cuiquam commodare, praeterquam Vicario, Canonicis, Beneficiariis, et Clericis, etiam extra Basilicam, vasis aureis tamen, et argenteis semper exceptis, ut liquet ex ejus literis, quae testes sunt locupletissimae eximiae *Sacrarum* suppellectilis per illa etiam tempora, quamquam haud ita pridem in Borboniana Urbis direptione, hujus melior, ac major portio, quae a Grimaldo apud Turrigium² recensetur, misere ablata fuisset.

Hoc *Paulli* decretum sub eadem anathematis poena *Clemens VIII.*³ confirmavit, qui litteris Apostolicis anni MDLXLVI.⁴ jura, bona, redditusque omnes *Sacrarum* a *Xysto IV.* massae communi, uti ajunt, adnexa dissolvit, atque in pristinum statum revocavit.

Denique istiusmodi Constitutiones literis Apostolicis anno MDCXI. a *Paullo V.*⁵ item confirmatae, diplo-

1 *ibid.* p. 39. 2 p. 258.

3 T. 111. Bull. Vat. p. 181.

4 *ibid.* p. 194.

5 T. 111. Bull. Vat. p. 213.

mate *Benedicti* XIV. anno MDCCLII. vI. Kal. Aprilis¹ instauratae sunt, qui Decessorum decreta de ingressu, et *media annata* Canonicorum, pro eodem *Sacrario*, rata haberi praescipuit.

§. v.

Cetera Paulli V. beneficia.

Paullus V, ut in augustissimo *B. Petri Confessionis* ambitu, mundities, quanta maxima fieri posset, religiose servaretur, praeter quattuor argenteas lampades anno MDCXVI. octavo Idus Augusti dono datas², pro expensis olei, unoque Ministro conducendo, qui *Confessionis* custodiam, et curam gereret, Beneficium quoddam, sub titulo *S. Eusebii*, in Ecclesia Parochiali *de Gambalo*, Vaticanae Basilicae attribuit. Hujus beneficii redditus ad *Sacrarium* etiamnum pertinent, iisque lampades a *Paullo* donatae, noctu diuque collucent, ac Ministro, cui sacrae *Confessionis* custodia demandata est, stipendium solvitur.

Quae quidem *Paulli* cura, antiquiorum Pontificum studiis maxime fuit consentanea, qui de concinnandis, parandisque luminibus, ante *Petri Confessionem* mire solliciti fuere. Id enim a *Silvestro*, *Caelestino*, *Hilario*, *Simplicio*, *Symmacho*, *Sabiniano*, *Honorio*, *Agathone*, *Zacharia*, et *Gregorio II.* praestitum fuisse, tradit *Anastasius*, qui coronas, delphinos, phara, canthara, cereostata, rhetia, candelabra, lucernas, lychnos, arbores, seu lychnucos arborum modo mala ferentium lucentes, magnamque auri, et argenti vim pro lampadibus Bas. Vat. ab iis dono datam fuisse memoravit. Verum id praecipue constat ex celeberrimo diplomate *Gregorii M.*, qui nonnulla praedia,

¹ *ibid.* p. 350.

² *ibid.* p. 219.

ac oliveta pro luminaribus concinnandis Basilicae addidit, quod marmorea tabula insculptum ad laevam Porticus Vat. Bas. parieti adfixum adhuc videtur, et ab Angelo Roccha, Francisco Blanchinio, aliisque editum, denuo Vat. Bullarum collectioni ¹, et Venetae operum *S. Gregorii* editioni ² intextum fuit.

Quota vero fuerint antiquis temporibus Vat. Bas. luminaria, ut Candefabrum omittam totidem lampadibus insignitum, quot sunt anni dies, alterumque ab *Hadriano* dono datum, Crucis formam repraesentans, mcccclxxx. luminaribus instructum, quod ante Presbyterium, quatuor anni vicibus, *in Nativitate Domini*, *in Pascha*, *in Natali Apostolorum*, et *in Natali Pontificis* ³ accendi solebat, licet deprehendere ex *Petro Mallio* ⁴, qui haec habet, a *Panvinio* ⁵ item descripta. *Quoniam haec D. Petri Basilica omnium Ecclesiarum caput est, et speculum. . . . de institutione S. R. E. in decorem, et pulchritudinem hujus sacrosanctae Basilicae accenduntur quotidie cl. lampades.* Stationibus vero quibuscumque ⁶ ccl. arsisse testatur. Quod etiamnum, aliis etiam piorum VV. institutionibus ⁷, ma-

¹ T. I. p. 7. ² T. XVI. p. 214.

³ *Alfarano in mss.* Vn poco più alto, pur sopra questa Porta, fu posto una Croce de ferro, con chiave pur similmente grandissime, quale solevano stare attaccate nell'Arco maggiore appresso all'Altare maggiore, et le feste principali tutti si empievano de Lampadi, perchè a modo de Lampadaro erano ordinate, et ancora quel costume in tempi nostri qualhe volta se osserva.

⁴ T. VI. Iun. Boll. p. 48. col. 2.

⁵ T. III. ms. c. xxxI. de lampadibus, et Luminariis Bas. Vat. p. 38.

⁶ T. II. Mus. It. in app. Ord. Rom. p. 161.

⁷ *Audi Basilicae Vatic. Necrologium.* VI. Idus Ianuarii. Obiit Dñus Petrus de Columpna Cardinalis, qui reliquit ñre Basilice 111c. flor. auri, de quibus conversi fuerunt in emptione Casalis Dñi Andree de Ruccamatiis 11c floren. voluit, quod de dictis 11c floren. fierent quatuor anniversaria pro animabus Patris, et Matris ipsius Dñi, ac pro Dño Iacobo patruo suo Card. reliquit centum floren. conversi fuerunt in d. emptione, quod *debeant ardere subtus Corpus Apostolor. in d. Basilica cotidie quinque lampades* pro anima ipsius. Expendatur pro anniversario suo unus florenus.

gna quidem ex parte retinetur, quum clxxx. Lychnuchis quotidie renideat. Quod si cui redundans, et supervacaneum fortasse videretur, is audiat Concilium Aquisgranense II ¹. *Quia scriptum est, Ignis in Altari ardebit; multum igitur haec verba ponderanda his, qui unde ignis perpetuus, idest Luminaria in Basilicis Deo dicatis concinnari ex fidelium oblationibus debent, auferre praesumunt.*

Antiquissimum certe Candelabrorum, et luminum fuisse usum in sacris Aedibus, fuse demonstrant Baronius ², Grancolasius ³, Thiersius ⁴, Georgius ⁵, Sarnellius ⁶, Card. Bona, et Rob. Sala ⁷, ac praesertim Muratorius ⁸ in eruditissima dissertatione *de Templorum apud veteres Christianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum usu*. Porro lumina de die accensa, vel coram fabulosorum Numinum imaginibus, fuisse docent Joh. Faes ⁹, et Just. God. Gunzcius ¹⁰.

§. VI.

Alexandri VII. erga Sacrarium beneficentia.

Alexander eidem *Sacrario* sacras vestes, easque ornatissimas, in *Canonizatione S. Thomae de Villanova*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, paratas, liberaliter largitus est; de quarum vestium donatione, earumque nobilitate exstat in *Archivo Bas. monumentum*, quod legent, si qui volent, apud *Benedictum XIV.* ¹¹, et *Bull. Vat.* edito-

¹ an. 836. can. xxix.

² an. LVIII. num. LXX.

³ T. I p. 717.

⁴ des princip. autels de l'Eglise c. xix.

⁵ de Liturg. Rom. Pont. lib. II. c. II.

⁶ ix. et c. xviii.

⁷ lib. I. c. xxx. §. vi.

⁸ Perché nell' antico Tempio si ado-

perasse l'olio, e non la cera? T. IV. delle sue lett. Eccl. p. 29.

⁸ recusa in Tom. II. Disc. Pop. Dei p. 229.

⁹ de Cereis baptismalibus p. 130.

¹⁰ de *Δαιδουχίας*, sive facibus in sacris Aesculapii. Lipsiae 1737. 4.

¹¹ de Beat. et Canoniz. edit. 1765.

res ¹. Ex eo autem constat, vestes, quae in hac *canonizatione*, de qua vide Cherubinum ², Bollandianos ³, Andream Aznar ⁴, et B. Coccinum ⁵, anno MDCLVII. adhibitae fuerunt, item ad aliud festum *Canonizationis Francisci de Sales*, anno MDCLXV. celebratum, et a Dom. Cappello ⁶, ac in Theatro ⁷, et Diario ⁸ Europae descriptum inserviisse, etsi verba Pontificis a supplici Capituli libello discrepent, in decernendo harum vestium usu, quae postea *Sacrario* donatae ab eodem fuerunt.

Sed haec levia fortasse, si cum iis, quae supra innuimus ⁹, comparentur. Quum enim idem Pontifex animadvertisset, nec *Xysti IV.*, nec *Clementis VII.* liberalitatem, ad *Sacrarii* suppellectilem conservandam, atque augendam satis fuisse, anno MDCLIX. ¹⁰ sanxit, ut pro singulis, *Beatorum* Fastis adscribendis, quingenta aurea, ac mille pro iis, qui aethereos inter Proceres, sanctumque Senatum recensendi essent, eidem solverentur, uti fusius exponit *Benedictus XIV* ¹¹.

Qua de re perpetuum grati animi monumentum marmoreum, ut supra dictum est, in ipso *Sacrario* visebatur. Quaecumque autem ex hujusmodi Constitutionibus ad *Sacrarium* proveniunt, Canonici duo Sacristae, in sacram suppellectilem erogant ex Pontificum praescripto; quam si cui lubitum esset agnoscere, is consulat ac-

1 T. 111. Bull. Vat. p. 273.

2 T. v. Bullar. p. 274.

3 die. xii. Sept. p. 799.

4 Acta Canoniz. Thomae a Villanova. Romae 1658. 4.

5 De Sanctitate, et miraculis, quibus in vita, et post obitum claruit Ven. Vir Frater Thomas a Villanova ad Paulum V. relatio. Exst. in lib. de Canonizatione

Sanctorum Felicis Contelorii. Lugdun. 1634. pag. 451.

6 Acta Canoniz. edit. 1665.

7 T. x. p. 85.

8 Contin. xI. p. 517.

9 pag. 1399.

10 T. 111. Bull. Vat. pag. 272.

11 de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum lib. I. c. 46. §. v.

curatam ejusdem descriptionem, quam Petrus Chattard¹ fusiori calamo prosequutus est.

§. VII.

*Clementis XI. Innocentii XIII. et Benedicti XIV.
in Sacrarium beneficentia.*

Habes ferme ad omnia; nisi quod pauca adhuc supersunt de *Clementis XI.* aliorumque Successorum erga idem *Sacrarium* munificentia. S. P. Q. R. anno MDCXIX. Senatus consulto decrevit, ut quotannis Basilicae Principis Apostolorum, festo ejus die, Calix argenteus Scutator. xxx. cum cereis facibus offerretur. Decretum hoc *Gregorius XV.* anno MDCXXI.² Apostolica auctoritate confirmans, sanxit, ut Magistratus idem donarium perpetuo dicaret. Verum, ut ex ejusdem literis liquet, statuit, pretium Calicis fore scutatorum LX.

Quum autem Canonici a *Clemente XI.* petiissent, ut potius, quum jam satis Calicum in *Sacrario* esset, annorum xcii. spatio quotannis oblatorum, per decennium illorum pretium a S. P. Q. R. accipere possent ad sacras suppellectiles reficiendas, quibus indigebat, Pontifex providentissimus literis Apostolicis anni MDCXXII.³ eorum precibus subscripsit.

Innocentius vero XIII. hanc facultatem, an. MDCXXIII⁴ ad aliud decennium extendit, ut ea tamen conditio servaretur, omnem pecuniae vim in sacram suppellectilem commutandi; ac demum *Benedictus XIV.* anno MDCCLII.⁵ ita in posterum pro *Sacrario* perseverandum esse decrevit.


¹ T. I. p. 240.

² T. III. Bull. Vat. p. 229.

³ ibid. p. 292.

⁵ ibid. p. 349.

⁴ ibid. p. 292.



DE
NOVO SACRARIO
BASILICAE VATICANAE.

PROVIDENTIA

D. N. PII VI.

A FVNDAMENTIS EXCITATO.

DE NOVO SACRARIO BASILICAE VATICANAE

PROVIDENTIA

D. N. P I I V I.

A FVNDAMENTIS EXCITATO.

C A P V T I.

*Pontificum consilia , et Architectorum molimina .
de novo Sacrario aedificando .*

Jam inde quum Templum Vaticanum ab inchoato aedificari coeptum est , semper quidem Pontifices maximi , uti supra ¹ demonstravimus , de *Sacrario* excitando , quod Templi amplitudini , et majestati , quoad ejus fieri posset , responderet , aut certe eamdem non dedeceret , cogitarunt . Neque vero hujusce aedificationis consilium abjecerunt , etsi usque a *Paulli IV* , aut *Pii V.* aevo ² , *Sacrarii* loco , Aedes rotunda in proximo , *S. Virgini a Febribus* sacra in usum cessisset . Ea enim , quum multis partibus manca , atque inopportuna , tum non satis expectatione hominum , quicumque ad laxissimam , altissimamque Templi molem contemplandam accedebant , digna esse videbatur .

Atque id in omnium votis vel tum fuisse prodit *Alpharanus* , quum haec scripsit ³ . *Sed quum Templum ipsum*

¹ p. 1221.

² p. 1226, 1228.

³ mss. pag. 4.

tam augustum, omniumque oculis admirandum caret Sacrariis, pro sacra suppellectile capienda, et continenda, et Aulis pro Cānonicorum, Beneficiatorum, Clericorum, et reliquorum Templi Ministrorum indumentis capiendis, et custodiendis, nec non Cubiculis pro ceteris Templi negociis examinandis, et ordinandis, quum intra, et non extra Templum haec omnia continenda, peragendaque necessario videantur; tum et quum ipsum Templum in quadratae Crucis formam erectum oblongo Crucis pedo careat, ne Ethnicos, et Gentiles, qui quadrata, et rotunda Tempia exstruebant, aemulari videremur, si ad instar pedis Crucis Bas. antiquae prolongaretur, et pes conveniens quadratae Cruci adjungeretur, ejusdem structurae, et aedificii conformitate, et absque ulla novi aedificii deformitate; infra cujus pedis ambitum a dextris, et a sinistris ampla Sacraria, nec non nobilissima Cubicula exstruerentur, ipsumque Templum, et pulchrum visu, et capacissimum populo redderetur, ut in nostro exemplari ad hoc specialiter elaborato quam clarissime videre est, ubi per medianam navem, et porticum antiquae Bas. quae adhuc supersunt, procedendo per directum ad Orientem, usque ad pineam aeneam, oblongus pes novo Templo eleganter, proportionateque adaptatus est, et hinc inde intra binas minores naves, et praefati porticus partes ad meridiem, et Aquilonem ampla Sacraria, nobilissimaque Cubicula sacrarum suppellectilum capacissima interjecta conspiciuntur.

Quum vero Paullus V. anteriorem veteris fatiscantis Basilicae partem e solo condere statuisset, ut opus annorum amplius centum perficeret, Karolo Maderno Architecto tantae molitionis curam commisit; qui statim ac operis delineationem aggressus est, in Sacrarii vicem designavit Cellam, ubi Corpus Christi adservatur. Et

sane hujusmodi consilio, auspicalis Cellae lapis positus fuit, ut Grimaldus testatur¹. Id ipsum luculenter ostendit Ichnographia novi Templi Vaticani ab eodem Karolo Maderno exarata, quae exstat ad calcem inediti operis Anonymi auctoris de labibus, ac vitiis Pronai, Tem-

1 in lib. Instrum. fol. 90. Anno MDCVII. die Iovis viii. mens. Martii hora xvii. Statio ad S. Laurentium in Pane, et Perna, Pontificatus SS. D. N. Pauli P. V. anno secundo. Magnificentissimum Templum honori B. Petri sub Iulio ii. anno millesimo quingentesimo sexto, decima octava Aprilis, vetere labente Basilica a Constantino M. olim exstructa, sumptu maximo inchoatum, et ad finem talem perductum, ut in eo divina officia peragantur, et Arae splendidiore cultu a Populi frequentia habeantur, Paulus V. P. M. cupiens, ut tandem hominum conspectui perfectum appareat, reliquanti veteris Bas. partem jam collabentem demoliri jussit, et fundamenta ampla juxta typum, et exemplar a Karolo Maderno factum incipi. Quod faustum, felixque sit, dicto anno MDCVII. centesimo a Iulio conditore, octava Martii, die, quo Statio ad S. Laurentium in Pane, et Perna celebratur, hora xvii. Fabricatores effodere coeperunt fundamenta eadem ad *conficiendum Sacrarium*, e regione Ostii ducentis in Sacellum Gregorianum, in nave olim Sanctissimi Sudarii.

fol. 97. Immissio lapidis in Fundamenta Basilicae pro *aedificando Sacrario*. Anno MDCVII. die Iunae vii. Maii h. xi. Illius, et Rñus D. D. Evangelista Pallottus, Tituli S. Laurentii in Lucina Card. Cusentinus Vat. Bas. Archipresbyter, cum interventu RR. DD. Pauli Bizoni, Marci Antonii de Magistris, Aloysii Rainalducci, Alexandri Scotti, et Paridis

Pallotti ejus Basilicae Canonorum, de ordine SS. D. N. Pauli Quinti P. M. hora xi. diei, et anni praefati jecit lapidem in nova fundamenta Basilicae effossa palmis LX. hoc ritu servato. Idem Illius Cardinalis celebravit Missam lectam in Sacello Gregoriano de S. Stanislao cum collecta de Beata Virgine, et pro Ecclesia, qua finita accepit Pluviale album, benedixit lapidem e marmore longum palm. tribus, latum palmis duobus, vel circa, ut in Pontificali *Adiutorium* etc. cum aliis Ψ . Orat. *Domine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus Omnipotens* etc. *Domine, Sancte Pater* etc. et aspersit aqua, deinde benedixit calcem Ψ . *Dominus vobiscum* etc. Orat. *Summe Deus* etc. Tum dedit lapidem ipsum, et calcem Coementariis, et sacris vestibis depositis in suo habitu processit ad fundamentum, quod respicit aditum Sacelli Gregoriani, effossum pro *aedificando Sacrario*, in cuius medio, ipso praesente, idem lapis demissus est, et calce eadem complanatus. Sculptus est insigniis SSñi D. N. Illi D. Card. Archipresbyteri, et Inscriptione ad infrascriptam formam. Super quibus etc. Acta fuerunt haec in memorata Basilica, praesentibus ibidem Illiño, et Rñño D. Berzellino Berzellino electo Episcopo Campaniae, Illiño D. Paulo Aemilio Vrsino, D. Constantio Amorotto de Fabriano, et Illiño D. Iacobo Dono Equite SS. Mauritii, et Lazari Testibus etc. rogatis.

His Actis, Fabricatores prosecuti sunt fundamentum in nomine Domini.

pli , ac Porticus Basilicae Vaticanae ¹ , quod in Tabulario Vaticano adservatum , singulari PONTIFICIS M. humanitate , perlegere mihi licuit . Verumtamen hujusmodi consilium deinde , nescio qua de caussa , rejectum fuit ; fortasse quod , contra veterem Christianorum usum ² , in Boreali parte , *Sacrarium* erigi non placeret ; ibique Cella Corporis Christi , ejus vice , condita fuit , cultuque magnifico exornata .

Mirum autem , quantum hoc studium excreverit , quum Basilica numeris omnibus absoluta , excelsa illa Porticu , Area Vaticana ab *Alexandro VII.* ornata fuit ! Tunc enim ad Templi omnium magnificentissimi amplitudinem , gloriamque explendam , ac plane cumulandam , nonnisi *Sacrarium* deesse videbatur . Propterea Berninus , ejusdem *Alexandri* jussu , *novi Sacrarii* ichnographias delineandas suscepit , quae adhuc in Bibliotheca Chisiana adservantur . Nunquam tamen operi manus admovit .

Verum *Innocentius XII.* id operis postea aggredi deliberaverat ; ac proinde ad Cellam SS. *Simonis , et Iudae* transferri jusserat *veteris Sacrarii* supellectilem , ex Aede

PAVLI . V. PONT.
 MAX. IVSSV
 EVANGELISTA . PALLOTTVS . TT.
 S. LAVRENTII . IN . LVCINA . CARD.
 CONSENTINVS . HVIVS . BASILICAE
 ARCHIPRESBYTER . HAEC . FVNDAMENTA
 IECIT . DIE . VII. MAII . MDCVII. PONTIFICAT.
 EIVSDEM . S. D. N. ANNO . SECVNDO

Ego Iac. Grimaldus Notarius publicus de praemissis rogatus in fidem manu propria scripsi subscripsi, et solito meo signo signavi .

1 Discorso di D. Sp. sopra i Disordini

della Facciata , della Chiesa , e Portico di S. Pietro , che al presente si vedono , con i disegni , in fine del Discorso . Maggio 1645.

2 V. p. 187.

rotunda, propediem solo aequanda. Vix tamen hujusmodi translatio incoepa fuerat, quum mentem, ac voluntatem repente commutavit. Quum enim sese olim ad Basilicam Vaticanam contulisset, Raphael Fabrettus, Canonicus Vaticanus, veterum omnis generis monumentorum amantissimus, ei auctor fuit, ut ab incoepto desisteret, ne Templum vetustissimum, quod tamdiu aetatem tulerat, e medio submoveretur.

Postquam vero *Clemens XI.* ad Pontificiae dignitatis fastigium evector fuit, quum jampridem in Collegium Canonicorum adscriptus, *veteris Sacrarii* humilitatem, atque angustias, ne dicam squalorem, ac sordes exspertus esset, novi aedificium secum mente agitare, ac quodammodo delineare incoepit. Itaque in hanc cogitationem intentus, accitis undecumque peritissimis Architectis, Philippo Ivara¹, Nicolao Michetti, Dominico Paradisi, Antonio Canevara, Antonio Valerio, et Laelio Cosatto, alias, atque alias *Sacrarii* formas delineandas, modulosque multos effingendos curavit, qui etiamnum adservantur in Hemisphaerio octogono, supra Cellam *S. Michaelis*, quò haud ita pridem translati sunt, ex altero, Cellae *S. Leonis* super imposito. Verum *Clemens* gerendae rei difficultate, atque impensae magnitudine deterritus, sese a proposito abstinuit, eo uno contentus, ut si minus *Sacrarium*, saltem Armarium ingens e nuce² construendum curaret, ubi aurea, et argentea *Sacrarii* cimelia commodius, ac tutius in posterum servari possent.

Clemens XII., ut Decessoris sui studium aemularetur, tantam aedificationem moliri vehementer exoptavit. Ita-

¹ Elogio del Sig. Abate Filippo Ivara. nel T. III. delle Osservazioni letterarie. Verona 1738. 8. pag. 193, e nelle Vite

de' più celebri Architetti. Roma 1768. 4. pag. 410, e in Parma 1781. 8.

² V. p. 1329.

que insigni Architecto Alexandro Galilei ¹ commisit, ut modulos omnes jam effectos, attente, ac diligenter inspiceret, quemque ceteris pro sua peritia antefendum duceret, una secum deinde communicaret. Praeterea in hujusce rei consilium avocandos constituit Patres Cardinales quinos, ac Praesules quaternos, qui Galilei relata expenderent. Exstat adhuc in Tabulario Vaticano peritissimi Architecti judicium, quod ab humanissimo, ac nunquam satis laudando PONTIFICE, mirae benignitatis exemplo, mihi traditum, lectoribus, totum quantum est, subjiciendum duco ². Verum Galilei consilium, etsi nonnullis arrisisset, nunquam tamen coeptum est.

1 V. ejus Vit. apud Cl. Franc. Milizia nelle Vite de' più celebri Architetti.

2 Enni, e Rni Sig. Essendomi, nel mese di Dicembre trascorso, comandato dalla Santità di Papa Clemente XII. nostro Signore, che osservassi il modello stato già fatto, per restaurare, et ornare la Sagrestia, che hanno presentemente i Rni Canonici, e Beneficiati della Basilica di S. Pietro, acciò potessi riferire alla Santità Sua il mio sentimento: che perciò portatomi dall' Enno Sig. Card. Albani Arciprete della d. Basilica, fecemi con somma sua benignità vedere il soprad. modello, et insieme l' E. S. si degnò palesarmi alcune difficoltà, che intorno al med. aveva, alle quali avendo fatta seria riflessione, ed essendo stato più volte ad osservare il sito della Chiesa, e dell' esistente Sagrestia, nacquemi nuovo pensiero nella mente, il quale comunicato a nostro Signore, et all' Enno Arcipr., si degnarono commetterne i disegni, i quali dovendo adesso porre sotto gli occhi purgatissimi dell' EE. VV., ho stimato mio debito esporgli il mio parere in questi fogli, sì per dilucidare

più facilmente la materia ancora, come per ribattere qualche difficoltà, che potesse oppormisi.

E' certo, che il più ragguardevole della stupenda Fabbrica di S. Pietro è l'ornato della parte esteriore, fatto con il disegno di Michelangelo Buonaroti, il quale si deve con ogni sforzo procurare di render libero, e patente agli occhi d'ognuno; per far la qual cosa è necessario il demolire il Tempietto al medesimo contiguo, che ora serve di Sagrestia, osservandosi tal essere stata l'intenzione del medesimo Michelangelo, poichè dietro al sud. Tempio, si vedono ancora tutti gli ornati di Travertino, come cimasi, e basamenti de' Piedestalli; le quali cose fanno manifestamente conoscere l'intenzione, ch' egli aveva di demolirlo.

Ed invero, io stimo questo necessarissimo; poichè questa Sagrestia così congiunta, e attaccata alla Chiesa, grandemente deturpa la più bella parte di essa, e sembra appunto, qual deforme escrescenza in un bel Corpo. Che se poi pretendessero incorporarla alla Chiesa,

Stetit itaque, ad haec usque tempora, vetus quaecumque *Sacrarium*. Advenis autem, Convenisque Templi

ornandola, e accrescendola, allora tanto maggiormente sarebbe per apparire questo gran difetto, il quale vien meno considerato, poichè ognuno argomenta esser quella un' antica fabbrica da demolirsi, come già successe ad altro, a lui contiguo Tempietto, dedicato a S. Maria della Febbre, (*S. Petronilla*) e che solamente è stato lasciato in piedi per modo di provizione, fino, che sia edificata la nuova Sagrestia.

Ammesso dunque, che necessariamente per il decoro della Basilica, vada demolito questo Tempio, devesi pensare, ove possa la nuova Sagrestia essere collocata. Considerava, che in qualunque luogo questa si edificasse disgiunta dalla Chiesa, si doveva poi, per darle la comunicazione, irreparabilmente con la medesima congiungere, o con Portici, o con Gallerie, quali ancora essi avrebbero occupata l' intera esterior veduta, oltre all' incomodo, attesa la distanza, che avrebbe provato il Clero nel venire nella Chiesa.

Riflettendo io a tuttociò, non ho stimato miglior sito per fabbricar questa Sagrestia, di quel che sono per esporre all' Eme Vostre. Poichè osservando, che la linea perpendicolare tirata dall' angolo esteriore del Pilastro del primo risalto della Cappella Clementina, segnato nella Pianta con la lett. A. cade appunto nel mezzo del Pilastro del vestibolo sotto al luogo del Campanile, il quale resta dalla parte del Carlo Magno segnato B., viddi, che per trovare opportuno sito alla nuova Sagrestia, non devesi far altro, che dal mezzo di questo Pilastro, fino alla metà del Pilastro C. del 2. risalto, che forma la Cappella, dove officiano

i Sig. Canonici, tirare su una muraglia B. C., che sia alta, quant'è tutta l'altezza del Tempio, e poi levar con diligenza tutto l'ornato di Travertini, ch'è nel muro della Chiesa segnato D. E., i quali componendosi, si dovranno rimettere in opera nella parte esteriore della nuova muraglia B. C. e così l'area superficiale dello spazio quadrilatero, che rimarrà fra la nuova, e vecchia muraglia, sarà la nuova Sagrestia, con tutte le sue appartenenze.

In questo spazio adunque noi potremo cavare la Sagrestia, la quale verrà lunga palmi 165. e larga palmi 56. non comprese le grossezze della muraglia. La Sagrestia verrà al piano della Chiesa, facendosi sotto alla medesima un ricetto per trattarsi i Servitori, oltre il comodo grandissimo di guardarobbe, e stanze. Tanto i Sig. Canonici, quanto i Beneficiati avranno separata Sagrestia, con tutte le loro appartenenze, siccome gli altri Sacerdoti avranno il loro vestiario a parte, come benissimo dalle mie Pianta potranno riconoscere l' Eme Vostre. Tre saranno i passi, che dalla Sagrestia porteranno alla Chiesa; il primo sarà per il voto della seala a lumaca, la quale potrà levarsi, giacchè per salire sopra alla Chiesa ve ne restano altre quattro; l'altro sarà comodissimo, giacchè sarà immediatamente nel Coro; e il terzo sarà per la porta, che rimane incontro al deposito d' Innocenzo VIII, il quale resterà più comodo per andare i Sacerdoti a tutti gli Altari della Chiesa. Resta inoltre libero il passo alle Carrozze, come vi è presentemente; sicchè potranno i Sig. Canonici smontar sotto al coperto, e salir sopra la loro scala alla Sagrestia,

amplitudinem admirantibus, ac *Sacrarii* exiguitatem objectantibus, illa una erat ad pudorem minuendum apta

dalla quale sopra altra comoda scala potranno passare a godere di tutti que' comodi, che le mie Pianta accennano, secondo il loro desiderio, e nota, che mi è stata data.

E siccome è necessario accompagnar l' altra parte della Basilica, che guarda la Scala regia, considero, che vi è sito bastante da poter far ciò, e dentro pottrassi cavare una Camera per adunarsi i Sig. Cardinali in tempo di Sede Vacante, siccome altra Camera per trattenerne gli Ambasciatori in detto tempo; quali Camere potranno ancor servire per spogliatorio di N. Signore, quando fa funzione nella Basilica, oltre molti altri comodi di Archivj, ed altro, che potrà cavarvisi.

Tutto questo, che ho esposto all' EE. VV. si puol eseguire (il che è molto considerabile) con una spesa assai ragionevole, giacchè non devesi tirar su altro, che una muraglia semplice; imperciocchè i Travertini, che devono coprirla, sono tutti lavorati, e questi sarebbero la maggiore spesa, per i quali non vi è altra spesa, che doverli calare.

Molte sono le obbiezioni, che a questa Fabbrica potrebbero farsi. E primieramente che col rimuoversi questi Travertini possa la Chiesa patire, e che i Travertini nel calarli possano andar a male, e così guastarsi un'opera così bella. Al che rispondo, che le mura di S. Pietro sono tutte stabilmente fabbricate di tavolozza, e i Travertini, i quali esteriormente la ricoprono, non sono altro, che una semplice incrostatura, come tutti gl' Intelligenti potranno riconoscere, e non sono collegati con la muraglia; onde il levarli in verun conto può pregiudi-

care alla Chiesa, poichè le mura non si devono tormentare per scomporli, giacchè dalli primi pezzi di giù, si alzano, e levano, e vengono via da per se stessi: in quanto all'ordine di rimetterli in opera, e al pericolo, che siano danneggiati nello scendere, che si farà da' medesimi al piano, facilmente si potrà rimediare con contrassegnare con numeri tutti i pezzi per poterli rimettere al suo luogo nella nuova muraglia. Per scenderli poi conservati, la fabbrica di S. Pietro ha uomini di tale sperimentata diligenza, e attitudine, che dalla loro abilità uno si puol compromettere ogni cosa.

Potranno secondariamente opporre, che con far questa Fabbrica, sia un variar l' idea di Michelangelo: ma com'è ben noto all'Enze Vre, Michelangelo non fece il pezzo di Fabbrica, che noi tocchiamo; poichè la sua intenzione si era di far la Basilica di S. Pietro in forma di Croce Greca; ma essendo egli morto con lasciar l'opera imperfetta, al tempo di Paolo V. Carlo Maderno volse ridurla in Croce latina, onde restrinse la Basilica nel suo fine, nella forma che presentemente sta. Il che non credo certo, che Michelangelo, se fosse stato vivo, avrebbe permesso, giacchè con questo restringimento, si leva qualche poco di quel bello, che io con la fabbrica della Sagrestia, e con il venir fuori delle muraglie spererei potergli rendere.

Parimente potrebbe opporsi, che serrandosi la luce dell'Arco del Portico verso la parte di Ponente, si tolga molto lume al medesimo Portico; al che rispondesi, il Portico non aver bisogno di lume da questa parte, giacchè ne riceve sovrabondantemente dalla parte

excusatio, meris exstruendi *Sacrarii* descriptionibus jam tum impensa esse aureorum ad triginta milia. Sed quam-

d'avanti, il che osservasi dalla parte del Costantino, ove una buona parte della luce di quell'Arco è murata, e pure il Portico resta luminosissimo; sicchè niente deturperà il detto Portico il sersarsi nella sua estremità quell'Arco, poichè il fondo del med. sarà ornato, conforme le parti laterali, e corrisponderà al rimanente del sudetto Portico.

Finalmente la maggiore obiezione, che addur potrebbesi, sarebbe, che con questa Fabbrica si porti via il lume alle Cappelle del Battisterio, e della Presentazione. Alle quali cose ho già pensato il rimedio; poichè le dette Cappelle prendendo lume alto, e di sopra in giù, e siccome la parte superiore della nuova Fabbrica deve tutta restare aperta, e l'altezza delle Sagrestie non deve superar le soglie de' finestroni della Chiesa, anzi ivi si deve fare una terrazza scoperta; ed inoltre le luci esteriori de' finestroni spogliate, che saranno de' Travertini, resteranno molto maggiori di quello sono presentemente, tanto più che le muraglie d'contro saranno in distanza tale, che non potranno impedire il lume, anzi facendole tutte imbiancare, dovrà quel bianco riflettere maggior lume nelle luci de' finestroni della Chiesa, e così render più luminose, assai di quello presentemente siano, le sopradette Cappelle.

Risposto alle obiezioni, che credo potessero farsi, merita ancora moltissima considerazione, Eñi Signori, il beneficio grande, che si contribuisce alla Chiesa, col fabbricar in questo luogo, e in questa forma la Sagrestia, perchè essendo questa la parte del Tempio, che ha patito, vedendosi ancora nel muro della

Basilica vicino all'angolo del Campanile le fisure, quindi è, che con la gran platea, che bisogna farvi sotto, e con l'alzare quella muraglia unita, e collegata colle vecchie, si verrà a rinforzare, e assicurare tutta quella parte, in maniera che volendo poi in progresso di tempo alzarvi sopra il Campanile già dal Cav. Bernino fatto, si potrà senza timore, e con molta facilità farlo.

Per le ragioni dunque sopra espresse, si fa chiaramente vedere, che questo è l'unico sito, e il vero modo di fabbricar la Sagrestia di S. Pietro, senza deturpare l'Architettura di quel famoso Tempio, cavandovisi tutti i commodi necessari, e ancora di più, come con il disegno alla mano veder si puole, accrescendosi con la medesima comodità, bellezza, fermezza, e grazia alla Chiesa, siccome la dotta mente dell'EE. VV. e da' disegni, e da questi miei fogli osservar potranno.

Inoltre si aggiunge, che la Fabbrica sopradetta della nuova Sagrestia si dovrà principiare, quando la Fabbrica di S. Pietro sarà in stato di poterla continuamente proseguire fino al suo termine, senza veruna interposizione di tempo, e il metodo da tenersi nell'esecuzione della medesima sarà quello di gettar prima la Platea da' fondamenti con tutte le sue Chiaviche, e scoli per cavar bene le acque, e questa lasciarla per qualche poco tempo riposare, e di poi alzarvi sopra tutta la muraglia esteriore, e nell'istesso tempo andar calando abbasso tutti i Travertini, i quali appena terminata, si dovranno subito riportare nella nuova muraglia colla maggior sollecitudine per rimuovere quella deformità, che potrà

vis ex hujusmodi responso agnosci posset, quale id opus futurum esset, si tandem aliquando fieret, tamen factum nemo videbat; ac solummodo in exspectatione, votisque hominum erat.

C A P V T II.

De novo Sacrario a Pio VI. e fundamentis erecto.

DEI O. M. concessu, atque munere, Pio VI. destinata ista erat, ac quodammodo desponsa Provincia, quem iis dotibus ornavit, iis praesidiis instruxit, eo animo, ea experientia rerum, ea denique sapientia, ac pietate cumulavit, quibus factum est, ut quum non unus tantum munus insistere vellet, unus posset. Is enim recte agnovit, quam praeclarum, quam exspectatum, quam ex omni parte necessarium hujusmodi opus esset.

apparire nella Fabbrica di S. Pietro, fin' a tanto, che li Travertini non saranno tutti rimessi in opera. Questo è quanto, secondo gli ordini di Nro S. si dà l'onore di significare all'Enze Vre, a' supremi comandi delle quali umilmente si sottopone

Alessandro Galilei.

Mss. annexa est. Ichnographia Templi S. Petri in Vaticano ex modulis Bramantis, et Michaelis Angeli Bonarotae, qui Crucis formam quadripartito praescripserunt, tribus deinde additis utrinque Cellis, cum Porticu, seu Vestibulo, a Karolo Maderno Architecto.

C Sito per la nuova Sagrestia lungo palmi 165. largo palmi 70.

B Dall'altra parte sito per le stanze de' Signori Cardinali, in tempo di Sede

vacante, e per trattenerne gli Ambasciatori.

Alla Sagra Congregazione deputata da Nro Signore. Monsign. Sinibaldi Segretario. Emi, e Rmi Signori Cardinali Barberini, S. Clemente, Pico, Giudice, Corsini, e Monsign. Riviera, e Canonico Ricci. Per la Fabbrica della Sagrestia di S. Pietro.

Die Dominica 13. Julii 1732. hora 21. cum dimidio fuit Congreg. in Aedibus Emi, et Rmi D. Card. Barberini, cui interfuerunt EE. et RR. DD. Cardinales Barberinus. Annibal Albanus Praef. Fab. S. Petri. Picus. Iudice. Corsinus. RR. PP. DD. Sinibaldus Secretarius Fab. S. Petri. Herculanus. Ioan. Andreas Riccius Can. S. Petri. Ego Dominicus Riviera Can. S. Petri.

§. I.

*Rationum momenta, quae Pontificem M. ad hujusmodi
exaedificationem impulerunt.*

Quidni? quum *Bas. Vat. Sacrarium*, praeter pios, sanctosque usus, quos ceteris communes fuisse vidimus, multos praeterea sui proprios, ac peculiare habeat, singulari cultu, ac reverentia dignissimos, qui idem reliquis illustrius, ac spectabilius efficiant? Nam, ne quid dicam de *Reliquiarum* Thesauro, qui ibidem usque hactenus adservatus fuerat, adjectoque selectissimo Tabulario, cujus supra ¹ descriptionem dedimus, sinu veluti suo complecti debet, non modo omnes Ordines Cleri Vaticani, qui constant, uti vidimus ², ex Cardinali Archipresbytero, Antistite ejus vice, xxx. Canonicis, xxxvi. Beneficiariis, iv. Capellanis Innocentianis, ac xxvi. Clericis Beneficiariis, verum etiam omnem Aedis Familiam, nimirum binos *Sacrarum*, totidemque Subselliarii Cemeliarchas, duos Mansionarios, xii. Acolythos, xx. spe Clericos, pluresque Aeditumos minores, praeter Alumnos Ephebei Vaticani, Juventutis Romanae ad sacra instituentiae, qui singulis Festis, statisque diebus, Subselliis intersunt, xviii. Musicos, Phonascum, ac vi. Capellanos.

Praeterea quotannis, tertia die supplicationum ad Caeli intemperiem averruncandam, pridie Festum D. N. J. in Caelos adscendentis, ab Aede Laurentii, et Damasi ad Curiam Riariam, in Vaticanum pompa ducitur, ac Presbyteri in *Sacrarum* Quaestorem annalem creant ³, qui

¹ pag. 898. 915.

² pag. 1408.

³ Statuta antiqua de officio Camerarii

Cleri Romani, et juribus funeralibus Ecclesiarum, praesertim Parochialium

Almae Urbis. Romae 1618, 1707, et 1735-4.

alternis solet esse unus ex Urbis Curionibus, aut ex Canonicorum Collegiis, quae iccirco *Collegiatae* vocant.

Illuc etiam cogitur, ad festos Psalmorum cantus, Patrum Cardinalium Senatus, secunda Vespera Festorum Cathedrae, ac diei Natalis Petri, et Paulli Apostolorum, Propugnatorum Urbis, ac diei, qua Templum dedicatum est¹, itemque die octava Festi sacratissimi Corporis D. N. Jesu, qua Pont. Max. sollemni pompa Sacramentum augustum, una cum iis, comitatur. Iamdiu enim desuevit usus pari modo Basilicam adeundi, Vespera secundi Festi Paschatis, qua Caelitum SS. Reliquiae, quae in Basilica adservantur, Populi frequentiae, piisque supplicationibus patent.

Ibidem etiam quotannis fit eorum conventus ad Parentalia Pontificum Maximorum, quae in Templo Vaticano, stans diebus, instaurantur, excitato contra Cellam Subseliarii, atrati Feretri Tribunali, facibus collucente, ac titulis, picturisque exornato; donec vel Cardinalium aliquis ab iisdem in Collegium adscitus, vel nonnemo ex eorum Gente, sacro Senatui adscriptus vivat.

1 De Ecclesiae dedicatione, seu consecratione legesis Bellarminum lib. 111. de cultu SS. cap. v. Franc. Turrianum lib. 11. pro Epistolis Pontificum c. XIX. et XX. Iosephum Thomasium in T. VI. edit. Vezzosi. Turrino Consecratione delle Chiese. Guastalla 1685. 4. Franc. Ferrari della Consecraz. delle Chiese. Cremona 1594. 8. Sarnelli Lett. Eccl. Tom. VII. della dedizione della Chiesa, e de' suoi misteri p. 65. Ioh. Franc. Ceccoli il sacro rito di consacrare le Chiese. Roma 1728. 8. Franc. Mar. Galluzzi il rito di consagrare le Chiese colla sua antichità, significato, convenienza, prerogative, e motivi di rispettarle. Ro-

ma 1759. 8. Bened. XIV. Lettera sopra la Consecrazione della Chiesa Metropolitana di Bologna 1756. fol. Matthiam Hager de dedicat. Templ. Hauniae 1719. 4. Iac. Ovvenum in Hist. Consecrat. Templ. et Altarium. Lond. 1706. 4. Bened. Pictetum de Templis, eorumque dedicatione. Genevae 1716. 12. Frid. Scherer de Encoeniis. Argent. 1754. Dan. Lundium de Encoeniis Templ. Vrsal. 1706. 8. Caveum de Encoeniis, seu de ritibus Templi consecrandi. p. 150. Dav. Blondelli de Episc. et Presbyt. p. 263. 287. Cent. Magdeb. Cent. IV. c. VI. V. 16. Godfr. Siberi Scheoiasma de Templ. condendorum, ac dedicandorum ritib. Lips. 1716. 4.

Ac demum Interregni tempore , ibidem Regiorum Orationum , et Senatus Romani obsequia praestolantur ; atque a quarta die Novendialium , usque ad postremam , de rebus publicis ibidem deliberant .

Itaque , ne diutius aptior , ac decentior , tot , tantisque rebus obeundis locus deesset , magnanimus PONTIFEX , opera publica a *novvo Sacrarior* Templi Vaticani , faustis , fortunatisque auspiciis exordiri deliberavit .

§. II.

*Templi rotundi , Aediumque continentium dejectio ,
et primus lapis ad fundamentum novi Sacrarii .*

Ac primum huic tantae , tamque arduae molitioni navum , atque industrium Architectum quaerens , reliquis omnibus , qui in Vrbe , bonarum artium parente , atque altrice florebant , praetulit Karolum Marchionnum Romanum , Anconitani Portus substructione celeberrimum . Is quanta maxima potuit cura , ac diligentia , modulum effinxit , ac Pontifici detulit , qui eum probavit .

Atque , ut statim manus operi admoveretur , solo aequari jussit , non modo *vetus Sacrarium* , verum etiam plures Aedes in proximo , ut amplior area pateret , ad novum , multo augustius , ac sumptuosius ex integro aedificandum .

Quod fieri coeptum est prima die mensis Julii , anni MDCCCLXXVI , qua in ingenti ista , vastaque aedificatione , quam jamdiu profligatam , affectamque intueri licet , infinita propemodum Fabrum , Artificum , Operarumque vis , multitudoque occupata fuit . Tunc enim Aedium contra *Sacrarium* ¹ , ac Templi continentis *S. Stephani*

¹ Tab. III. n. 25. Tab. v. litt. C. D.

Hungarorum ¹ inchoata fuit dejectio ; tanti operis , ac molitionis veluti strepitu admonitis , atque excitatis Incolis , Advenisque , illuc quotidie convenientibus .

Sub Aede S. *Stephani* perantiquum Coemeterium repertum fuit , sacris imaginibus pariete depictis undequaque exornatum , quod Hungarorum excipiendis exsuviis , qui in contiguo Nosocomio vita fungebantur , antiquitus usui fuisse , nemo dubitarit .

Area ingentis Aedificii laxata , die xxI. Septembris , Pontifex munificentissimus , injectis in fundamenta stipibus A. A. A. Lapidem sacrum auspicalem statuit , sollemni ritu ² . Lapidem hujusmodi inscriptio erat insculpta . Verba erant Cl. Jos. Spallettae , Beneficarii Bas. Vat. et Scribae Librarii , graeci idiomatis , in Amaltheo Vaticano .

EGO . PIVS . CATHOLICAE . ECCLESIAE
 EPISCOPVS
 ANTEA . IOHANNES . ANGELVS
 TIT . S. ONVPHRII . PRESBYTER
 CARD. BRASCHIVS . CAESENAS
 ABB. SVBLACEN .
 PRIMVM . HVNC . LAPIDEM
 IN . FVNDAMENTA . NOVI . SACRARI
 IACIENDA
 SANCTISSIMIS . CAEREMONIIS . EXPIATVM
 DEPOSVI
 X. KALEND . OCTOBR. MDCCLXXVI
 PONTIFIC. ANN. II.

¹ Tab. II. n. 26. Tab. v. litt. E. F.
² De ritu primum lapidem fundamenti sollemniter ponendi in aedificiis publicis peculiarem libellum edidit Kar. Ancillonius . Berolini 1701. 8. de quo Novellae

Reip. Liter. 1701. Tom. II. p. 457 , et Georgius Eccartus in excerptis librorum mensuris editis anno 1704. De hoc argumento etiam consuli possunt Eucherologium a Iacobo Goaro editum , quod

Heic autem religio mihi sit praeterire alteram Inscriptionem, quam in idem argumentum adornavit doctissimus Steph. Ant. Morcellius, suaeque latinarum Inscriptionum Coronae pellucidulam veluti gemmam interseruit. En tibi illam ^r.

PIVS . VI . BRASCHIVS

PONTIFEX . MAXIMVS

X̄ . KAL . OCT . ANNO . D . N . MDCCLXXVI .

PONTIF . II .

DEVM . OPTIMVM . MAXIMVM

PALAM . POPVLO . ROMANO

PRECATVS

VTI . CAEPTA . PROSPERARET

SPATIVM . SACRARIO . NOVO

TEMPLI . VATICANI . EXCITANDO

SOLLEMNIBVS . CAERIMONIIS

DICAVIT

INIECTISQVE . IN . FVNDAMENTA . STIPIBVS

AERIS . ARGENTI . AVRI

LAPIDEM . SACRVM . AVSPICALEM

TANTORVM . OPERVM

STATVIT

Numismatum Capsula propter lapidem collocata fuit, quorum unum antica fronte, Pontificis paludamento in-

exhibet officium in fundamento Templi porendo p. 606. Damascius apud Photium in Bibl. p. 1047. Ficoroni Piombi Antichi. Roma 1740. 4. p. 5. Theodorus Hasaeus in diss. de Lapide fundamenti, cui olim arca foederis imposita fuit. Ioh. Clericus in Genes. xxvii. 18. Fortunatus Scacchus in Sac. Elaeochrismatum Myrothecio II.

c. 24. Ioh. Conr. Steph. Hoellingius in diss. de Baetyliis Veterum, sive lapidibus, unctione Numini consecratis. Groningae 1715. Lips. 1724. Breae 1729. Steph. le Moyne ad Varia Sacra p. 569. I De stilo Inscriptionum Latinarum. Romae 1781. 4. pag. 293. Inscriptiones Commentariis subjectis. ibid. 1783. 4. p. 27.

duti, ac tiara redimiti effigiem praeseferebat. In postica vero legere erat.

VT . VOTA . PVBLICA
IMPLERET
NOVI . SACRARI . VATICANI
FVNDAMENTA . IECIT
DIE . XII . SEPTEMBRIS
MDCCLXXVI.

atque in exergo

PIVS VI. PONT. MAX.

§. III.

Monumenta detecta, hujus demolitionis causa.

Dum *Sacrarii* fundamenta eruerentur, die VII. Novembris, anno MDCCLXXVI. effossa fuit vetus Inscriptio Christiana, quae ceteris fortunatior appellari jure potest, quod omnium prima, quae hujus aedificii causa in lucem prodierunt, peculiariter fuerit illustrata ab eruditissimo *Cajetano Migliorio* ¹. Eadem sors obtigit alteri Inscriptioni, ibidem detectae *Antonii de Vetulis* Antistitis, ac Principis Firmani, quam *Michael Catalanus* in elegantissimo ejus vitae Commentario in lucem edidit ².

Interim, in dies appropinquante Aedis rotundae dejectione, prima die Julii, anno MDCCLXXVI, in Templo Vaticano ligneum sepimentum, opere subitario, construi coeptum est, quod *veteris Sacrarii* jam jam solo aequandi vicem referret. Ejus vero ambitus Cellas SS. Leonum, B. V. de Columna, B. Petri sanitatem Claudio impertien-

¹ Nella raccolta degli Opuscoli scientifici, e letterarj di Ch. Autori Italiani. Ferrara 1779. T. I. p. I.

² de Ecclesia Firmana, ejusque Episcopis, et Archiepiscopis Commentarius: Firmi 1783. 4. p. 228.

tis, et Alexandri VIII. Mausoleum inclusit, usque ad Ostium, per quod ad S. Marthae aditus patet, nobilissimo Alexandri VII. sepulcro insigne.

Temporarium hujusmodi *Sacrarium*, die xiv. ejusdem mensis, totius Cleri Vatic. commodo patere coepit, qui a veteri sede, postremum salve, et vale dicto, recedens, illuc migravit. Quumque Joh. xxi, et Nicolaus III. lege sanxerint, a Bzovio ¹, et a Bullarii Vaticani editoribus ² allata, ne quisquam e singulis ejus Ordinibus pedem in Templum inferre possit, nisi veste Subseliarii propria indutus, iccirco PONT. MAX., cunctis Ordinibus Cleri Vaticani potestatem indulsit ³, ingrediundi Basilicam per januam lateralem, e regione S. Marthae, absque eodem vestimento, in continenti *Sacrario* statim induendo, quoties Templum iis adeundum esset.

Die xxvii. a Georgio Maria de Lascaris, Patriarcha Hierosolymario, vice sacra Cardinalis Archipresbyteri, trigeminae veteris *Sacrarii* Cellae, nimirum S. Clementis, SS. Cosmae, et Damiani, ac Reliquiarum exauguratae fuerunt, locusque omnis rotundae Aedis religione liberatus ⁴. Postrema vero die ejusdem mensis, e Canonico- rum, et Beneficiariorum sepulcris extracta fuerunt Ca-

1 T. xii. col. 896. 2 T. I. p. 170, et 192.

3 Henricus miseratione Divina Episcopus Tusculan. Cardinalis Dux Eboracen. S. R. E. Cancellar. Basilicae Pnps Apostolor. de Vrbe Archipresbyt. etc. Vigore facultatis a SSmo Dño N. Pio PP. vi. nobis tributa, introscriptis Oratoribus Canonicis, Beneficiatis, et Clericis Beneficiatis SS. Vatic. Basilicae, itidemque Capellanis a fe. re. Innocentii PP. viii. institutis, eorumque omnium nunc pro tempore Coadiutoribus permitimus, et indulge-

mus, ut ipsi, durante novi *Sacrarii* fabrica, et non ultra, per lateralem Templi Januam ingredi possint, et valeant, recta autem, et absque ulla ad aliam dictae Basilicae partem diversione, ad provisionale *Sacrarium* accedant absque Choralibus habitu, pro assumendo habitu pred. cum quo divinis officiis, aliisque de more functionibus interesse debebunt. Non obstantibus. etc. Dat. xii. Junii an. 1777. 4 de exauguratione Templorum. V. Rupertum ad Florinum pag. 128.


davera , quae ibidem quiescebant , ac in Cryptas Vaticanas translata .

Ac demum, die viI. Augusti, *veteris Sacrarii* eversio est inchoata . Ac licet continua cuniculorum ope uterentur , nonnisi bimensis spatio , solo aequari potuit . Quapropter, die Dominica , prima Octobris, PONT. MAX. albis sejugibus vectatus , ad Basilicam Vat. absque ullo impedimento , sese primum conferre potuit , per eum locum , qui Sec. xII. intervallo , ut supra ¹ demonstravimus , a Templo rotundo a *Symmacho* erecto occupatus fuerat .

Dum heic igitur fundamenta eruerentur, die xII. Octobris , reperta fuit Inscriptio profana *M. Munatii* . Aliis vero diebus , in apricum prolatae sunt geminae Inscriptioes Christianae *Iobannis* , et *Titiani* , praeter Sarcophagum parii marmoris , opere anaglyptico , ac filicato , Bacchanale praeseferens , miro artificio elaboratum , quod ad hanc editionem nobilitandam , aere exprimendum curavimus . Binae osseae formae intus inclusae , in proximum Coemeterium Campi Sancti illatae fuerunt , quod item paullo ante magnificis operibus excolendum curaverat PONTIFEX munificentissimus , ut constat ex Inscriptioe , quae ibidem legitur .

PIVS . SEXTVS . P. M.
TEVTONVM . ET . FLANDOR.
COEMETERIVM
IN . ELEGANTIOREM . CVLTVM
RESTITVIT . A . PONT. VI.

Hunc loculum ex iis , qui *Bisomi* dicebantur , quod duo *Somata* , sive Corpora continerent , fuisse liquet . *Biso-*



Sarcophagum Bisomum, opere anaglypho, et filicato elaboratum, Bacchianale praeseferens, e fundamentis veteris Sacrarum eductum, et in Museum Pium Clementinum translatum

Adelphi del.

Carlotti inc.

mum namque, sive *Disomum*, duorum Corporum erat Sepulcrum, ut trium *Trisomum*, quattuor *Quadrisomum*, aut *Tetrasomum*. Haec autem indicatio praesertim in Sepulcris Christianorum affigebatur, ut ita Corporum ibidem depositorum numerum declararent¹. Etsi vero plura simul eodem tumulo inferendi Corpora mos esset, ita tamen ponere, ut unum alteri substerneretur, minime fas erat. Id enim vetitum fuerat, ut patet ex Canone xv. Concilii Antissiodorensis. *Non licet mortuum super mortuum poni*. Quod etiam alibi confirmatum fuit². Verum eo ordine collocabantur, ut loculi in duo, tria, aut quattuor membra, seu partes divisi, Corpora separatim exciperent, quae loco discreta, sibi invicem succedebant. Minime enim mortuos inquietandos existimabant.

Anno MDCCLXXVII, die VII. Februarii, plane absoluta fuerunt fundamenta, ac die IX. aedificii solum sternere coeperunt. Dum vero intercapedo construeretur, die IV. Junii, inter veteris Templi rudera, *Fratrum Arvalium Fragmenta* egesta sunt, quae semel, atque iterum praestantissimus *Cajetanus Marinius* publici juris fecit. Quae quidem omnia, aliaque plura ibidem

1 Ammonius de SS. Monachis Synaitis p. 129. Greg. M. lib. III. Dialog. c. XXI. Aringhus in Rom. Subt. T. J. I. I. p. 140. et lib. IV. c. XXXVI. p. 216. T. II. Rom. Subt. Rosius Rom. Subt. lib. III. c. XXI. p. 216. Sertorius Ursatus de Notis Rom. Patavii 1672. fol. et in Tom. XI. Thes. Graevii p. 574. Boldetti lib. I. cap. II. p. 6, et cap. xv. p. 65. Bottari Rom. Sotterr. p. 8, et II. Bonaroti Prefaz. a certi frammenti di Vasi di vetro. Reinesius Inscript. class. II. n. XL. XLIII. CXVI. CDXXXVII. CCLXXIX. clas. XX. num. XI, et CCCLXIV, et CCCXLIV.

Pitiseus Lex. in Bisomum, et Disomum Gruter. DCCLI. num. 11. De Vita Ant. Benev. class. IX. num. 11. Ducangius in Glossario med., et infim. Latin., et in Glossar. med. Graecitatis in *τρίσωμον*. Fabrettus Inscript. Domest. cap. VII. p. 571. Gutherus de Iure Vet. Pont. I. I. c. XXIV. Iac. Sponius in Itiner. T. III. pag. 13. Salmasius ad Solinum p. 1207. Mamachi Orig. Christ. T. III. p. 18. 39, et 161.

2 Conc. Matic. II. cap. XVI. Statuta S. Bonifacii Archiep. Mogunt. cap. XIX. Capitul. Karoli M. lib. VI. c. cxcv.

detecta, in *Sylloge veterum Monumentorum*, ad operis calcem exhibebimus.

Eodem anno, die vi. Novembris, fodiendo reperti sunt tres loculi, quorum unum senioris Cardinalis Barberini ossa servasse conjecerunt, ex quibusdam laciniis violaceae vestis, et Cruce pectorali, quae ibidem inventa sunt.

C A P V T I I I .

Descriptio partium externarum novi Sacrarii, et utriusque Ambulacri, quo Templo conjungitur.

Interea quotidie magis augusta moles, strenue properata, sese e solo attollebat, ac quinquennii spatio ad fastigium feliciter educta fuit. Itaque ejus descriptionem exordiamur.

Aedificium, totum quantum est, mira firmitate, et crassitudine, summaque elegantia elaboratum est ex marmore tiburtino, ex quo item sunt xxvi. Columnae, quibus extra praecingitur, praeter alias xxxiv. marmorum peregrinorum, multo nobiliorum, quibus intra adornatur.

Ambitu suo continet *Sacrarium majus*, quod *commune* nuncupatur, quodque unum, Templi rotundi solo dejecti amplitudinem, non modo exaequat, sed etiam vincit; atque hinc inde *Sacraria Canonorum*, et *Beneficiorum*, geminis Cellis instructa, praeter Conclavia, quorum unum *Capitulare*, alterum *Clericorum Beneficiorum* appellant, *Archivum*, *Promptuarium*, Aedemque amplissimam, quinque contignationes, aut Cubiculorum or-

dines habentem , *Canonicorum* , aliorumque hospitio , mancipatas .

Exterior totius aedificii altitudo , a viae solo ad primi septi super Ordinem Doricum impositi cymatium , constat palm. LIV ; usque ad cymatium secundi septi , quod super duos Ordines Doricum , et Ionicum versatur , palm. CIV ; usque ad coronam Aedium *Canonicorum* palm. CLXXIV ; ac demum usque ad Crucis fastigium , Hemisphaerio super impendentis , palm. CCXV .

Quod vero spectat ad ejus latitudinem , ab arcu ad Arcum utriusque Ambulacri , protenditur usque ad palmos CLVI ; a latere , quod Soli Orienti obversatur , usque ad Occasum , a janua ad januam , palm. CCXVIII . ; ab ecphora , sive prominentia , quae oritur e Cella *Sacrarii* *Canonicorum* , ad alteram alterius Cellae *Sacrarii* *Beneficiariorum* , palm. CCLXXVIII ¹ .

Longitudo a prospectu inter duplex Ambulacrum ad Aquilonem , usque ad terminum Aedificii , versus meridiem , constat palm. CCLXXXVIII , et ab initio eorundem Andronum Templo Vaticano continentium , pal. CCLXXII ² .

Nunc autem singulas universae molis partes perlustremus . *Sacrarium* , duplici inaedificato Ambulacro productum , Templo jungitur . Eorum unum per duos arcus e *Canonicorum* *Sacrario* viam sternit in Subseliarium . Eorum primus exhibet hujusmodi Inscriptionem , in angularibus superioris Septi Acroteriis , gemino Insigni Pontificio hinc inde stipatam .

¹ Tab. vI , et viI . litt. T. V.

² Tab. vI , viI , et viII . litt. L. M.



QVOD
 PRO . VATICANI . TEMPLI
 MAIESTATE
 VOTA . PVBLICA
 FLAGITABANT
 PIVS . SEXTVS . PONT. MAX.
 COEPIT . PERFECITQVE
 ANNO . DOM. MDCCXXC.
 PONTIFICAT. VI.

Alterum Ambulacrum, constans ex uno arcu ¹, *Sacrarium Beneficiarium* cum Templo conjungit, quò nunc etiam aditus patet, per eandem Ianuam dejecti *Sacrarii* ².

Vtrumque vero Ambulacrum transversam Porticum infra habet ³, sub qua Currus libere transire, aut comode permanere possunt, sarti tecti a temporis injuriis. Id quod multo commodius ibidem fieri potest, quam sub arcu, cui equestre Karoli M. Signum imminet. Hic enim habet altitudinem palm. xvii, ac iii. quadrant. ac latitudinem palm. xxi. Contra vero novorum arcuum hypothyrum ad altitudinem palm. xix, et quadrantis, et palm. xxiii. latitudinem extenditur. Neque eos altius attollere visum est, ut solum utriusque Ambulacri, quasi demensum, adamussim Basilicae solo responderet.

Sub ambulatione transversa, inter utramque Mesaulam, patet Thyroma, quod in hyperthyro exhibet epigraphen

MAGNIFICENTIA
 OPVS EIVS

Vbi vero duos arcus conspeximus, Fons emicat, qui sub-

¹ Tab. iI. n. 7.

² Tab. viI. n. 4. Tab. viI. n. 8.

³ Tab. viI. n. 3.

jectam urnam marmoream replet aqua illa Sabbatina ¹, a milliario xxxv. in Ianiculum perducta, quae heic salientibus, et lacu mirifice exornat Aream Vaticanam, sinistra parte. Quumque sese, flabelli instar, in concham pandere videatur, vulgo nuncupatur *l'acqua del Ventaglio*,

Ex alia parte, ad Ambulacrum unius arcus, e siphunculo effluit aquae scaturigo, quae marmoreo sarcophago suscipitur, quaeque pridem sub via, a tergo apsidis Templi Vat. latenter, ac frustra labebatur. Ibi nunc ad vitae usum, commodumque vicinitatis in promptu est. Haec nomen habet a PONTIFICE beneficentissimo, qui *Piam* vulgo dici passus est; atque illa eadem est, quae e venis proximi Collis Vaticani ab *Vrbano VIII. collecta* ², atque in Hortos Pontificios rivis immissa fuit: itaque *Barberina* appellabatur, sive etiam *Apium*, ab insignibus Gentis, quae supra fontem Berninus insculpsit, ut mellitam aquae dulcedinem quodammodo sitientibus indicaret.

In ima parte adversae areae, Aedes Cardinalis Archipresbyteri, et hujusmodi inscriptionem ibi prostantem conspicies.

PIVS SEXTVS . PONT. MAX.

SQVALENTIBVS . SOLO . AEQVATIS . AEDIBVS

ARCHIPRESBYTERO . DOMICILIVM . AVXIT

AMPLIATA . STRATAQVE . AREA

TEMPLO . VATICANO

SPLENDOREM . ADDIDIT

AN. M. DCC. LXXXII. PONT. VIII.

¹ Alberto Cassio Corso dell'Acque T. I. p. 193. 363. ² ibid. p. 424.

§. I.

*Cryptoporticus ; Hypogea , Coemeteria novi
Sacrarum descripta .*

Trigeminae sunt Porticus Impluvii trilateri Aedium *Canoniarum* ¹, latitudinis palm. XLVI, longitudinis LXII. Earum quaelibet ostium exhibet, unde Currus, ac Rhedae ultro, citroque commeare possint. Medium Thyroma ², versus Portam Figulinariam, lat. palm. XI. altitud. XIX. et semis, sub Pontificio Insigni a duabus Aquilis exornato, hunc titulum literis uncialibus saxso insculptum ostendit.

PIVS . SEXTVS . P. M.

CANONICALIBVS

EXTRVCTIS . AEDIBVS

SVOR . OLIM . COLLEGARVM

COMMODITATI . DECORIQUE

PROSPEXIT

ANNO . PONTIFICAT. VII.

Extra idem Thyroma, per viam, quae recta ducit ad Portam Figulinariam, exstat situs, ubi Berninus aeream Cathedram a quattuor Ecclesiae Doctoribus sustentatam, opere admirando, a Fusoribus construendam curavit. Hic idem locus, dejecta anno MDCCCLXXXII. veteri Officina, modo commodam Musivariae artis peritis stationem praebet, ut prodit Inscriptio ibidem apposita.

¹ Tab. VI. n. 24. Tab. VI. n. 35. Tab. IX. litt. N.

² Tab. XI.

PIVS . SEXTVS . PONT. MAX.

OPERI . MOSIVO

AD . PERENNITATEM . PICTVRAM AEMVLANTI

FAVENS

CVRANTE . FRANÇO DE . ALBITIIS . REV. FABRICAE . S. P.

H. T. M.

ANNO . DOMINI . MDCCLXXXII . PONTIF. VIII.

Haud ita procul, nova Cohortis *Corsorum Praesidiario-
rum* Stativa offendes, ubi hanc leges eorum erectionis
memoriam.

PIVS . SEXTVS . PONT. MAX.

PVBLICAE . SECVRITATI

PRAESIDIVM . STATIVVM . COLLOCAVIT

ANNO . MDCCLXXXIV. PONTIFICATVS . X.

CVRANTE . FRANCISCO . DE . ALBITIIS

FABRICAE . S. PETRI . OECONOMO . ET

A . SECRETIS

Sed, ut in atrium Aedium *Canonicorum* revertamur, duo hospitia Custodum commodo destinata, primum occurrunt. In porticu versus Ephebeum Vaticanum, trina exstant Conclavia, e regione *Scalarum*, quae ad Aedem *Canonicam* ducunt, ubi lapides partim secti, partim secandi ad *Fabricae* usus adservantur. Totidem, in Porticu versus *Campum Sanctum*, adspicies. Bina ex iis continent instrumenta ferrea, aerea, funes, aliaque id genus, ad *Basilicae* usum. Tertium vero *Beneficiariis*, *Capellanis Innocentianis*, ac *Clericis Beneficiariis* praebet apodyterium, LXX. Capsulis e nuce instructum.

Ibi pridem ¹ faces reponebantur, quae post occasum

¹ Tab. I. n. 19.

Solis , pridie festum , atque ipsa die festa Apostolorum , Propugnatorum Vrbs , vix sonuit maximum ex aere Tinninabulum , e vestigio incenduntur in Hemisphaerio maximo , Pronao , ac excelsa Porticu Areae Vaticanae . Hujusce spectaculi longe pulcerrimi , nocte ingruente bidui continentis , qua pegmata in Arce , et ad aream XII. Apostolorum incenduntur , atque Vrbs tota collucet , festaque laetitia exhilaratur , descriptionem habes in Prodro mo hujus operis , a me in lucem edito , abhinc triennium ¹.

Contra exstant binae gradationes ² , quae superne ducunt ad *Canonicorum* Conclavia , mox describenda , atque inferne , ad Cryptas , Clivosque subterraneos , ad lignorum , Anthracis , Oenopolii , et Olivinae usum .

Eadem Cryptoporticus in solo exhibet bina cubicula . Alterum Basilicae *Muscorum* commodo inservit , Pinacotheca Basilicae *Phonascorum* instructum ³ . Hinc per cochlidem climacidem , in Ambulacrum *Odeo Subseliarii* contiguum ⁴ aditus patet . Alterum vero Praefecto Gerulorum Decurialium Basilicae , qui vulgo *San Pietrini* appellantur , domicilium praebet ⁵ .

Ex alia parte , pone gradationes hypaethras ⁶ , ad Templi adscensum e Peristylio ⁷ , quibus nomen *delle Tartarughe* indidere nonnullae Testudines ibidem eleganter insculptae , exstat Conclave , ubi plumbum ad Fabricae usum adservatur .

Postquam vero haec observavimus , Ministrorum Basilicae inservientium usui erecta , ad eorum Conditoria transeamus , qui jamdiu eidem servire destiterunt . Bina sunt *Coemeteria* , alterum ex alterius regione constructa ,

¹ Sagrestia Vaticana eretta dal regnante Pont. PIO VI. Roma 1784. 8. pag. 60.
² Tab. I. n. 23. ³ Tab. VI. n. 7.

⁴ Tab. VII. n. 20. Tab. VIII. lit. P.

⁵ Tab. VI. n. 8. ⁶ Tab. VI. n. 2.

⁷ Tab. VI. num. I.

et ferreis cancellis munita , sub *Canonicorum* , et *Beneficiorum Sacrariis* . Anno MDCCLXXX, die XXI. Julii , sollemni ritu , *Canonicorum Coemeterium* ¹ expiatum est ; ac die IV. Augusti , eò translati fuerunt omnes loculi , qui interim in Cryptis Vaticanis delituerant . Atque , ut eorum , qui in dejecto *Sacrario* olim quiescebant , in novam hanc Domum mortalitatis translatio indicaretur , ibidem insculptum est Epigramma , cujus haec est sententia .

OSSA

CANONICORVM . BENEFICIATORVM . ET
CLERICOR. BENEFICIAT.

ALIORVMQ. MVLTORVM . VIRORVM

GENERE . DOCTRINA . DIGNITATE . PIETATE
ILLVSTRIVM

IN . PERVETVSTO . S. MARIAE . DE . FEBRIBVS
TEMPLO

NOVI . SACRARI . GRATIA . SOLO . AEQVATO

VARIIS . E . SACELLIS . SVISQVE . LOCVLIS

ERVTA . HVC . TRANSLATA

ANNO . MDCCLXXX.

Die vero xxiv. Septembris ejusdem anni , Altaria utriusque *Coemeterii* , marmoreis mensis instructa , quae pridem exstabant in excisa *S. Stephani Hungarorum Aede* , rite sunt consecrata . In ora loricae sub Altari *Coemeterii Canonicorum* , quò inlati fuerunt cineres Martyrum SS. Clementis , Urbani , et Placidi , haec verba fuerunt inscripta .

IN HONOREM BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE

GEORGIVS MARIA DE LASCARIS

PATRIARCHA IEROSOLYMITANVS

HVIVS SACROSANCTAE BASILICAE VICARIVS

CONSECRAVIT ALTARE HOC

DIE XXIX. SEPTEMBRIS MDCCLXXXIV.

Eadem Inscriptio legitur in Fronte Altaris *Coemeterii Beneficiorum* ¹, quod tamen


IN HONOREM S. MICHAELIS ARCHANGELI

eadem die consecratum fuit, conditis ibidem reliquiis Martyrum SS. Benedicti, Felicis, et Magni. Idem *Coemeterium* ab eodem Patriarcha Hierosolymario sacris caeremoniis lustratum fuit, die x. Octobris ejusdem anni.

Vterque locus animadversione dignus est, propter lapides sepulcrales, partim in pavimento, partim in parietibus collocatos. In pavimento *Coemeterii Canoniorum* versus Aquilonem, exstant *Henrici Zomrin*, Decani Ecclesiae Antuerpiensis, *Ioh. Ntis* Praepositi Eccl. Ultrajectensis, et *Ludovici* Episcopi Interamnensis Inscriptiones; ac meridiem versus, *Roberti de Templo*, ac *Durandi de Fagu* Canonici Laudunensis. In pariete, ex hac eadem parte tituli sepulcrales trium Cardinalium *Francisci*, et *Karoli Barberinorum*, et *Francisci Nerlii* siti sunt. In pariete vero ad Aquilonem, super Sarcophagum calce firmatum, legitur Inscriptio *Hannibalis Albani* Cardinalis.

Trinas Inscriptiones exhibet pavimentum *Coemeterii Beneficiorum*. Vna ex iis gallico idiomate; aliae vero latino; altera *Ioh. Surigoni*, Patritii Mediolanensis, ad Aquilonem; altera *Paulli Fortiguerrae* Pistoriensis, meridiem versus. Sed liceat e sepulcris, in quibus hactenus versati sumus, efferre pedem, ac lucem rursus adspicere.

1 Tab. I. n. 15.



CAPVT IIII.

Sacrarii Majoris, sive Communis descriptio.

Postquam singula Aedificia plano pede instituta perlustravimus, per Scalas nobiliores ¹ *Sacrarium majus* adaeamus. Eaedem utrinque bipartitae sunt, ac quaelibet earum constat e XIV. gradibus e marmore Lunensi. Earum latera, iaspide, caristio, aliisque peregrinis marmoribus circum undique ornata conspiciuntur. Vbi vero eas ascenderis, in *Sacrarii* vestibulo, statim in se oculos mole ipsa, et artificio convertet Simulacrum Colosseum PONTIFICI benemerentissimo a cunctis Ordinibus Cleri Vaticani excitatum ², cujus prostypa effigies usque ab anno MDCCLXXXIV. aeri incisa fuit, hac subjecta Inscriptione.

PIO . SEXTO . PONT. MAX.

*Marmoream Statuam, perenne Monumentum
in Vaticano Sacrario*

*Ejus providentia a fundamentis excitato
positam,*

*Franciscus de Albitiis Vaticanae Basilicae
Canonicus*

*Reverendae Fabricae Oeconomus,
et a Secretis*

*Delineandam, et in aëse incidendam curavit
Anno MDCCLXXXIV.*

Basis cum cymatio e marmore luteo; orbes e viridi marmore Laconiae; specula vero, aenea corona inaurata cir-

¹ Tab. I, n. 3.

² Tab. II, n. 13.

cum tecta, numidicus lapis efformat. Super Simulacri Cellam attolluntur insignia Pontificis, a binis Leonibus affabre elaboratis sustentata. Eadem Cella e caristio marmore, fasciis lapidis numidici circumvestitur, atque utrinque antae ex eodem caristio marmore. Binae hinc inde exstant Columnae marmoris, quod vocant, *bardiglio*, e Viridario Vaticano translatae.

Verum jamdiu nos ad se vocat, ac quodammodo rapit *Sacrarium majus*, quò patet ingressus ex Ostio altitud. palm. xiv. lat. vii, et semis, PONTIFICIS tantae molis auctoris nomine, aureis literis super insculpto.

Vix illud adibis, obstupesces, sive Aedis pulcritudinem, nitorem, atque elegantiam, sive dignitatem, ac majestatem consideres. Forma est octogonos. Ejus ambitus excedit spithamas lxx, habita projecturarum ratione. Altitudo vero, usque ad coronam, constat palm. lx. Columnae structiles octonae Testudinem regunt, altam a corona, e qua attollitur, usque ad Fastigium, palm. lvi, et semis. xvi. Fenestris collucet duos in ordines divisas, quarum undecim puram lucem hauriunt, ceteris luminibus mole vicinitatis obstructis. Tota Aedes opere albario egregie instructa, et monochromatum pictura exornata.

Cella ¹, quae a Simulacro PONTIFICIS, distat palm. clvi, exhibet e regione apographum, musivo opere elaboratum, ac ductili velo viridi coopertum, insignis tabulae *Guidonis Rheni* ², Petri Crucifixionem praesferentis, quae primum in Aede ad aquas Salvias servabatur, ac deinde, *Clementis XIII.* jussu, ne temporis injuriis laederetur, ad Aedes Quirinales translata fuit.

¹ Tab. II. n. 27.

Sandrart f. 185. Baldinucci P. 111. Sec. 1v.

² Malvasia Felsina Pittrice p. 1v. fol. 3.

fol. 317. Orlandi Abeced. p. 321.

Super Altare , situs est locus plumbeus , reliquiis Martyrum SS. refertus , quorum dulcia pignora *Bonifacius* VIII. collocaverat in Cella ab se erecta , ac *S. Bonifacio* IV. dicata ¹ , quique ex Altari *S. Thomae* , quô una cum *S. Bonifacii* exsuviiis translatus fuerat sub *Paulo* V , in Altari *S. Clementis* dejecti *Sacrarii* locatus fuerat , sub *Benedicto* XIII ² . Postremae hujusce translationis memoriam commendat posteritati hujusmodi titulus , thebaico marmore insculptus .

SACROS. MVLTORVM . SANCTORVM . CINERES
SVB . ARA . S. CLEMENTIS . PP. ET . MART. REPERTOS
VNA . CVM . VETERI . SACRARIO . EA . DISIECTA
PIVS . VI. PONT. MAX. HIC . REPONI . IVSSIT

Die *xiii*. Junii , anno *mdcclxxxiv*. PONTIFEX magnificentissimus , sanctissimis caeremoniis hoc Altare , Deo auspice , consecravit , dedicavitque in honorem Principis Apostolorum , cui perfusus gaudio simul , et lacrymis *novi Sacrarii* munus obtulit , perenne singularis studii sui , ac paterni domesticae ejus familiae amoris monumentum , quo ³ *aliquatenus Patrem in Filiis , vel Dominum in Servis honore prosequeretur* . Altari inlatae sunt reliquiae ejusdem Principis Apostolorum , germani Fratris *Andreae* , ac *Pii Mart.* Nemo enim ignorat , sanctissimum hujusmodi ritum , pro Altaribus consecrandis , adeo necessarium habitum fuisse ⁴ , ut Pontificale MS. Eccl. Elmen-

¹ V. p. 1218. 1407. ² V. p. 1235

³ V. Innocentii III. Diploma apud Turrigium Grotte Vat. p. 176 , et in T. I. Bull. Vat. p. 83.

⁴ S. Ambrosius in epist. LXXXV. ad Marcellinam. Conc. Nicen. II. Act. viII. c. viI. p. 1251. T. viII. Conc. Labbè.

Fr. Mar. Brancatius de Altarium consecr. inter Diss. Romae 1772. fol. Sarnelli se le reliquie de' Santi sieno di sostanza della consacrazione dell'Altare ? T. III. Lit. Eccl. p. 21. Dell'acqua benedetta , che si fa dal solo Vescovo , e colla quale si consagrano le Chiese , e gli

sis praescripserit ¹. *Pontifex paret reliquias in Altari consecrando includendas vel deficientibus reliquiis, ponat Corpus Domini.*

In fronte loricae insculpta fuit haec Inscriptio .

PIVS SEXTVS PONTIFEX MAXIMVS
ALTARE HOC * CONSECRAVIT DIE XIII.
IVNII AN. MDCCLXXXIV.

Totius vero consecrationis caeremonia absoluta, detecta fuit altera Inscriptio super januam principem Sacrarum, contra eandem aram, quae sic habet.

PIVS SEXTVS PONT. MAX.
DECESSORVM SVORVM ROMANORVM PONTIFICVM
ERGA BEATVM PETRVM
PRAECIPVAM PIETATEM AEMVLATVS
IACIENDIS HVIVS SACRARII FVNDAMENTIS
X. KAL. OCT. MDCCLXXXVI. PRIMVM LAPIDEM POSVIT
SACRIS OMNIBVS RITE SERVATIS CAERIMONIIS
ARAM PRINCIPEM SOLEMNI RITV DEDICAVIT
IDIBVS IVNII MDCCLXXXIV

Suum utrique lateri hujus Cellae haeret Conclave. Alterum Clericis, et Mansionariis, Vestiarii commodum praebet; alterum vero Ceris adservandis destinatum est.

Binas inter Columnas striatas marmoris, quod vocant, *Bardiglio*, hinc inde exstant Scabella e nuce, quae intra pluteos marmoreos, et Tetrastylon continentur.

Extra eosdem pluteos, utrinque maximos e nuce abacos affabre dolatos ² adspicies, ubi sese Presbyteri sacris vestibus induunt, ad rem divinam faciendam.

Altari. T. ix. Lit. Eccl. p. 163. P. Orlandi
de veteri disciplina expiandi Altaria.
Flor. 1709. 4. V. p. 1235.

¹ de dedicat. Eccl. in Tom. I. Carpentier.

² Tab. II. n. 31.

Sub iv. arcubus eminent octo Columnae striatae cine-
rei coloris , quem vulgo appellant , *bigio* , quae postquam
diu Villam Tiburtinam *Hadriani* Aug. nobilitaverant ,
melioribus sane auspiciis , in sacri hujusce Aedificii or-
natum transierunt . Eaedem coronantur a Capitulis mar-
moris tiburtini , ordinis Jonici , opere tectorio cooper-
tis , quae Berninus Turris Campanariae Bas. Vat. Colum-
nis imponere statuerat ; quae tamen , adnitente ejus ae-
mulorum invidia , sumptu aureorum xli. millibus , solo
aequata fuit ; etsi *Vrbanus* VIII. ad eam ex integro con-
struendam centum millia scut. eoque amplius impende-
rat ¹ . Quod igitur tunc iis consequi minime licuit ² , ut
scilicet aedificio Bas. Vat. inservirent , tandem post duo-
rum Seculorum spatium , ex insperato , atque ingenti com-
pensatione obtinuerunt .

Pilae , quae pone easdem Columnas inspiciuntur ,
sunt e caristio marmore ; atque aliae octo majores , quae
in medio exstant , e luteo lapide Senensi , jaspide cir-
cumtectae .

Valvarum stipites , corsae , impages , atque hyperthy-
rum ex Alabastro *S. Felicis* nuncupato , ab Oppido hujus-
ce nominis , ubi repertum fuit , prope Anxur , cujus
candentia saxa celebravit Horatius ³ . Verum haud abs-
re erit , ejus originem lectoribus patefacere ⁴ .

¹ Bonansi Numismata Templi Vaticani
p. 184. Eloge de Gio. Lorenzo Bernini
par l'Abbè de la Chambre . V. Dans le
Journal des Scavans 1681. Amsterd. p. 56.
Le meme Eloge , avec une Preface pour
servir a l' Histoire de la vie , et des
ouvrages du Cavalier Bernin , avec le
discours prononcè dans l'Academie Fran-
coise par de la Chambre . A Paris 1686.4.
Filippo Baldinucci Vita del Cav. Gio.

Lorenzo Bernino Scultore , Architetto ,
e Pittore . Firenze 1682. 4. Domenico
Bernino vita del Cavalier Gio. Lorenzo
Bernino suo Padre . Roma 1713. 4. Lon-
ghi Discorso sopra la riparazione del
Campanile . Roma 1645.

² V. Fontana Tempio Vatic. pag. 262.
Sagr. Vat. eretta dal reg. Pontefice p. 77.

³ lib. I. Sat. I. v. 26.

⁴ V. Sagrestia Vat. p. 80.

§. I.

*Lapidicinae Marmoris Alabastritis , in Oppido
S. Felicis , detectionis Historia .*

Piratae Africani , sub Paulo III, excensione facta , Turrim , aut Castrum S. Felicis , quod *Mons Circaeus* antiquitus vocabatur ¹ , ditionis Gentis Cajetanae , ex Romanis Dynastis nulli secundae , funditus delerunt , agroque circa omni vastato , trepidos Incolas in miseram captivitatem abstraxerunt . Itaque , ut hujusmodi incursionis , atque infortunii periculum deinceps averteretur , neque diutius facilis e navibus in terram Praedonum appulsus esset , Pii IV , et V. jussu , Turres , et Propugnacula ab inchoato aedificata , ac fossis , murisque adversus Piratas munita sunt , ad illius orae maritimae custodiam , ut ex literis eorundem Pontificum , Genti Cajetanae inscriptis , colligitur . Tunc igitur , quum caederentur lapides , ac coementa pararentur ad Turrium constructionem , feliciter detecta fuit lapidicina marmoris alabastritis , miro naturae opere confecti . Statim igitur extracta fuerunt plura segmenta , quae ad valvarum stipites , abacosque extruendos adhibita fuerunt , quaeque etiamnum Cisternae adservantur , in Aede Principum Cajetanorum . Dum vero elapsum Seculum ad exitum inclinaret , Dux Franciscus Cajetanus in eadem Lapidicina alia etiam marmora investigari , atque educi jusserat , Gallis quibusdam Mercatoribus subministranda . Verum , re infecta , quod de conlatione Manipretii non convenissent , lapidicina haud amplius tentata fuit . Anno MDCCXII. Oppidum , una cum continentibus praediis , et latifundiis , in Cl. Gentis Ruspolae domina-

¹ Contatori Storia di Terracina p. 429. de Castro S. Felicis , seu Felicitatis .

tum transiit, quae paullo post, haec omnia Fisco cessit. Nec vero exinde detectae onychis lapidicinae usus fuerat ullus, donicum PIVS VI, Pontifex bonarum artium aman- tissimus, ac peritissimus, eam rursus aperiendam curavit. Itaque ex ea, praeter quattuor Columnas Altarium in Cellis *Sacrarii Canonorum*, et *Beneficiariorum*, impages XVIII. valvarum hujusce Aedificii confectae sunt.

§. II.

Reliqua de Sacrario Majori, aut Communi.

Sed, ut cetera in *communi Sacrario* spectanda perse- quamur, totum pavementum sectilibus stratum undecum- que renidet; ibique Insigne Pontificium e versicolore contextum lapide, adeo ad unguem factum miraberis, ut juncturas omnino non deprehendas, et picturae spe- ciem credas.

Ex utraque principis Ostii parte, crateres marmorei flicati, conchae formam referentes, eximio, et concin- no opere, cum insigni gentilitio PONTIFICIS, die IV. Maii, anno MDCCLXXXV. positi sunt.

Denique supra Horologium, quod in introitu fene- strae imminet, *Gallum* ex aere inaurato adspicies, de quo recole, quae supra fuse disseruimus ¹.

Contiguo loco, *Sacrarii Piscinam* ² offendes, quô ex veteri more supra descripto ³, quaecumque ad Sacrificii usum inservierunt, projiciuntur. Situm indicabit sacro- sanctum Simulacrum D. N. J. operis plastici, quod ali- bi commemoravimus ⁴.

E regione duplicis mensae pro Sacerdotum Vestiario,

¹ pag. 1340.² Tab. II. n. 32.³ pag. 151. 243.⁴ pag. 1328.


bina exstant ostia , quae utrinque ducunt ad exedras e nuce constructas , ubi Sacerdotes , admissis poenitentium expiandis praefecti , confessiones excipiunt ¹ .

Sequuntur alij duo rotundi situs , qui praebent Aquiminaria e marmore Lunensi , fistulis aquam suppeditantibus , albisque mantilibus ad manus tergendas appositis .

Quum vero aqua , quae ibidem effluit , salubri potui apta non sit , in Cellula continenti , quae proinde nuncupatur *delle Ampolline* , marmorea Urnula aptata est , ex qua crystallinis lagunculis diditur aqua purior , pro sacris celebrandis . Eadem usque hactenus super imposita fuerat Sarcophago , quem prope Columnam Sanctam adseruari demonstravimus ² , quemque diu Fontis Baptismalis Bas. vicem praebuisse diximus . In hac eadem Sitella , postremis usque temporibus , sacri baptismatis latices servabantur , quum Cella Baptisterii , musivis adornanda , adiri non poterat . Nihilominus Basilicae Curiones , vel postquam liber ejusdem Cellae esset accessus , eadem urnula utebantur , quoties privatim Baptisma conferrent , quod vulgo audiebat , *Battesimo de' Poverelli* . Verum Praeses vigilantissimus Franciscus de Albitiis , nunc Summus Magister Collegii S. Spiritus , veteris Probi Sarcophagi foramen claudi lamina lapidea , ut indiscriminatum infantes omnes , in nobilissima , Baptisterii Cella sacro regenerationis lavacro abluerentur , urnulamque , quae ibidem servabatur , ad hunc usum transferri jussit .

¹ Tab. II. n. 32.

² p. 1313.



CAPVT V.

De Sacrario, et Cella Canoniorum.

Continens Conclave Basilicae Clericulis exhibet Apodyterium. Hinc ex utraque parte patet aditus ad Zothe- culam cum Vaporario, et Gutturnio, aeneo epistomio inaurato, instar aliorum, instructo ¹.

Proxime sequitur Oecus, ubi Canonici thermopota- re possunt, xxx. e nuce pluteis conuestitus; mensamque marmoream long. palm. xii. et semis, latam iii. et se- mis in medio habet.

Deinde per januam ² iter est in *Sacrarium Canoniorum* lat. palm. lvi. long. xlvii. alt. xlviii, monochroma- tum pictura, atque sigmatibus, opere intestinario, ex ni- tidissimis lignis Brasiliensibus circum undique exornatum.

Postquam vero contiguam Cellam ³ ingressus fueris, nobili pavimento lithostroto, eodemque cultu, quo *Sacrarium commune*, renidentem, inter Columnas ex ony- che *S. Felicis*, insignem Altaris tabulam adspicies, Deipa- ram cum Infantulo Jesu, *S. Annam*, et Petrum, et Paul- lum Apostolos repraesentantem, insigne *Factorini* opus, ut recte prodit Epiphanius Gizzius ⁴, minime vero Cara- vaggii, ut putant Sindonius ⁵, et Chattardus ⁶.

Altare, die xviii. Octobris, anno mdcclxxxiv. a Card. Archipresbytero, Duce Eboracensi, rite consecratum fuit in honorem SS. Apostolorum Petri, et Pauli, et *S. An- nae*, conditis ibidem reliquiis MM. SS. Clementis, Pii,

¹ Tab. iI. n. 19. ² Tab. viI. n. 15.

³ Tab. viI. litt. T. Tab. viI. num. 17.
Tab. xI. litt. T.

⁴ Breve descrizione della Bas. Vaticana.

Roma 1721. pag. 26.

⁵ In Altarium, et reliquiarum Bas. Vat. descriptione p. 78.

⁶ Nuova descrizione del Vat. T. I. p. 234.

et Benedicti . In fronte ejusdem Altaris haec verba incisa fuerunt .

HENRICVS EPISCOPVS TVSCVLANVS
S. R. E. CARDINALIS DVX EBORACENSIS
ARCHIPRESBYTER CONSECRAVIT
ALTARE HOC DIE XVIII. OCTOBRIS
AN. MDCCLXXXIV.

E regione exstat tabula excellens , manus *Iulii Pippi Romani*¹, quae *Raphaeli Sancio*² a nonnullis adscribitur, quamque in Cella SS. Cosmae, et Damiani, dejecti *Sacrarum* exstitisse diximus³.

Super Januam, ac fenestram, depictae conspiciuntur Historiae S. Petri e carcere, Angeli ope, liberati, et S. Paulli, quum a S. Barnaba ad Petrum, et Jacobum Min. Antistitem Hierosolymarium deductus fuit.

Lilium, uti pars insignium Pontificiorum, emblemate vermiculato, in medio pavimento asaroto nitet cum epigraphe

FLORET IN DOMO DOMINI .

Sedilia vero, et Scabella sunt ex ligno Brasiliensi, mirum in modum laevigato, ex quo item compactae sunt XVIII. bifores valvae totius Aedificii.

Prope hanc Cellam exstat Conclave⁴, ubi praeter contiguum fontem, ac pollubrum ad manus abluendas, sunt exedrae ad criminum confessiones audiendas, et scabella e nuce, ut piis precibus vacare possint ii, qui sese ad rem divinam conferre debent.

¹ Vasari P. 111. lib. I. fol. 328. Sandrart fol. 137. Orlandi Abcedario Pittorico.

² Scanelli, Sandrart, Vasari Par. 111.

lib. I. fol. 71. Borghini fol. 385. Vittoria fol. 111. Dolci. Orlandi Abced. Pittor.

³ p. 1339. ⁴ Tab. 11. n. 14.

CAPVT VI.

Conclavis Capitularis descriptio .

Ab eodem *Canonicorum Sacrario* patet ingressus in tetragonum Conclave, quod vocant, *Capitulare* ¹, opere tectorio, et intestino spectandum, long. palm. XLIV, et lat. xxxv. Huc sese Canonici conferre solent, quoties de re communi deliberaturi sunt, eoque etiam fit conventus Patrum Cardinalium, statis diebus, quas supra indicavimus.

Quocumque oculos convertes, nihil non magnificum, nitidumque obversabitur. Statuam marmoream S. Petri maximae formae adspicies, excelsa in basi, intra Cellam, ex lignis Brasiliensibus venustissime segmentatam, quibus item constructa sunt quaquaversus circumstantia *Canonicorum* Sedilia. E regione Simulacri, Sedes est, ac mensa scriptoria Card. Archipresbyteri.

Supra eandem sita sunt bina Diagrammata *Cathedrae S. Petri*, a Stephano Piale exarata, jussu Franc. de Albitiis, quum eandem panno aureo, quo eam Xystus IV. contexerat ², spoliata, crystallis includendam curavit. Alterum eorum haec docet, subjecto titulo

*Cathedram ligneam ebore ornatam,
Pontificiam Petri Sedem a Majoribus
inter antiquas, et Venerab. Reliquias
asseruatam*

*Franciscus de Albitiis Canonicus
Altarista, Fabricae Oeconomus, et a
Secretis delineandam curavit.*

¹ Tab. 11. num. 16. V. Sarnelli, se il e d' onde il Collegio de' Canonici sia Vescovo possa assumere alla Prebenda detto Capitolo? T. v. lit. Eccl. p. 19. Teologale un Dottore di legge Canonica, ² V. pag. 1246.

Sub altero scriptum legitur .

Exemplar Cathedrae S. Petri, quae nunc est .

Super eadem appensae sunt binae tabulae eburneae sigillatae ¹. Earum una exhibet signa eburneola Sospitatoris nostri, in antiqua Cathedra sedentis, inter Deiparam, et Prodromum Joh. Baptistam; subtus vero S. Petri, et S. Andreae. Altera vero continet imagines Apostolorum Philippi, et Jacobi, S. Nicolai, et S. Honuphrii.

Conclavis parietes egregiis picturis locupletantur, quas inter Jesus e Cruce depositus, *Laurentii Sabbatini* ² opus, ex *Bonarotae* magisterio; trinae Equitis Petri Leonis *Ghezii* ³, S. Clementis vitae illustriora gesta referentes; imagines SS. Theodori, et Abundii Mansionariorum Bas. quarum altera est *Ricciolini senioris* ⁴; ac demum VIII. tabulae, quantivis pretii, a *Iotto* depictae.

§. I.

*De Tabulis a Iotto depictis, quae veteris Confessionis
B. Petri Trypticum efformabant .*

Trinae ex hujusmodi tabulis, Pyramidis instar, in triangulum isoscelem superne desinentes, Trypticum efformabant, quod vetustae S. Petri Confessionis ornamento erat. Aliae quinque minores, tamquam Ancillulae, iisdem erant subjectae. Omnes vero a *Clemente VIII.* remotae fuerunt, atque in Basilicae Tabularium translatae, ubi

¹ V. C. G. Haynii super Veterum Eburneis, eburneisque Signis Commentationes. in T. I. Comment. Soc. Scientiar. Gottingensis p. 96, et 111.

² Baglioni, Vasari, Borghini, Sandrart,

Malvasia p. 11. fol. 227. Orlandi Abeced. Pittorico.

³ Orlandi Abeced. edit. Ven. 1753. 4. pag. 426.

⁴ Titi fol. 21. Orlandi ibid. p. 377.

inhonoraë , ac ferme ignotaë , ligneis foriculis ¹ inclu-
sae , hactenus delituerant .

Earum princeps , quae inter descripta *Cathedrae* S. Pe-
tri diagrammata conspicitur , exhibet Sospitatorem no-
strum , throno sedentem , ab Angelis stipatum , et ad
ejus pedes provolutum Cardinalem Jacobum Cajetani de
Stephanescis , seu de gente Stephanensi , regionis Trans-
tiberinae ² , Tit. S. Georgii in Velabro , Nicolai III. Pro-
nepotem , qui dccc. florenorum sumptu , ut constat ex
allato Necrologii loco ³ , hujusmodi tabulas a Jotto de-
pingendas curavit . Quapropter recte Phil. Balduccius
eundem , *Pictorem aevi Principem* , qui , ut ait Petrarca ,
conterraneus ejus , *magna reliquit manus , et ingenii monu-
menta* , a Bonifacio VIII. ad Urbem accitum fuisse scri-
psit ; contra quam fecit Vasarius , qui eum a *Benedicto IX.*

¹ Praestantissimus Card. Garampius ad illa verba , nella leggenda della Beata Chiara da Rimini , pregando con instanza , et fervore , al hora de l'Altare , nel quale era una tavoletta , haec protulit p. 70. Tavolette erano Quadri degli Altari , che in piccole tavolette , e queste per lo più basse , bislunghe , e con suoi sportelli , si costumavano . (Buonaroti *Vetri Cemeter.* p. 258.) Consimili Tavole erano anche dette *Ancone* , forse grecamente da *Icona* , o *Cona* , in senso d'Immagine . Onde in antica leggenda dell' anno 1442. si fa menzione di un' *Ancona* , sive *Tabula erecta* (super Altare) *plena multis reliquiis Sanctorum* , presso l'Vghelli Ital. Sacr. T. II. p. 413. E nella Pieve di Verruchio , Diocesi di Rimini , sotto una somigliante Tavola , leggesi in caratteri , detti volgarmente Gotici , una Iscrizione del seg. tenore : *All nome di Dio . Amen . E a di primo*

di Giugno M. C. C. C. Io Lorenzo de Martinino da Viruechie , o fatto dipingere questa Anchona , per rimedio de l'anima mia , e de' miei passati . Io Magiastro Domenico di Nicholo da Fireze in Vinezia a stazone in su channito di Bancheria , e a chasa io dipito la detta Anchona . Deo grazias . L'autore però de' Frammenti dell'Istoria di Roma , non saprei decidere , se forse intenda per *Cona* tutto l'ornamento della Tavola , e dell'Altare , ove nomina una nobelissima *Cona de lo Aitare , de Alabastro , opera Pisana , valore de mille Fiorini* . (Muratori *Antiq. Med. Aevi* . T. II. p. 271.)

² Torrigio Grotte Vat. p. 392. Garampi Sigillo della Garfagnana p. 83.

³ p. 863. V. Turrigium Grotte Vatic. p. 196. Balducci Notizie de' Professori del Disegno da Cimabue in quà . Firenze 1767. T. I. p. 110.

compellatum fuisse tradidit . Verum alibi etiam lapsus est idem Vasarius , ubi narrat ¹ , *che il Papa gli fece nella Tribuna di S. Piero dipingere cinque Storie della vita di Cristo , e nella Sagrestia la Tavola principale , che furono da lui con tanta diligenza condotte , che non uscì mai a tempera dalle sue mani il più pulito lavoro . Onde meritò , che il Papa tenendosi ben servito , facesse dargli per premio seicento ducati d'oro , oltre avergli fatto tanti favori , che ne fu detto per tutta l'Italia .* Quin et Bottarius ² quum hujusmodi sphalmata castigaret , alia de suo adjecit , affirmans , hujusmodi tabulas omnino deperiisse . Quamquam vero trinas majores tabulas adhuc superesse , haud ignoraverint Martinettus ³ , et Chattardus ⁴ , nihilominus uterque eas opistographas fuisse , minime suspicatus est . Quocirca nunc utrinque crystallo munitae sunt . A tergo primae tabulae conspicitur S. Petrus sedens , idemque Cardinalis Cajetanus in genua provolutus , qui Principi Apostolorum vetus offert Confessionis Ciborium , in tryptici formam , triplici subjecta basi . Quamobrem hujusmodi pictura tres alias minores tabulas eadem Iotti manu profectas fuisse testatur ; praeterquamquod earum mensura , quae majoribus perfecte respondet , una simul ornatum vetustae Confessionis olim perfecisse declarat .

Altera tabula ab adversa parte , S. Paullum exponit capite diminutum ad aquas Salvias ; in aversa depicti sunt , in duabus cellis , bini Apostoli . Sub ipsa jacet tabula minor cum tribus hermis S. Petri , S. Stephani , et S. Bonifacii Episc. et Mart.

¹ Vita di Giotto Pittore , Scultore , e Architetto . Livorno 1757. T. I. p. 311.

² *ibid.* p. 312.

³ *lib.* II. p. 222.

⁴ T. I. p. 256.

Tertia, ab antica parte, repraesentat Petrum Cruci suffixum inter duas metas; in postica vero, in geminis Cellis, totidem Apostolos. Pendet inferne alia tabula quinos Apostolos stantes praeseferens ¹.


Aliae duo tabulae minores iis sociae, exstant sub imaginibus SS. Abundii, et Theodori. Altera exhibet Deiparam cum Puero Jesu sedentem, binos Angelos stantes cum turibulo, S. Petrum, aliumque Apostolum. Altera vero continet effigiem quinque Apostolorum. Has autem ex utroque Tryptici latere sitas fuisse, recte statues, quum sint ejusdem manus, atque mensurae.

Haec omnia tantae sunt raritatis, ac pretii, ut ingentem thesaurum in hoc Conclavi conditum esse, nemo inficietur. Verum ad alia properemus; et quin ostium pseudothyrum aperiatur, per quod ex eodem Conclavi in *Archivum* deinde perlustrandum aditus patet, rursus per *commune Sacrarium* transeuntes, ad *Sacrarium Beneficiorum*, et IV, quos vocant; *Capellanorum Innocentianorum* ², nos conferamus.

¹ *Easdem tabulas ita descripsit Turrigius Grotte Vat. p. 196.* La forma di ambedue (Mete) si vede nelle porte di bronzo di S. Pietro, et in un quadro dipinto dal Giotto, in legno di noce d'India, ad istanza del Card. Giacomo Gaetano de Stefaneschi, qual stava esposto già sopra l'Altare di S. Pietro, con due altri simili Quadri, che si conservano nell'Archivo, nel primo de' quali

è dipinto il Salvatore sedente, alli cui piedi è il detto Cardinale in ginocchioni, con le mani giunte in habito torchino, e sopra paonazzo, con il Cappello Cardinalitio rosso a' ginocchi. Nel secondo è la Crocifissione di S. Pietro tra le dette due Mete. Nel terzo la Decollazione di S. Paolo.

² Turrigio Grotte Vat. p. 215. Bull. Vat. T. 1I. p. 291. 334. 335. 408. V. p. 1337.



CAPVT VII.

Sacrarii, et Cellae Beneficiariorum Descriptio.

Hujusmodi *Sacrarium* ¹, ejusdem plane homoeomeriae alteri *Canonicorum*, eodem ornatu, iisdemque lignis Brasiliensibus affabre compactis, ac perpolitus comptum renidet. Continens eidem est Cella cum Altari ², duabus columnis alabastri *S. Felicis* ditato. Idem nobilitatur insigni tabula, a *Hieronymo Mutiano* ³ depicta, Christi Petro claves praebentis. Die xxviii. Octob. anni MDCCLXXXIV. a Cardinali Archipresbytero rite dedicatum fuit in honorem B. V., S. Petri, et aliorum Apostolorum, repositis sacris lipsanis SS. MM. Justini, Innocentii, et Maximi. Rei memoriam haec prodit Inscriptio, circa frontis oram insculpta.

HENRICVS EPISCORVS TVSCVLANVS
S. R. E. CARDINALIS DVX EBORACENSIS
ARCHIPRESBYTER CONSECRAVIT
ALTARE HOC
DIE XXVIII. OCTOBRIS AN. MDCCLXXXIV.

Contra visitur venerabilis effigies *D. N. M. Febrifugiae*, cum Jesu Puero Infante, intra coronam aeream inauratam inclusa, quae, quum imaginis hypothyro amplior sit, ad alicujus Ciborii usum, una cum adstantibus Angelis marmoreis, opere anaglyphico insculptis, olim spectasse videtur. Cujuslibet hebdomadis die Sabbato ⁴,

¹ Tab. I. n. 21.

² Tab. VI. litt. V. Tab. VII. num. 24.
Tab. VIII. litt. V.

³ Baglioni fol. 49. Ridolfi P. I. fol. 265.

Rossi fol. 503. Orlandi p. 307.

⁴ Sarnelli, di che tempo il Sabbato fu dedicato alla B. Vergine? in T. IX. Litt. Eccl. p. 48.

Clerici Basilicae, quattuor cereis facibus coram accensis, Litanias genuflexi canere solent. Heic etiam fenestra desuper, et janua, duabus tabulis sunt exornatae, quarum una exprimit Petrum ab Andrea sub Domini tutela collocatum; altera vero Petrum ex Vrbe abeuntem, et a Magistro occurrente postulantem, *Domine, quo vadis?* Pavimentum crustis vermiculatis opertum est. Continens est Oecus, ubi sese Cocholatis potu reficere solent *Beneficarii*, prope Cellulam, cum fonte, et malluvia. Post haec animadverte spatium palm. cclx, quod ab imo hujus *Sacrarii*, ad extremitatem alterius *Canonicorum*, ad lineam protenditur.

C A P V T V I I I.

Conclave Clericorum Beneficiorum.

Pone tertium hujusmodi *Sacrarium*, alterum Conclave¹, *Capitulari* plane geminum occurrit, ubi armaria e nuce apte disposita sunt, pro Custodia Vestiarum *Clericorum Beneficiorum*, et *Coadjutorum*, uti vocant, non modo suorum Collegarum, sed etiam *spe Beneficiorum*. Maximum ibidem visitur Armarium e nuce a *Clem. XI.* constructum², ubi pretiosior Bas. supellex adservatur. E regione pendet imago S. Joh. Chrysostomi a Guido Vbaldo *Abbatino*³ depicta, quae primum super Subselliarii Cancellis exstabat. Vtrinque conspicies imagines B. V. corona aurea redimitas. Nam quoties id honoris alicui imagini a Clero Bas. tribuitur⁴, ejus apographum in rei memoriam eidem dono mittitur. Verum insignior est ea, quae

¹ Tab. II. n. 22.

² V. p. 1329. 1429.

³ Tit. fol. 264. Orlandi p. 322. Tempio

- Vat. lib. v. p. 395. ⁴ V. p. 1308.

super ostium *Sacrarii Beneficiariorum* affixa est, dono data a pientissimo Cardinali *Alexandro Mattei*, Archiep. Ferrariensi, qui die xxiv. Maii anni MDCCLXXIX. corona aurea praecinxit pervetustam effigiem, quae in Atrio Templi maximi Ferrariensis relligiose adservatur ¹.

Super fenestram eminent ectypa Crucifixi imago, quae in Conclavi dejecti *Sacrarii*, Cerarum custodiae destinato, servabatur. Ex utroque fenestrae latere, exstant picturae archetypae *Hieronimi Mutiani*, quae pridem in *Archivo Capitulari* visebantur, ac Christum in horto vinculis adstrictum, et in Atrio Praetorio flagellis caesum repraesentant.

Contra fenestram, inter apographa adversarum *Mutiani* tabularum, quae pridem in Cella SS. *Trinitatis* dejecti *Sacrarii* servabantur, sita est Veronica ab Vgone Carpiensi depicta, absque pennicilli subsidio, de qua jam audivimus ², quid Vasario eamdem demonstranti argute pronuntiavit Bonarota.

Conclavis umbilicum occupatur a mensa e nuce, quae vel in exciso *Sacrario* in Vestiarii usum prostabat. Inde quoties *Beneficarii*, una cum *Clericis Beneficariis*, sacrum sollemne canere debent, sacra indumenta sumunt.

Pone ingens Argentarium, parte dexteriore, per ostium patet ingressus in Promum condum Bas. ³, Armariis e nuce undecumque instructum, pro suppellectilis omnis generis custodia. Super ipsum conspicienda est imago *S. Leonis PP. IX. transmissa a Rmo Alexandro Episcopo Suessae, anno MDC*, ut ibidem traditur ex Indicis Scri-

¹ Raguaglio della magnifica sacra pompa per la solenne incoronazione dell'antica miracolosa immagine della B. Vergine detta delle Grazie, o dell'Atrio, seguita

nella Chiesa Metropolitana di Ferrara. 1779. 4.

² V. p. 1273.

³ Tab. 11. n. 23.


pturarum Tabularii testimonio, ubi legitur. *Ritratto di S. Leone IX. mandato dal Vescovo di Suessa*; quae quidem Vrbs, singularibus a SS. Pontifice beneficiis affecta, ejus adhuc patrocinio gloriatur. ¹ xvii. Clypei, qui totam effigiem circumdant, illustriora SS. Pontificis vitae gesta declarant ².

Parte vero sinistra Armarii, Servatoris effigies, in morem benedictis, sita est super ostium, quod recta in Aedes *Canonicorum* ducit.

1 Lucio Sacco in c. iv. Historia della Città di Sessa. Borgia T. II. Memorie di Benevento p. 44. 53.

2 Wiberti Archidiaconus Tullensis. Vita S. Leonis IX. Papae, Leucorum ante Episcopi. Lut. Paris. 1615. S, et in cap. ix. lib. XLV. Advers. Gasp. Barthii Francof. 1624. fol. et dans les Preuves de l'Histoire des Cardinaux Francois, de du Chesne. Paris 1666. fol. pag. 5, et 585. Eadem in Surii Vitis SS. mens. April. p. 193. Colon. 1618. fol. Eadem ex mss. Codd. S. Maximini, et S. Huberti, collatis cum edit. Iac. Sirmondi, et cum Comment. praevio, et annotatis God. Henschenii. in T. II. April. Boll. p. 642. Eadem cum observ. praeviis, et notis Joh. Mabillonii. in Actis SS. Ord. S. Ben. Sec. vi. Par. II. p. 49, et in Muratorii Script. Rer. Ital. T. III. p. 278. Pandulphus Pisanus. Augustinus Bon-tempi Monachus. Amalricus. Augerius. Anselmus Mon. Rhemensis in Itinerario

a Sigeberto memorato de Script. Eccl. c. CLIII. S. Brunonis Episc. Signiensis Vita S. Leonis P. IX. in ejus Operum collectione, studio Mauri Marchesini. Venet. 1651, fol. et in Bibl. PP. edit. Lugd. T. xx. p. 1730. Vita S. Leonis IX. ex mss. de Rosellis Card. Aragoniae. in T. III. Script. Rer. Ital. p. 277. Christ. Lupi diss. de S. Leonis IX. Actis adversus Schisma Mich. Cerularii P. C. in T. iv. Opp. p. 302. Venet. 1725. fol. Vie de S. Leon IX. Pape par Adrien Baillet. dans son Recueil des Vies des Saints, au 19. d'Avril. Histoire de la Vie, et des Ouvrages de S. Leon IX. P. par D. Ant. Rivet Benedictin. dans l'Hist. Litter. de la France. Tom. vii. pag. 459. Vita di S. Leone IX. Auctore Anonymo. apud Cl. Borgia Tom. II. Mem. di Benevento p. 295. T. I. p. 251. T. III. pag. 295. 332. Gius. de Novaes Elementi della Storia de' Sommi Pont. T. II. p. 299.



CAPVT VIII.

Tabularii Bas. descriptio .

Vix egressus, inter Procestria, ex aduerso conspicies Conclave Card. Archipresbytero assignatum ¹. Pone exstat alterum Conclave ² Armariis e nuce contectum, ubi Promtuarium rei linteariae ad usum Basilicae. Ac denique propiora sunt alia duo Conclavia, Basilicae Concionatorum commodo destinata; tum illius, qui diebus adventui D. N. Jesu recolendo, tum illius, qui per dies esuriales jejunii quadragenarii, in Bas. sermocinatur.

Super proximi Archivi januam exstat lemma hujus argumenti .

PIVS . SEXTVS . PONT. MAX.

ARCHIVVM . VATICANAE . BASILICAE

SVMMORVM . PONTIFICVM

AC . VIRORVM . PRINCIPVM

. DIPLOMATIBVS . CELEBERRIMVM

BIBLIOTHECAM

VETERIBVS . M. SS. INSIGNEM

COLLOCAVIT

ANNO . MDCCLXXXII . PONT. VIII.

Alia duo hinc inde commemorant donum Karoli V. serae, et vectis Tuneti obsidione capti, et alterum Catenae ferreae Portum Smirnensem ambientis, ab Oliverio Caraffa Card. dono missae; quae Christiani nominis hostium exsuviae, ut jam docuimus ³, pluribus in locis Bas. suspensae fuerant, ac demum super hoc ostium collocatae sunt.

Totum Archivi Chalcidicum ⁴ habet long. pal. LXXVI,

¹ Tab. II. n. 35. ² Tab. II. n. 34. ³ pag. 1399. ⁴ Tab. II. n. 37.

et latit. xxii. Constat e iv. Conclavibus, quorum duo ab Arcu duabus columnis imposito, quae in Aede Sancti *Stephani Hungarorum* exstabant, e marmore thebaico divisa sunt. Basilicae Bibliotheca superius descripta¹, huic *Tabulario* conjuncta, ibidem diligenter adservatur in Pluteis e nuce, quibus undecumque parietes convestiuntur.

C A P V T X.

Diaetae Canonicae descriptio.

Sed, ut rursus ad primam *Canonicae* Aedis contignationem revertamur, Ambulatorium obversabitur, quod circum *Sacrarium* commune protenditur, fenestris laterilibus lucem in *Sacraria* immittentibus.

Binae Scalae cochlides ad Aedituorum domicilia, Ambulacra, Cellas, aliosque situs consurgunt. Hac adeuntur Zetae sex trichorae. Totidem in secunda contignatione invenies, praeter alias duas jam indicatas, Aedituorum commodo, et Conclave Phrigionis Bas. usui destinatum. Octonae item sunt in tertia contignatione, ubi praeterea Ambulatorium hypaetrum, circa Testudinem, sub arcubus Anteridum. Ibidem duplex patet ingressus in *Sacrarium commune*, qui ducit in internam, et externam Testudinis partem, usque ad Moenianum, circa Fastigium ultimum.

In quarta demum, ac postrema contignatione, decem aliae *Diaetae* occurrunt. Ex adjectis coenaculis, iter est ad amplum Solarium, editiori in loco, super Porticus Impluvii. Tota igitur *Diaeta* Canoniorum, constat xxxii. Coenaculis.

¹ p. 890. 915.

C A P V T XI.

Trini Ambulacri descriptio .

Quid vero haec ego persequar leviora? Ad *Sacraria* revertamur, ut tria Ambulacra testudineata, quibus illa cum Basilica conjunguntur, intueamur. Haec a pavimento ad fornicem, pertingunt ad altit. spythamarum xxv.

Alae utrinque laeto cultu, et magnifico ornatae. Nam Pilae omnes viridi marmore Africano sunt incrustatae, quod sectum est ex antiqua Columna palm. xiv, atque ambitus palm. v, e Tiberi educta, anno MDCCCLXXII, ope novi cujusdam instrumenti, quo Clemens XIV. Romani Fluminis alveum repurgare cogitabat, ut hinc quamplurima monumenta, quae ibidem pessimo publico sepulta delitescunt, in lucem proferret. Verum, irrito conatu, nullum aliud effodiendo periculum factum est; idque dumtaxat eò cessisse visum est, ut ipse etiam Tiberis *no-vo Sacrario Vaticano* nonnullum ornamentum tribueret, atque hoc, quantivis pretii, tamquam vectigalis, Tributum conferret.

Bernardus Poch^r siglam, PÆD CÆ N. III. in imo Columnae scapo insculptam, *Paedanius*, aut *Poedoros Caesari* interpretatus est, veluti donum ab ipsis Caesari datum; aut PAEDEROS CAESARIS, nimirum Caesaris Servus, qui lapidicinae praeerat, aut aere suo Columnam transmiserat; aut PAEDEROS, marmoris Columnae nomen, ac CAESARI, cui dono tsansmissa. Quod marmoris nomen esse contendit, a gemma *Opalo*, quae *Paederos*, et *Pederota*, vulgo etiam nuncupata. Hanc Pli-

^r De' Marmi estratti dal Tevere, e delle Iscrizioni scolpite in essi. Roma 1773. 4.

nus ita describit ¹. *India sola et horum est Mater. Est in iis Carbunculi tenuior ignis; est amethysti fulgens purpura, est smaragdi virens aura, et cuncta pariter incredibili mixtura lucentia.* Atque alibi ². *Paederos gemma est, in qua coeunt intus translucida crystallus, viridis suo modo aer, simulque purpura, et quidam vini, et croci nitor, sed purpura coronatus, et his pariter omnibus: nec gemmarum ulla est liquidior, captis jucunda varietate oculis.* Ita vel Alabastrum, Onyx dictum fuit a gemmae cognominis similitudine. Atque utraque marmoris species in hoc nobilissimo Aedificio obversatur.

Verum rectior hujusce Inscriptionis explicatio fuisse videtur.

P. AEIIVS COERANVS N. III.

cujus nomen legitur apud Gruterum ³. Saepe enim hujusmodi exempla in marmoribus, et Columnis occurrunt a Fabretto ⁴, Muratorio ⁵, aliisque allata, et a Ficoronio ⁶ in unum collecta. Verum praecipue ad rem nostram faciunt, quae idem tradidit, in imo Scapo Columnarum, ad Ripam Tiberis effossarum fuisse inscripta.

IMP. CAESARIS DOMITIANI

AVGVSTI GERMANICI

N. III.

EX GN. A. SVB CVRA SERGI 7. LEG.

XV. N. I.

Q. CANVSI PRAENESTINI

N. II.

¹ lib. xxxvii. c. vi.

² lib. xxxvii. c. ix.

³ T. p. cxxi. n. I.

⁴ Inscr. p. 13. n. 184.

⁵ in T. I. Thes. Inscr.

⁶ Piombi antich. Roma 1740.4. p. 12. 13. 14.

Has inter parastatas , in ambulatione transversa ¹ , surgunt solidae Columnae duodenae, gilvi marmoris, quod vocant, *bigio*, e colore cinereo, quarum septem exstabant in dejecta Aede S. *Stephani Hungarorum*. Nam octava Ostiae reperta fuit, atque alteri subrogata, quae fracta quum esset, contra Aedem S. *Stephani Abyssinorum*, orthostata collocata fuit. Aliae quattuor in Latifundio S. *Spiritus in Saxia*, quod vulgo audit *di Porcareccia*, reperiae sunt. Omnium Capitula e Lunensi marmore sunt Ordinis compositi, stemmatis Pontificii insignibus variata, planeque gemina iis, quae vidimus, ubi Pontifex sedens colosseus adspicitur.

Decem Cherubini marmorei, ex Altaribus Bas. Vatic. remoti, quum eorum vice subrogata sunt Pontificum Mausolea, ludere quodammodo videntur super totidem Specularia, inter Toenias, atque Lemniscos. Vtriusque Ambulacri Pteromata hinc inde perbelle ornata sunt inscriptionibus sacris, et profanis, quae pridem, magnam partem, exstabant in dejecto *Sacrario*; quasque hunc in locum contractas; grato cuique, et jucundo spectaculo, ob oculos exhibendas curavit PONTIFEX providentissimus. Eisdem in nostra *Sylloge Monumentorum* Scholiis illustratas habebis. Nunc satis sit, eorum ordinem, situmque indicare.

xxII. sunt eae, quae exstant in Ambulacro, per quod iter est in Subseliarium ². Super ostium *Sacrarii* Canonorum sita est inscriptio honori *Alexandri VII.* posita ³. Heic autem viret sertum plectile elegantissimum florum, ac fructuum, ex Cella S. *Michaelis Archangeli* ⁴, remotum, quum ibidem Apographum Guidonis Rheni,

1 Tab. I. n. 5.

2 Tab. I. n. 9.

3 V. p. 1399. 1421.

4 V. p. 1089.

musivo opere elaboratum, substitutum fuit antiquiori Caesaris Arpinatis.

Dextra occurrit Inscriptio ab Alexandro VI. *Petro Caranzae* Hispano dicata. Ex adverso super Januam, quae ducit ad Musicorum Conclave ¹, legitur altera *Paulli Puteolani* Parmensis.

Ex altera parte exstat Inscriptio *Vrsi Togati*, atque aliae tres e regione.

Septem vero leguntur in opposito pariete, atque has inter, illa *Q. Herennii*, ab Argentariis, et Exceptoribus, itemque Negotiatoribus Vinariis Supernat., et Arimin. posita; ac totidem contra, in quibus eminent *Acta Fratrum Arvalium*.

Denique super Januam, quae ad Subseliarii Cellam introducit, ne fausti in Urbem reditus *Imperatoris Pii Felicis Aug.* memoriam ulla unquam deleat oblivio, hujusmodi sita est Inscriptio:

IOSEPHO II. ROM. IMP. AVGVSTO

QVOD . IN . DOMINICI . NATALIS . DIEI SOLEMNITATE
ANNO MDCCLXXXIII.

PIO SEXTO . PONT. MAX.

VESPERAS . ET . SACRA . AVGVSTIORI . RITV PERAGENTE
PRAESENS . EADEM CELEBRAVERIT
NOVI . SACRARI . AEDIFICIVM . STVDIOSE . INVISERIT
MONVMENTVM . POSITVM

Si vero scisciteris, quanta sit extensionis linea recta, quae a Janua Subseliarii, usque ad imum *Conclave Ca-*

¹ V. pag. 1450.

pitulare, et Ostium *Sacrarii Canonorum* protenditur, haec est palm. cxxxii; illa cxlvii.

In gemino Ambulacro ¹, quod a *Sacrario Beneficiorum* in Templum Vaticanum praebet ingressum, quinque Inscriptiones obversantur. Earum prima super januam, corona plectili, instar alterius supra descriptae efficta, adornatam, legitur, in hunc modum.

PIVS SEXTVS P. M.

PRAEDECESSORVM . SVORVM . ALIORVMQ.

PIETATIS . ERGA . BASILICAM . VATICANAM

MONVMENTA

E . VETERI . SACRARIO

TRANSTVLIT . ET . ORNAVIT

A . PONTIF . VI.

Sinistra parte, Protome marmorea occurrit Card. *Francisci Barberini Senioris*, a Karolo Card. Fratris Filio, una cum subjecta Inscriptione, in ejus honorem apposita ². Dextra supra januam, quae ducit ad Conclave Praefecti Gerulis Decurialibus Basilicae, alteram leges, *Iohannae Cordubae* dicatam.

Rursus laeva conspicitur Herma aheriteus *Benedicti XIII*, tabula marmorea subjecta ³.

Obviam venit, alterum grati animi monumentum, omnium Ordinum Cleri Vaticani erga *Paullum IV*, ejus nimirum Protome ectypa, aeneae tabulae inauratae super imposita ⁴.

A Janua *Sacrarii Beneficiorum*, usque ad clathros

¹ Tab. iI. n. 7.

² V. p. 1390.

³ V. p. 1392.

⁴ V. p. 1391.

ferreos , palm. ciiI. intercedunt . Parte dexteriore Cancellorum , patet janua ¹ , quae e via publica per gradationes hypaethras , recta ad Templum , in postico praebet adscensum .

Paullo post , ad situm formae rotundae pervenies ² , ubi primum exstabat unum ex Scalariis octonis , in cochleae formam constructis , quae ducunt ad totidem Octogona interna , ejusdem ambitus Templi Ariciensis , a Bernino conditi , quae quattuor Parastatas Hemisphaerii maximi mirifice fulciunt , atque ad Ambulatoria , Coronam , Moeniana , aliasque denas Basilicae Testudines , senas formae ovalis , quaternas octangularis ; quarum nonnullae , Tentoriorum instar , sese attollentes , aliaeque sese deprimentes , praeter ingentem murorum , domatum , tectorumque varietatem , quae circum undique conspicitur , prorsus efficiunt , ut incertus haereas , num super Templum , an potius super Urbem adscenderis .

Hujusmodi scalae a Templi solo detruncatae sunt , per altitudinem spithamarum lx , fractis coementis , medio pariete farcito , quod *Diamicton* vocant , ac macerie congesta ibidem subrogata . Hic idem situs distat palm. cclxx. ab ima parte Conclavis , ubi argentea supellex adservatur .

In fornice exstat Speculare testudineatum , e crystallis compactum .

Sequitur *Sacrarii* Vestibulum ³ , ubi Simulacrum marmoreum *Andrae* Apostoli ⁴ , Aeropodio innixum admiraberis , quod sacrae hujusce Aedis , in honorem germani Fratris erectae , ingressum tuetur , atque ornat . Circum exsurgunt Columnae structiles quaternae e marmore The-

¹ Tab. viI. n. 6. ² Tab. iI. n. 3. Tab. viI. n. 5. ³ Tab. iI. n. 5. ⁴ V. p. 709. 1091.

baico, Capitulis e marmore Lunensi ornatae, ordinis Jonici, quem vocant *Michaelis Angeli*¹. Eaedem, una cum totidem antis, ex Columna lat. palm. v. et xx. longit. constructae sunt, quae primitus in Templo exstabat ad aram, quam vocant, *Lenunculi*, quaeque sublata fuit a Ludovico Sergardi, ut eas, quas modo ibidem cernimus, crocei marmoris Senensis substitueret. Ejusdem veluti Soror, long. palm. xxxix. et semis, integra adhuc jacet, propter januam Officinae Artis musivariae, ac diu manum beneficam praestolari videtur, quae e temporis injuriis sartam tectam rursus in Bas. ornamentum reducat. Reliqua alterius segmenta ad sternendos gradus Valvarum Basilicae adhibita fuerunt.

En igitur, jam ad Templi Vaticani ingressum, eadem via², qua primum eô aditus erat e dejecto *Sacrario*, sed longe commodiori, ac splendidiori pervenimus; nosque excipiet nobile Propyleum e nuce constructum, ac insignibus inauratis PONTIFICIS vere Maximi, augustissimae hujusce Molis conditoris exornato.

Quapropter nihil aliud restat, nisi ut debita eorum cuique laus tribuatur, qui in hujus Aedificii partibus adornandis operam suam egregie collocarunt.

1 Vasari Vita di Michel Ang. Pittore, Scultore, e Architetto. 1550. 1568. Livorno 1772. T. vi. pag. 161. La med. scritta da Ascanio Condivi. Roma 1553. e corretta, e accresciuta. Firenze 1746. fol. La vie par Malafaire. dans le nouveaux

Mercure de Nov. 1713. pag. 119. Preface sur la Vie, et les ouvrages du Michel Ange dans le Cours d'Architecture du S. Daviler. a Paris 1710. 4. pag. 261.

2 Tab. II. n. 4



ARTIFICES MOLITIONIS NOVI SACRARI.

ARCHITECTVS

Carlo Marchionni Romano .

PRAEFECTVS OPERARVM ET AEDIFICATIONIS

Giacomo Sangermano Romano .

SCVLPTOR STATVAE D. N. PI

Agostino Penna Rom.

SCVLPTOR AMOENIORIS SCVLPTVRAE ET ARGVTIARVM

Franc. Maria Franzoni di Massa Carrara .

PICTOR TABVLARVM IV. IN VTRAQVE CELLA CANONIC. ET BENEFIC.

Antonio Cavallucci di Sermoneta .

PICTORES PARIETARI MONOCHROMATVM

Gio. e Vincenzo Angeloni Rom.

MVSIVARI

Gio. Batt. Bonfreni , Lor. Rocchegiani , Bart. Tomberli , Dom. Cerasoli Rom.

ARTIFICES OPERIS INTESTINARI

Gio. Ermans Rom. Andrea Mimmi del Tirolo .

PLASTES TYPORVM ET TECTORI

Gio. Maria Rusca di Torricella , nella Diocesi di Como .

MARMORARI ET PAVIMENTARI

Nicola , e Alessandro Cartoni Romani .

PRAEFECTI STRVCTORVM

Franc. Bandiera , e Franc. Antonio Lovatti Rom.

FABRI FERRARI ET AERARI

Gio. Batt. Monti , e Giuseppe Palombi Romani .

FABER LIGNARIVS

Gio. Batt. Radici Romano .

DIATRIBA
DE
ORTV SITV NUMERO
INQVILINIS INTERITV
MONASTERIORVM
VETERIS
BASILICAE VATICANAE.

DE MONASTERIIS VATICANIS

CAPUT I.

De Templo S. Stephani Hungarorum .

Templum *S. Stephani Hungarorum* , vulgo nuncupatum , etsi mole non satis amplum , tamen vetustate , ac celebritate admodum praestitit ; eodemque tempore esse desiit , quo nuperum *Bas. Vat. Sacrarium* . Vt enim latior pateret area ad novum excitandum , mense Julio , anni *MDCCLXXVI* , solo dejectum est ¹ . Quamobrem aequum videtur , ut ejus etiam nomini , ac famae , quantum quidem in nobis situm est , consulamus . Quod opus pretio suo non carebit : plura enim , nec aspernanda , heic etiam occurrent , nondum fortasse satis comperta , quaeque majori luce profecto indigebant .

Sed priusquam de hujusmodi Templo dicere aggredior , quum idem antiquitus unum fuerit ex *Monasteriis* , quae Vaticanam Basilicam ambiebant , pauca praefanda esse duco de origine , situ , nomine , numero , Inquilinis , atque interitu , hujusmodi *Monasteriorum* , quae satis diu aliquem efflagitare visa sunt , qui ad eorum memoriam posteritati consignandam , ut porro merebant , incumberet . Nam pauca tantum sparsim de iis apud nonnullos Scriptores obversantur . Quae quidem , etsi prima fronte ad nostrum argumentum minus spectare videantur , non ita tamen ab eo discedunt , ut cum ipso nihil habeant commune .

¹ V. p. 1438 , et Tab. 111. n. 26.

§. I.

Monasteriorum Bas. Vat. numerus, et nomen inquiritur.

Johannes XIX. in diplomate ¹, quo facultatem concedit Episcopo Sylvae Candidae, divina officia certis diebus celebrandi in Basilica Vaticana, *quinque Monasteria constituta juxta magnam Ecclesiam S. Petri*, fuisse dicit, nimirum *S. Stephani Majoris, et Minoris, Sanctorumque Iohannis, et Paulli, et B. Martini, atque Hierusalem*. Verum Mabillonius, qui haud exiguam ejusdem diplomatis partem evulgavit, in suo exemplari ² pro Monasteriis *S. Stephani Majoris, et Minoris*, ponit *S. Mariae*.

Vghellius autem, qui integrum diploma in lucem edidit, *Monasteria* circa Bas. Vat. exstructa ³, *S. Stephani, SS. Iohannis, et Paulli, S. Martini, S. Theclae, et in Hierusalem* appellat.

At Ciampinius ⁴ sextum quoque adjunxit *S. Stephani Minoris*, a Joh. XIX. memoratum, et ab Vghellio omissum. Ceterum de hoc *Monasteriorum* numero, nemo, quem sciam, Ciampinii sententiam sequutus est; ac si Bonannium excipias, qui Vghellio adhaesit, ceteri, quotquot de iis meminerunt, quaterna, aut quina fuisse tradiderunt. Quid enim morer sententiamne, an errorem Camilli Fanuccii, ⁵ qui contra omnium monumentorum auctoritatem, septem fuisse *Monasteria* circa Bas. Vat. exstructa affirmavit, quin proferret eorum nomina, sed tantum de *S. Stephani Minoris* Monasterio pauca ediseret?

Iam prae ceteris Mabillonium audiamus, qui de hu-

¹ T. I. Bull. Vat. p. 17.

² T. II. Mus. It. p. 154.

³ T. I. Ital. Sacr. p. 103.

⁴ p. 92.

⁵ p. 84.

jusmodi *Monasteriis*, in *praevio Commentario* in *Ordinem Romanum*, sic loquitur ¹. *Redeo ad Basilicam S. Petri, in qua Monachi quattuor Monasteriorum divina officia persolvebant. Haec erant Monasteria S. Martini, ac S. Stephani Minoris a dextro Basilicae latere, S. Stephani Majoris, atque SS. Ioh. et Paulli a sinistro. Quae Mabillonii verba recto stare talo, minime posse comperiemus, quod re ipsa quinque Monasteria fuisse constat, quodque illud S. Stephani Majoris, aliorum, atque positum fuit, indigitavit. Nunc per singula breviter discurremus, ut tandem in nostro S. Stephani Minoris, cujus gratia hanc disputationem in nobismet recepimus, quasi in opportuno hospicio, conquiescamus.*

CAPVT II.

De Monasterio SS. Iohannis, et Paulli.

Atque, ut a *Monasterio SS. Iohannis, et Paulli* exordiamur, quod in *Pontificum Diplomatibus* fere semper, ante alia nominatur, hoc a *S. Leone M.* aedificatum fuisse, diserte tradidit *Anastasius* in ejus vita ². *Hic constituit Monasterium apud B. Petrum Apostolum, quod nuncupatur SS. Iohannis, et Paulli.* Sed hic *Anastasio* locus *Panvinio* ignotus fuisse videtur, qui hoc *Monasterium*, etsi ante *Gregorii III.* aetatem erectum, incertum tamen, a quo *Pontifice* conditum, fuisse ³ pronuntiavit. Quod tamen de *Mabillonio* dici nequit, qui *Monasterium a Leone M.* exstructum fuisse, ex eo agnovit ⁴, quod *Gregorius III.* in quadam de tribus ex his *Monasteriis* constitutione, id apud *Anastasio* testetur.

¹ p. xxviii.

² T. I. §. vii. p. 152.

³ T. III. ms. p. 20.

⁴ p. xxviii.

Hoc aeque Turrigii ¹, et Ciampinii eruditionem non fugit; verum eodem tempore, quo Leoni illud attribuunt, a *Galla Placidia* aedificatum, singulari inconstantia pronunciant. *Monasterium*, inquit ² Ciampinius, *SS. Iohannis, et Paulli, a S. Leone M. in ejus vita constructum reperio, et fortasse unum ex illis fuit, quod Galla Placidia, ut supra narravimus, excitavit*. Neque minus miraberis, quod Augustinus Lubinus ³, quum hoc Monasterium *incerto auctore excitatum ante centum, et mille annos plus minus, affirmasset, continenter addiderit, testem appellans Floravantem Martinellium, fuisse illud a S. Leone institutum*.

Nunc, quum me ab ejus origine statuenda jam expedierim, praestat Anastasium excutere, ut Pontifices de eodem benemeritos videamus. Ac primo nobis exhibet Leonem III, qui ⁴ *fecit in Monasterio SS. Iohannis, et Paulli, quod ponitur juxta B. Petrum Apostolorum, canistrum ex argento, pensantem libras III*. Eadem refert de Leone IV, qui ⁵ *in Monasterio SS. Iohannis, et Paulli fecit aliam lucernam argenteam similiter supradictae, pensantem libras viginti duas, et dimidiam, quae dominicis, vel festis diebus, juxta Lectorium consistentibus ad legendum sacras lectiones, magno luminis splendore lucescat*. Onuphrius Panvinius ⁶ refert diploma Gregorii IX, quo cumulatissima criminum Indulgentia iis impertitur, qui festa eorum die, contiguam Bas. Vat. pie, ac devote adibant. Hoc idem Monasterium non modo indicatur in memorato privilegio Iohannis XIX, sed etiam in altero *Benedicti IX*, Petro Episcopo Sylvae Candidae, qui et Episcopus S. Rufinae

¹ de SS. Michaelis et Magno c. x. p. 27.

² p. 92.

³ in Notit. Abbatiar. Italiae. p. 336.

⁴ T. III. §. LXXVII. p. 289.

⁵ T. III. §. xcIII. p. 129.

⁶ de viI. Eccles. p. 35.

vocabatur, concesso, apud Vghellium ¹, et Bullarii Vaticanani editores ².

Verum hic idem locus in altero diplomate S. Leonis IX, ³ *Sacrosancta SS. Iohannis, et Paulli Ecclesia* nuncupatur. Ac Sacerdotium ibidem institutum fuisse patet ex iis, quae legimus in Necrologio Bas. iv. Kal. Nov. *Obiit Presb. Berardus Frater noster, Cappellanus Sanctor. Iohannis, et Paulli, qui reliquid Basilice nostre xxvii. flor. auri. Expendantur pro anniversario suo xx. soll. bone monete.* Quocirca constat eodem loco, *Monasterium*, et *Ecclesiam* fuisse ejusdem nominis, ut recte Ciampinius ⁴, et Ianingus ⁵, una cum Alpharano ⁶, opinati sunt. Nunc, age, post ejus originem, nomenque, situm etiam diligenter exploremus.

Hoc *Monasterium* in tabula nostra ichnographica, *litt. b.* ad Aquilonem, designatur; in ea nimirum Basilicae parte, *ubi nunc SS. Michaelis Arch. et Erasmi Altaria* sunt, ut placet editoribus Bull. Vat. ⁷; seu, quod tamen fere eodem recidit, ut post Martinellium ⁸, Lubinum ⁹, et Plazzam ¹⁰, Vignolius ¹¹ a Bandinio ¹² probatus putavit, *erat aedificatum in loco, ubi nunc est absis ad Septentrionem, seu Sacellum SS. Processi, et Martiniani.* Sed quid de ejus situ scriptum reliquit Alpharanus ¹³, religioni ducam proferre. *Post dictum Oratorium*, inquit, *S. Iohannis ad fontes, extra Basilicae parietes ad Aqu-*

¹ T. I. p. 152.

² T. I. p. 17, et 108.

³ T. I. Bull. Vat. p. 17, et 20.

⁴ p. 94.

⁵ T. vi. Iun. p. 159.

⁶ ms. p. 24.

⁷ Tom. I. p. 33. V. Cennii adnot. ad

Diss. LXII. Muratorii dell'Istituzion de'

Canonici T. II. P. I. p. 37.

⁸ p. 363. ⁹ p. 336.

¹⁰ in Emerol. p. 549.

¹¹ T. II. §. xx. p. 115.

¹² T. II. §. LXXVII. p. 289.

¹³ ms. p. 24. sublit. h.

lonem, in singulis angulorum extremis, aliquantulum a Basilicae parietibus distantes, erant duo magnae Ecclesiae antiquae, nomine ignotae, in novae Basilicae exstructione disiectae, quorum alteram contra Occidentem Monasterii SS. Iohannis, et Paulli Ecclesiam, ubi Basilicae Sacerdotes Deo psallentes canonice vivebant, alteram vero contra Orientem SS. Sergii, et Bacchi Diaconiam a Gregorio III. exstructam pro sustentatione pauperum, in qua Diacones Diaconiae ministerio pauperibus administrantes habitabant, ex libris fuisse coniecimus, et fuit una Canonica Bas. Vat. Ceterum quum nulla amplius exstent ipsius vestigia, quibus olim finibus contineretur, difficile est investigare.

Paulli V. jussu, deletum fuisse traditur; ac dum novi Templi fundamenta jacerentur, ut Barpht. Piazza¹ memoriae consignavit, absis reperta est Caelitis Sancti utriusque imaginibus, musivo expressis ornata.

Haec autem omnia adtigisse, non inutile erit, quum ab ipso eruditissimo Daniele Papebrochio, etsi copiose agat² de vetustissimo Martyri utriusque cultu in Vrbe habito, praeter Templum ad Clivum Scauri iis dicatum, et primum a Philippo Rondinino³, deinde ab Andrea Budriolo⁴ illustratum, penitus omissa fuerint.

1 in Eph. Vat. p. 365.

2 Passio SS. Ioh. et Paulli Fratrum. apud Surium die 26. Junii pag. 333, et in T. v. Junii p. 158. 163.

3 De SS. MM. Ioh., et Paulo, co-

rumque Basilica in Vrbe Roma vetera monumenta. Romae 1707. 4.

4 De' SS. Giovanni e Paolo Fratelli Martiri Romani Ristretto Istorico. Roma 1728. 8.



C A P V T III.

De Monasterio B. Martini.

Sequitur alterum *B. Martini* Coenobium, *cujus*, ut ait Vegius ¹, *auctor ignoratur*. Eundem pariter sese ignorare fatentur, Panvinius ², Ciampinius ³, Janningus ⁴, et Bull. Vat. editores ⁵; ac ne Lubino quidem innotuit, qui ⁶ *et vetustissimum, ejusque initia obscura* esse dixit. Ceterum, si Turrigio ⁷ credimus, *Leo M*, qui alterum *SS. Iohannis, et Paulli* aedificavit, hoc item *B. Martini* construxit, quod erat alterum Vat. Bas. inservientium domicilium, eidemque Basilicae haerebat. Id autem fit admodum verisimile, propter singulare studium, quo *Leo M. Martinum* prosequabatur, quem primum inter *Confessores* fuisse voluit, qui, instar Martyrum, in divinis officiis coleretur ⁸.

Sed idem *Monasterium* diverso modo apud Scriptores appellatum reperies. Modo enim dicebatur *S. Martini foris muros*, quod tunc temporis extra Pomoerium Mons Vaticanus situs erat; modo *S. Martini ad Petrum*, quod, ut Mallius animadvertit, *situm erat post S. Petrum, sive post absidam, in introitu Ecclesiae S. Petri*; ac demum *Sancti Martini juxta ferratam*, ut colligimus ex Grimaldo, Martinello ⁹, et Barpth. Piazza ¹⁰, ex ejus propinquitate ad *Petri Confessionem*, quae ab Anastasio ¹¹ in vita Pa-

1 T. vI. Iunii n. 115. p. 80.

2 T. 11I. ms. p. 18.

3 p. 92. 4 T. p. 159.

5 T. I. p. 15.

6 p. 339. 7 p. 60.

8 V. Bonam, Martenium, Gavanthum,

Galesinium in Martyrologio, et Io. Melch. Goezii Dissertat. de Martino Episcopo Turonensi. Ienae 1697. 4.

9 p. 377.

10 in Eph. Vat. p. 659.

11 T. 1I. §. v. p. 323.

schalis, *Ferrata* vocatur. Atque ita vulgo venisse discimus ex pervetusta *Peregrinorum Instructione* infra afferenda, et ex P. Mallio¹, qui *Xystum P. et M.* sepultum fuisse dicit *juxta ferratam, prope Corpus B. Petri*.

Quae quidem denominatio, fortasse orta est ex ferreis cancellis, qui primitus Vatic. Confessionem muniebant, quae deinde aerea crate ab *Innocentio III.*² circumvallata, ac praeclosa fuit. Quam in rem juvat proferre insignem locum Gregorii Turonensis, qui S. Petri sepulcrum ita describit³. *Sepultus est in Templo, quod vocitabatur antiquitus Vaticanum, quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta sex habens. Habet etiam quattuor in Altari, quae sunt simul centum, praeter illas, quae Ciborium sepulcri sustentant. Hoc enim Sepulcrum sub Altari collocatum valde ratum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis Cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super Sepulcrum, et sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quae necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio.*

Nam *Confessio S. Petri* ferreo duplici cancello in modum *Cataractae* compacto muniebatur, quorum primus exterius, alter interius sepulcrum ambibat. Hinc epistola encyclica Vigili Pontificis ad Ecclesiam universam, sacrum hunc locum memorans, inquit, *posito indiculo su-*

1 T. vJ. Iunii c. 111. n. 51. pag. 41. et pag. 46. n. 96.

2 Tom. 11. Anast. Blanch. pag. 233.

3 lib. I. de gloria MM. c. xxviii. p. 750. *Alpharanus in mss.* Fu anc. ornato da Innocentio PP. 111, come appare nelle crate de metallo, nel luogo chiamato *Confessione*. Innanti l'Altare della parte

de sotto nel luogo d. *Confessione S. P.* nella crate di metallo sopra la porticella della Confessione fatta da Innocenzo Terzo, vi sono questi versi intagliati nel metallo. V. Severanum de viI. Eccl. p. 119. Panvinium l. 111. c. 14. Martinetti Pregj della Bas. Vat. l. 11. p. 51. Borgia de Conf. Vat. p. 63. 69.

per Altare, et Cataracta B. Petri. Itemque epistola Legatorum Germani, et Johannis Episcoporum, nomine Iustiniani Comitis, ad Hormisdam P. ¹, haec habet. *Sanctuaria BB. Apostolorum secundum morem ei largiri praecipite, et, si fieri potest, ad secundam Cataractam ipsa Sanctuaria deponere, vestrum est deliberare.* Nam longe major, ut Mabillonius animadvertit ², praerogativa censebatur, si ex secunda fenestella, ubi propior sacri Corporis contactus esset, super sacrum loculum panni, aut brandea, Palliola, Sanctuaria, Patrocinia, velamina inferrentur, quae ante in momentana, seu statera ponderari solebant ³, ut ex majori, quod inde accedebat, pondere, gratia virtutis accepta nosceretur; quemadmodum fieri solebat, eodem Gregorio teste ⁴, ad sepulcrum S. Martini. Ibidem quoque, nimirum in labro secundae fenestellae, ex aeneo clavo superius affixo suspendebatur vas carbonibus, et ture plenum ⁵, quorum unum a Leone III. donatum fuit ⁶, eodem plane ritu, quo *reponebatur turibulum in unco plenum carbonibus, et incenso super Corpus B. Paulli* ⁷, in Basilica, via Ostiensi. Praeterea hunc ipsum locum ex Anastasio in vita Benedicti III. ⁸ *Billicum Confessionis* nuncupatum fuisse putat Turrigius ⁹, ubi tamen Macer ¹⁰, aliique *Vmbilicum* potius legendum esse contendunt; atque auream laminam, qua ejusdem *Billici* limbum, seu circuitum Benedictus, et Nicolaus I. ¹¹ ornaverant, *jugu-*

1 T. II. Epistol. Rom. Pont. Coustantii, et in T. v. Concil. Labbei edit. Ven. p. 647.

V. Valesium ad Sozomenum l. ix. c. II. Borgia T. II. Mem. di Benevento p. 355, et de Cruce Velit. p. 202.

2 in Comm. in Ord. Rom. p. cxxxII.

3 lib. I. de gloria MM. cap. xxvII.

4 in lib. I. de Miraculis.

5 in Ord. xII. Cencii Cam.

6 in Anastasio.

7 in Ord. xI. Bened. Can. V. Torrigio Grotte Vat. p. 470.

8 T. II. p. 162.

9 Grotte Vaticane p. 461.

10 in Hierolexico.

11 p. 177.

lum antiquitus nuncupatum fuisse, Steph. Borgia animadvertit ¹.

Nunc, variis *Monasterii*, de quo agimus, denominationibus explicatis, ejus situm inspiciamus. Nam discernendum est ab *Ecclesia Sancti Martini in Portica*, quae etiam *Sancta Martina*, seu *Martinella* dicta fuit in *Palatio Prioratus, in Platea S. Petri*; quam quidem denominationem probant, quae narrat Turrigius ². *Nel 1586. avanti che si alzasse la Guglia, scrissero alcuni, che nella Chiesa, o Cappella di S. Martinella, si dissero due Messe dello Spirito S. e si comunicarono tutti i Capomastri, e Lavoranti, per il felice successo dell'alzare la sudetta Guglia de S. Pietro a di x. Settembre.*

Grimaldus, Martinellius ³, Piazza ⁴, et Vignolius ⁵ situm fuisse putant, ubi nunc *SS. Leonum Pontificum Sacellum*. Contra vero peritissimi Bullarii Vaticani editores ⁶ exstitisse opinati sunt, ubi nunc *Aram Veronicae* vocabulo insignitam videmus. Sed Alpharani quoque proferam testimonium ⁷, quod nemo semper non lubentissime excipiat. *Iuxta praedictum Sepulcrum, quod B. Silvestri a vulgo putabatur, in parietibus Basilicae ad Occidentem porta antiquissima erat* ⁸, quae ad *Ecclesiam, et Monasterium S. Martini iter patebat, in quo Sacerdotes Basilicarii Canonici vivebant, in quo et S. Leonem P. IV. a teneris annis nutritum fuisse legimus cujus hodie nulla supersunt vestigia Monasterii.*

Hoc Monasterium inter *Diaconias* adscriptum, quantitatis pretii donis auctum, et a solo instauratum fuisse

¹ de Vat. Conf. p. 43.

² Grotte Vat. p. 560.

³ p. 377.

⁴ in T. II. Emer. p. 456.

⁵ Tom. II. p. 47. in Greg. II. ibid.

⁶ XL. p. 115. in S. Steph.

⁷ T. I. p. 15.

⁸ ms. pag. 19. lit. a. 8 num. 13.

a Leone III. docet Anastasius, cujus haec sunt verba ¹. Verum etiam et in Diaconia S. Martini, quae ponitur juxta B. Petrum Apostolum, instar fecit coronam ex argento pensantem libr. vI. Hoc idem Monasterium Diaconiae titulo indicatum fuisse comperi ex altero monumento, quod me singulari Joh. Christophori Amadutii eruditioni, atque humanitati debere profiteor. Nam ex libro Enphyteusium Farfensium haec summa fide, ac diligentia descripsit ². Ego Andreas vir honorabilis, seu Maria Hplla, atque germani fratres petimus vobis Dom. C. (idest Campo Abbas Monasterii Farfensis, de quo consule Antistitem Cyrenensem, in libris eruditissimis *del Gabio antica Città di Sabina* ³, e *del Primicero della S. S. Apost.* ⁴) Vir venerabilis, ut nobis locare jubeatis libellario nomine an. xxviii. res juris sancti vestri Monasterii, id est hortum unum in integrum cum arboribus pomorum et ficus, positum foris porta Beati Petri Apostoli, intra Civitatem novam, quae vocatur Leoniana, juxta muros ipsius, ab uno lat. hortus Sancti Stephani Mar., qui appellatur majoris, ab alio latere hortus Sanctorum Iohannis, et Pauli, a III^o lat. hortus Diaconiae Sanctorum Silvestri, et Martini, a IIII^o lat. murus praedictae civitatis, et Terram sementariciam mod. I. positam foris muros in Terrione, et intro aquam, et usque in murum antiquum; omnia concessa sunt ad colendum, et meliorandum, et singulis quibusque annis vobis pens. reddendum den. vI. in mense Aug., et si in hoc mense persoluta non fuerint, tunc in mense Sept. duplam eam dare promitto sine omni litidio, vel reclamatione, aut qualibet occasione; propter quod recepistis a nobis libellaticum argenti unc. IIII^{or}. et pars his omnibus contraria com. patienti auri unc. vI. obrizi. ✕ Fau-

¹ T. II. §. LXXVII. p. 290.

² p. 105.

³ p. 53. 72.

⁴ p. 76. 200. ad 207.

*stinus tabellio subscripsit ann. III. Dñi Leonis VI. PP. mense Mar. indict. XII. Hujus locationis testes pñimia tomi vetustate nequini hic scedare. Sed quum Leo VI. mense Junio, anni CMXXVII. electus, ac Februario sequentis anni, diem suum functus fuerit, atque Indictio XI, minime vero XII. tunc flueret, aperte liquet, pro Leone VI, legendum esse VII; qui quidem Pontifex, ineunte Ianuario anni CMXXXVI. ad Petri Cathedram euectus, e vita migravit, die XVII. Iulii, anno CMXXXIX. Praeterea aliud etiam cubare mendum puto, ubi *Diaconiae SS. Silvestri, et Martini* fit mentio. Nam etsi Anastasius memoret ¹, *Diaconiam S. Silvestri, quae ponitur juxta B. Petrum Apostolum*, hanc tamen diserte distinguit ab altera *S. Martini*, quam continenter nominat.*

Sed amplius nullibi Anastasius *Diaconiae* titulum huic *Monasterio* impertiit. Nam alia dona eidem a Leone collata recensens, inquit ². *Fecit et in Monasterio S. Martini, quod ponitur, ut supra, canistrum pensantem libras IV. et uncias III.* Et rursus in ejusdem Pontificis vita ³. *Pari modo et Monasterium B. Martini Confessoris, atque Pontificis, situm, ubi supra, quod nimia fuerat vetustate quassatum, pene omne a fundamentis restauravit.* Ac paullo infra ⁴. *Necnon et in Monasterio S. Martini, ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam habentem in medio Crucem de chrysoclavo cum peryclisi de Tyrio.*

Vehemens hoc *B. Martini*, de Ecclesia optime meriti ⁵, honoris augendi studium, quo *Leonem III.* flagrasse vidimus, *Leonem IV.* aemulatum esse, infra demonstrabimus.

¹ T. II. p. 288.

² T. II. f. LXXVI. p. 290.

³ ibid. f. f. xc. p. 302.

⁴ T. II. f. cI. p. 309.

⁵ Geor. Gust. Difenbach de Martinorum in Eccles. meritis Diss. Ienae 1707. fol.

Vtriusque vero Pontificis vestigia *Benedictum* III. persequutum fuisse liquet ex Anastasio ¹, quum *simili modo et in Monasterio B. Martini fecit canistra exafoci duo ex argento purissimo pensan. libras num. quattuor, et semis.*

Equidem, ne longum faciam, commemorare praetermittam bona quamplurima, quae vetustissimo huic Coenobio Romani Pontifices contulerunt, uti videre licet in epistola *Stephani* II. ad *Fulradum* ², et in pluribus locis libri Pontificalis. Sed haec luculenter enumerantur in pervetusto *Leonis* IV. diplomate apud Bullarii Vaticanani editores ³, quod *marmoreae tabulae incisum, muro Basilicae supra Portam, qua ad idem Monasterium iter erat, diu affixum* fuisse Panvinius ⁴ declarat. Ex hoc autem diplomate, de quo loquuntur Mallius ⁵, et Vegius ⁶, patet Ecclesiam *S. Salvatoris de Terrione*, seu *ad Terrionem majorem*, aut *ad Terrones*, quod *Turrioni Leonis* IV. proxima erat, juxta *Turrigium* ⁷, seu *de Magello*, vel *de ossibus*, a Peregrinorum Coemeterio, qui ibidem tumulabantur, cujus adhuc exstant parietes, qui definiunt aedem *S. Inquisitionis*, qua respicit *Portam Equitum levis armaturae*, a *Karolo M.* excitatam, et a *Nicolao V.* ut a *Turrigio* ⁷ habemus, instauratam, insigni huic Monasterio subjectam fuisse, una cum *Aede Dei Genitricis*, quae vocabatur *Schola Saxonum*, *Ecclesia S. Michaelis in Schola Frisonorum*, et *Ecclesia S. Zenonis*. Praeterea addit Panvinius ⁸, huic Monasterio fuisse obnoxia cum his, etiam tria *Oratoria*, quae erant intra *Basilicam S. Petri* illi proxima, scilicet *S. Xysti*, *S. Leonis*, et *S. Hadriani*.

¹ T. III. f. xxiv. p. 161.

² apud Felibianum in Hist. S. Dionysii p. xxviii, et in T. I. Bull. Vat. p. 12.

³ ibid. p. 15.

⁴ T. III. ms. p. 18.

⁵ p. 512.

⁶ p. 513.

⁷ T. III. ms. p. -18.

Vides igitur, *Leonem IV.* miro prae ceteris studio hunc locum prosequutum fuisse, multisque beneficiis cumulasse. Hic enim *primum*, quae verba sunt Anastasii ¹, a Parentibus ob studia literarum in Monasterium B. Martini Confessoris Christi, quod foris muros hujus Civitatis Romanae, juxta Ecclesiam B. Petri Apostoli situm est, quousque sacras literas pleniter disceret, sponte concessit; ubi non solum literas didicit, verum etiam in studio sanctae conversationis, non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus Monachus mansit. Cujus etiam piae conversationis exemplo, sub eodem Monachico degentes ritu, omnipotenti Domino plus devote serviebant. Eratque cum illis, quasi unus ex illis.

Ex quibus satis in aperto est, literarum professionem apud Monachos, per id temporis ² fuisse, atque illis tradi consuevisse nobiles adolescentes, in bonis moribus, atque in literarum studiis liberaliter informandos, uti etiam legitur de S. Leone II. ³, Sergio I. ⁴, et de Sergio II. ⁵, in eorum vita apud Anastasium. Porro ex hoc Monasterio, veluti ex insigni quadam pietatis, atque eruditionis palaestra, nullo non tempore prodierunt plures illustres Viri, qui Ecclesiae Romanae Alumni vocabantur, in Cardinalium numerum cooptati, atque ad ipsum Pontificatus fastigium evecti.

Quos inter praecipue numerandus certe est idem *Leo IV.* qui quum, uti modo dixi, in hoc Coenobio (minime vero in Monasterio S. Martini ad Montes, ut scripsit Giac-

¹ T. II. §. II. p. 65.

² Mabillonius de studiis Monasticis. Maderi Praefatio ad Chronicon Montis Sereni, Ant. Matthaeus ad Ioh. de Leydis p. 234. Frid. Lucae Europaeus Helicon. Bulaeus in Hist. Acad. Paris, Thomasinus

Tom. I. Part. II. lib. II. p. 27. Muratori Diss. XLIII. Ant. Ital. Borgia in Praef. T. I. delle Memorie di Benevento p. 16.

³ T. I. p. 287.

⁴ ibid. pag. 302.

⁵ T. II. §. II. p. 36.

conius, a Turrigio ¹ emendatus,) a prima aetate institutus fuisset, iccirco *memor priorum temporum*, amplissimis privilegiis idem augere, et pretiosis muneribus ditare studuit, uti pluribus in locis vitae, praeter jam allata exempla, testis est Anastasius. Ait enim. *Fecit isdem egregius Pontifex in Monasterio S. Martini, quod B. Petri Basilicae cohaeret, ad laudem, et gloriam ipsius B. Martini Oraculi, mirae pulcritudinis vestem, habentem historiam superius memorati Sancti, jacentis in lectulo, cum effigie Salvatoris D. N. I. Christi simul effigiem S. Martyris Agathae, habentis ad pedes effigiem ipsius almi Pontificis, habentem gemmas hyacinthinas XVII. Item in eodem Oratorio fecit vela IIII, et unum quidem habens rosas de Chrysoclavo III. Ac in altero ejus vitae loco, necnon, inquit ², et in Monasterium S. Martini, quod ipsius Apostolorum Principis Ecclesiae cohaeret, fecit aliam lucernam ex argento fusilem, ac bimixam, pensan. libras viginti, et septem, et dimidiam. Atque item alibi ³. Iam et Monasterium S. Martini, quod longo senio erat casurum, miris domorum aedificiis restauravit, et ad honorem meliorem, quam prius fuerat, funditus decoravit. In quo et vestem albam rosatam cum rosis obtulit, et Salvatorem cum Apostolis, et Virginem legentem nomen Domni Leonis III. Item vela quinque alba rosata, et unum quidem habens gammadias tredecim, et amigdalala de argento exaurata tria.*

Hanc eandem Aedem Cappellae titulo indigitatam video in Necrologio Vat., quod ita habet ⁴. *Kal. April. Fiat anniversarium pro anima bone me. Dñi Iohannis Cardi-*

¹ de SS. Mich. et Magno c. x. p. 26, et in Sacr. Troph. p. 153.

² T. III. §. XXI. p. 80.

³ ibid. §. xcIII. p. 129.

⁴ ibid. §. cvIII. p. 139. V. Cennium in Diss. LXII. Murat. T. II. P. II. p. 22.

nalis Episcopi Ostien. et Dñi PP. Vicecancellarii Nation. Gallici, qui in vita sua donavit nostre Basilice medietatem Castris Civitelle, junctam cum alia medietate nostre Basilice, emptam pretio mille florenor. in quo expendantur floren. tres manualiter ipsa die in Cappella S. Martini. Ac rursus ¹. VI. Nonas Jul. Item Rñus Pater Dñus Iohannes Episcopus Hostien. S. R. E. Card. Wiarien. donavit nostre Basilice medietatem Castris Civitelle, positi extra Portam Pertusam in Dioc. Portuen. junctam pro indiviso cum alia medietate ipsius Basilicae, quam ipse Rñus Pater emit a magnifico Dño Bertuldo de Vrsin. pretio mille florenor. et voluit, quod singulis Mensibus celebretur una Missa precedentibus vigiliis de Sancta Maria in vita sua, cum collecta pro felici Statu ejus, in Cappella Sancti Martini sita in ipsa Basilica, quam idem Dñus ampliavit, et depingi fecit etc. Ejusdem Cellae ibidem fit mentio v. Kal. Octobris in hunc modum. Consecratio Altarium S. Crucis, et S. Martini positorum infra Basilicam.

§. I.

*De Sacris Ordinationibus in Templo S. Martini
a Pontificibus olim peractis.*

Quod supra ² me facturum verbo recepi, modo re praestandum mihi esse video, ut probem nimirum, sacras Ministrorum Ordinationes, atque Episcoporum Consecrationes antiquitus in Templo B. Martini, rite peractas fuisse. At quoad primas, nihil est, quod demonstrare tam facile possim. Praesto enim est Sanctio Leonis IX, anno MLIV. inscripta ³ Iohanni Archipresbytero Ven. Eccl. B. Petri Apostoli

¹ p. 46.² p. 1186.³ Tom. I. Bull. Vat. p. 22. V. Garampi Memorie della B. Chiara p. 321.

et ejusdem Eccl. Canonicis, in Monasterio S. Martini nunc ordinatis, et ordinandis, ut in Choro B. Petri, diu noctu- que divina officia decantent in perpetuum.

Quod vero attinet ad *Episcoporum Consecrationem*, hanc ibidem sollempni ritu fieri solitam fuisse, Turrigius ¹ declarat. Sed quum is nullo teste rem conficeret, nec quibus scripturis, quoque auctore ejus opinio, (de qua nihil apud Morinum, Hallier ², Sbaraleam ³, Lupum ⁴, et Stanislaum Socolovium ⁵), niteretur, pro comperto habere, non parvam animo coepi voluptatem, quum reperi, vetustissimum hujusmodi usum, ex Ordine ix. luculenter apparere, cujus locum Panvinius ⁶ etiam, et Martenius ⁷ descripserant. En tibi ejusdem Ordinis verba ⁸. *Episcopi autem omni tempore benedicuntur. Nunc vero mos est, ut nocturno tempore benedicantur. Secunda namque incisione, idest lectione sexta, egreditur Pontifex de Ecclesia Sancti Petri, et ascendit Monasterium S. Martini, quod sub tegna ipsius Ecclesiae situm est, simpliciter cum reliquo Clero, incedens, et stat foris ostium Oratorii. Schola Cantorum incipit introitum: postea dicit Pontifex, Gloria in excelsis Deo. Sequitur oratio, et exeuntes ab Altare unus Presbyter, et alter Diaconus, induunt eum vestimenta Pontificalia, in primis linea, et cingulo, dein anagolagium grande, postea dalmatica minore, et cingulo, brachiale, et orarium brevem, deinde dalmatica majore, Clero interim canente responsorium Immola Deo, Tractum, Qui seminat, Evangelium, Misit illos*

1 de Sacris ordinationibus.

2 de Sacris ordinationibus.

3 in dissertat. de Consecratione Episcoporum per Romanum Pontif. Exst. in Bibl. Rocaberti. T. vI. p. 652.

4 Ritus de consecratione Episc. Romae

apud haeredes Nic. Mutii 1602. 4.

5 p. 126.

6 T. II. ms. c. xv. p. 66.

7 T. II. de Ant. Eccles. Rit. ex ms. Pontificali Salisburgensi p. 152.

8 T. II. Mus. It. n. 4. p. 91.

binos ante faciem suam. Et tunc advocatur in Basilicam Presbyter a dextris ejus, et Diaconus a sinistris. Ipse vero, inclinato capite, in medio eorum incedit, usquedum veniat ante Altare. Tunc exuuntur casula, et induit eum Pontifex planeta, et legit brevem hunc modum continentem. Cives, inquit, nostri elegerunt sibi illum Pastorem. Oremus itaque pro hoc Viro, ut Deus omnipotens infundat in eo gratiam Spiritus sui, et dignus habeatur ad Cathedram Episcopatus regendam. Et respondetur ab Schola, Christe audi nos, et canunt letaniam. Et tunc accedit propius ad Altare, subnixo capite. Pontifex vero ponet manum super caput ejus, et dicit unam orationem in modum collectae, alteram eo modulamine, quo solet Contestata cantari (nimirum hoc nomine, Praefatio, aut Inlatio Missae significabatur, ut notat Mabillonius¹, maxime apud Gallos) et sedet Pontifex in sella sua. Ipse vero osculatur pedem ejus, et suscipitur ad pacem, et sic consumatur Consecratio illius. Et ipso die, ubicumque Apostolicus Missam celebrat, de manu ejus Communionem accipiat. Itaque, ut Catalanus² apposite observat, etsi nunc Episcoporum Ordinationes diei Dominicae mane celebrentur, constat tamen, eas olim Sabbati nocte, aut Dominica summo mane, perseverante adhuc jejunio, post secundum matutinale Nocturnum, celebratas fuisse.

Quousque vero hujusmodi caeremoniae in Templo S. Martini peractae fuerint, incertum est. Nam illud unum constat, deinde in Templo rotundo S. Andreae, ac demum, in Cella eidem Apostolo intra Basilicam a Pio II. dicata celebratas fuisse, ut supra demonstravimus³.

¹ ibid. p. 92.

² T. I. Pontif. p. 171.

³ V. p. 707, 805, 1087.

§. II.

*De Mandato, Feria v. in Coena Domini,
antiquitus ibidem praestito.*

Nunc de ritu, quo pedes pauperum lavari, in hoc eodem Templo B. Martini, mos olim fuit, die natalis Calicis, sive feria v. in Coena Domini, ad *pedilavium Christi imitandum*, de quo exstant dissertationes Thomae Ittigii ¹, et Alberti Joach. Vonkrakevitz ², pauca disseramus. Id hactenus tamen Scriptorum omnium, qui hanc caeremoniam illustrandam susceperunt, quantum equidem legi, aut meminerim, eruditionem fugit. Nam, ut praeteream Pompeii Sarnellii Epistolam Ecclesiasticam XIII, ubi speciatim inquit, *cur tredecim, non duodecim laventur* ³, Iac. Gretseri *Podoniptrum, sive librum de more lavandi pedes peregrinorum, et hospitum* ⁴, Ioh. Frescobaldi *Pedilavium, sive de numero pauperum, quibus lavandi sunt pedes in feria v. Coenae Domini* ⁵, altum de hac re silentium apud eundem Franciscum Orlendum in lib. *de duplici Lavacro in Coena*

¹ Lipsiae 1699.

² de Pedilavio D. N. Iesu Christi. Rostoch. 1707. 4.

³ Perchè nel Giovedì Santo si lavano dal Vescovo i piedi a tredici, e non più tosto a dodici, se dodici furono gli Apostoli? Tom. I. pag. 56. della Sacra Lavanda, et in T. viI. Lit. Eccl. p. 36. Se sia lecito, che il Prete faccia l'ufficio del Diacono? in T. viII. pag. 46. Sposizione della Sacra Lavanda. in T. x. Lit. Eccl. p. 215. V. Antinoro Bernardini L'Ingratitudine e della Sinagoga, e la gratitudine della Chiesa di Dio per gli ornati, tanto nel convito per gli Enni, e Rnii Signori Cardinali di S. Chiesa,

quanto della Mensa per li xII. Sacerdoti Pellegrini, che nel Vaticano si fanno preparare d'ordine della S. di N. S. P. Clem. XI. nel Giovedì S. 25. Marzo 1717. giorno dedicato tanto all'Incarnazione del Verbo, che alla Passione, e Morte di N. S. G. C. Roma 1717. 4. Gerico, che s'interpeta Luna distrutta, ovvero la Luna Ottomana, depressa negli ornati... che d'ordine della S. di N. S. P. Clemente XI. si fanno preparare nel Vaticano per il giorno del Giovedì S. 14. Aprile 1718. Roma 4.

⁴ Ingolstadii 1610, et T. iv. Opp. P. I. de peregrinationibus.

⁵ Lucae 1710. 1713, et 1720.

Domini fidelibus exhibitio ¹. Quid plura? Idem Panvinius ad eum locum Ordinis x. ², Pontifex vero ingreditur Basilicam S. Laurentii, et sine planeta residens in Sede, facit Mandatum duodecim Subdiaconorum, continenter subnectit, vel S. Nicolai, si est apud Sanctum Petrum.

Itaque nihil profecto iis innotuit de hoc altero loco, quo olim Mandatum praestitum fuisse scimus ex Ordine XIV, ubi haec legas ³. De mandato fiendo in die Iovis Sancto rubrica. Missa igitur sollemniter peracta, indutus Pontifex, sicut cantavit, ascendit ad Palatium, comitantibus eum tam Episcopis, quam Presbyteris, et Diaconibus, omnibus paratis secundum ordinem suum. Pontifex vero ingreditur Basilicam S. Laurentii de Palatio, vel Capellam S. Martini, si est ad S. Petrum, et exiit planetam, et assumit sibi mantum in scapulis: imposito super Caput suum fanone cum mitra, facit mandatum, duodecim Subdiaconibus, rochetum cum superpelliceo portantibus. Cubicularii ponunt concham ante eum: ipse vero praecinctus linteo, habens ante se linteum mundum, quo unus Diaconus, qui ei servit, secundum D. Iacobum Gajetanum, ipsum Papam praecingit, bracheolam ad hoc portatam habens in brachiis, et linteum mundum ante se tenens: quae omnia debent parari per Thesaurarium, vel Fratres de Prognota (al Pignotta), et duodecim Subdiaconi manent foris Basilicam discalciati. Duo vero Ostiarii accipiunt priorem in ulnis, et portant eum ante Pontificem. Pontifex vero cum aqua calida, quam infundere debent Cubicularii, lavat pedes ejus, et tergit linteo, et deosculatur pedem ejus dextrum, et dat ei duos solidos; et sic facit unicuique Subdiaconorum, et dat ei duodecim denarios. Interim Cantores cantant Vesperum ante eum stantes, cum an-

¹ Florentiae 1710. 4.

² num. 12. p. 101.

³ §. LXXXIV. p. 257.

tiphona ad Vesperum, Calicem salutaris etc. *His dictis*, lectio non dicitur, nec versus, sed antiphona cantatur, Coenanti- bus autem etc. Omnibus completis, dicit Pontifex orationem legendo, Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam etc. ut moris est, prout in Vesperorum officii- bus hujus diei plenius continetur.

Etsi vero haec omnia magni momenti sint, ad vetustissimi hujusce Templi, ac Monasterii decus augendum, tamen illud etiam non in postremis ejus laudibus habendum est, quod ex eo profectus Iohannes Archicantor Ecclesiae S. Petri, et Abbas Monasterii S. Martini, jubente Agathone Pontifice, quem Biscopus Abbas cognomine Benedictus, hac de re rogaverat, in Monasterio suo, cursum canendi annuum, ut fidem faciunt Ven. Beda¹, Florentius Wigorniensis², et Henricus Huntundinensis³, sicut ad S. Petrum Romae agebatur, edocuit.

§. III.

De Simulacro aeneo S. Petri ibidem antiquitus collocato.

Quae hactenus adscripsimus, satis per se ipsa Templi hujus celebritatem posteritati commendarent; sed altera etiam causa fuit, quae ejus cultum mirifice propagavit. Fertur enim, ibidem aeneum S. Petri Simulacrum a Leone M. fuisse collocatum, quod maximam Templo venerationem, populique frequentiam in primis conciliavit. Verum non satis inter Scriptores convenit de primo ejusdem Simulacri auctore.

Ecce enim Vghellius⁴, ejusque asseclae Fratres Sam-

¹ Hist. Angl. l. iv. c. xviii, et lib. I. de Monasterio Wiremuthensi c. vi.

² p. 564.

³ lib. iv. Hist. p. 335.

⁴ de Episc. Portuen. T. I. p. 144.

marthani ¹, a Cardinali Richardo Oliverio Longolio de Augio, Gallo ex Normannia, quem Card. Papiensis insigni praeconio ornavit, ex aere Simulacri Jovis Capitolini conflatum, et in Basilica Vaticana collocatum tradiderunt, eo, quod in ipsa basi, olim ejusdem Cardinalis insignia visebantur, quae in icone ejusdem Statuae aere caelato anno MDCLVI, et MDCCXXVII. conspiciuntur. Turrius ² vero, etsi pariter ex aenea Statua Iovis Capitolini fuisse conflatum, cum Ioh. Henr. a Pflaumern ³. Aloysio Contareno, L. Fauno, aliisque, et ipse concedat, id tamen veteris MS. Archivi Vaticani testimonio, *Leonis M.* jussu praestitum fuisse contendit, postquam Vrbs *S. Petri* patrocinio ab Attilae flagello incolumis evaserat. Denique Henschenius scribit ⁴, non deesse alios, qui credant, ex eodem metallo, in meliorem usum converso, Constantini potius, vel successorum lege, conflatum esse.

Et sane nihil falsi Numinis, cui olim dicatum aes fuerat, nomen, et memoria potuit officere, quominus *Petro* Pontifici jam sacrum a Christifidelibus omni religione coleretur. Ennodius ⁵ enim innuit veterem hunc Christianorum usum, cujus luculenta collegit exempla Marangonius ⁶, ubi ait. *Ecce jam Christo propitio, ad novas fornaces simulacra redierunt: Ecce jam de obsoleta superstitione usus vester accipit, quod laetetur, dum de veteri Tonante nova merito vascula praeparantur.* Quod item Socrates ⁷ narrat, Theodosium fieri jussisse de Idolis Alexandrinis, quum, ut Teophili Episcopi precibus annueret, Templorum, et Statuarum eversionem indixit, ac *Templa qui-*

¹ in T. II. Gall. Christ. p. 894.

² p. 126. 348, et in S. Troph. p. 154.

³ in Mercurio Ital.

⁴ sub die XXIX. Junii §. v.

⁵ in lib. Apolog. contra Impugn. IV. Syn. a Symmacho habitae.

⁶ delle cose gentilesche c. XX. p. 68.

⁷ Hist. lib. V. c. XVI.

dem disturbata sunt; Statuae vero in Lebetes, et in Alexandrinae Ecclesiae usus conflatae, quum Imperator Deos Gentilium ad sustentandos pauperes ei donavisset.

Verum peraeque alteram Vghellii, et Sammarthano-
rum opinionem de prima ejusdem Simulacri collocatione,
quicumque subjectum Vegii locum perlegerit, non pote-
rit, non ut absurdam, et abhorrentem repudiare. Itaque,
Vegio duce ¹, ad sinistram partem ingressus Basil. veniamus.
Inveniemus primo ibi locum, quo nullus propinquior Altari
majori, ubi situm erat tertium Monasterium S. Martini...
in quo habitabat tertia alia Congregatio servientium Basilicae,
cujus etiam Oratorium cum aliquibus adjunctis domunculis
paullo ante haec tempora vidimus, nunc omnia (quod non
sine dolore magno scribimus, sicuti et superiora, quae com-
memoravimus) funditus disjecta sunt. Erat sane Oratorium
ipsum summae apud omnes devotionis, maxime quod esset po-
sita in eo Imago aenea S. Petri, transportata postmodum
ad aliud Oratorium SS. Processi, et Martiniani ²; neque in
tota Basilica post Altare majus, ullus locus erat, ad quem
major prae devotione fieret concursus populorum, majoraque
oblatae etiam stipis commoda susciperentur.

Quis igitur non videt, venerandum hoc Simulacrum
multo ante, procul dubio exstitisse, quam Longolius a
Callixto III, qui Nicolao V. successit, in Cardinalium
Collegium cooptaretur, et a Paulo II. Basilicae Vatica-
nae Archipresbyter renuntiatus, Archipresbyterorum aedes
excitaret; imo, ut Dionysius ³ etiam animadvertit, mul-
to ante, quam inter vivos esse coepisset? Quocirca

¹ T. vI. Junii l. iv. n. 119. p. 8r.

² *Alpharanus in mss.* Fu trasferito anco
appresso a questo Altare la Statua de
S. Pietro aenea con gli chiavi, pur res-

taurata da d. Cardinale (Riccardo)
quale era nel med. Altare de S. Processo
et Martiniano nella Chiesa ruinata, fatto
da Papa Pasquale primo. 3 p. 198.

merito, ac jure Turrigium, qui de hoc Simulacro ¹ peculiare opusculum evulgavit, sequuti sunt Ciampinius ², Ciacconius ³, Phoebeus ⁴, Bonannius ⁵, et eruditissimus Vincentius Alexander Costantius ⁶, ac recte cum iis quisquis statuat, aeneum hoc Simulacrum, jussu Leonis M. constructum, in *Monasterio S. Martini* primitus collocatum fuisse.

Illud autem notatu dignum est, quod de eodem Simulacro narrant Turrigius ⁷, et Bollandiani ⁸, Riccardum Ligurem, Oratorem insignem e Dominicanorum Familia, de quo videsis Erithraeum ⁹, palam praedicare consuevisse, hoc scilicet illud idem esse Simulacrum, de quo Leo Isauricus, minarum plenus, ad Gregorium II. scribere ausus est, ut tradit Baronius ¹⁰, *se missurum Romam, qui imaginem aeneam prostantem conspicue SS. Apostoli Petri confringeret*.

Hanc autem opinionem confirmare videntur illa Pontificis verba, qui Leoni rescripsit ¹¹. *Quod si quospiam ad evertendum imaginem miseris S. Petri, vide, protestamur tibi, innocentes sumus a sanguine, quem fusuri sunt; verum in cervices tuas, et in caput tuum ista recident*.

1 in Append. Operis de Sac. Trophaeis. p. 151, et 161.

2 pag. 57.

3 T. I. in Petri vita col. 82, et T. II. in altera Rich. Oliverii col. 995.

4 p. 38.

5 p. 47.

6 in Append. Monum. ad Cortesium de

antiquiss. quibusdam SS. Petri, et Paulli imaginibus cap. xiv.

7 de S. Troph. p. 154.

8 T. v. Iunii.

9 in Pinacoth. Par. I. p. 43.

10 T. IX. ad an. 726.

11 T. I. Bull. Vat. p. 9.



§. IV.

De ejusdem aenei Simulacri translationibus.

Superest nunc, ut idem Simulacrum e disjecto B. *Martini* Templo discedens prosequamur. Hinc autem, ut jam Vegius nos monuit ¹, in Oratorium *SS. Processi, et Martiniani* translatum fuit, ad australem veteris Basilicae partem a *Paschali* I. excitatum, et a *Leone* III, et IV. necnon *Benedicto* III. instauratum, et ornatum, maxima semper religione cultum, Feminisque impervium. Id praeter Vegium, et Alphanum, multi tradunt Scriptores, quorum unus heic Panvinius audiatur ². *Erat sane Oratorium illud (S. Martini) summae apud omnes devotionis, maxime quod in eo posita erat Imago aenea S. Petri, quo diruto ad aliud Oratorium SS. Processi, et Martiniani intra Ecclesiam, et eo etiam disjecto sub organo modo transportata est.* Sed lubet his etiam attexere Peregrinorum Instructionis verba ex veteri MS. a Turrigio ³ deprompta, quae sunt hujusmodi. *Statua aenea S. Petri, quae erat sub organo, fuit olim in Monasterio S. Martini ad Ferratam, retro Basilicam, in quo fuit educatus S. Leo IV, et inde translata fuit in Sacellum SS. Processi, et Martiniani.*

Ex hac translatione factum esse docet Turrigius ⁴, ut hoc Oratorium duplici titulo insignitum esset. Nam praeterquamquod in mss. Censuali anni MCDLXXXIV. occurrit largitionum *divisio Altaris S. Petri de bronso*, in quodam Instrumento anni MDLXXXIX. scriptum fuisse narrat, *Altare S. Petri de bronzo, sive SS. Processi, et Mar-*

¹ p. 1505.² T. II. ms. p. 138, et T. III. p. 18. o. 1x.³ p. 152. de S. Troph.⁴ Grot. Vat. p. 557, et in S. Troph. p. 154.

tiniani, et in altero haberi, *Altare*, quod vulgariter dicitur, *S. Pietro de bronso*, alias *SS. Processi*, et *Martiniani*.

Praeterea, ut habetur in Martyrologio Basilic. Vat. *Vgo de Angelis* . . . (Lingles) donavit nostre Basilicae ad *Altare S. Petri de Bruncio unum Calicem pro uno miraculo in personam suam*.

Quum vero de posteriore veteris Basilicae parte de-
jicienda cogitatum est, sub organo Simulacrum colloca-
tum fuit, ut ex Turrigio, et Panvinio jam audivimus,
ac luculentius confirmat Alpharanus, cujus haec verba
exscribam ¹. *A sinistro latere ad Aquilonem praefatus Paul-
lus III. piissimus Pontifex, transferri fecit Organum ex priori
loco sex porphyreticis Columnis suffultum, sub quo transferri
coepit, et Corpora SS. Processi, et Martiniani MM. simul
cum Altari, et Statua B. Petri in Throno sedentis ex priori
Oratorio, ubi olim erant, necnon imaginem Deiparae Virginis,
quae erat in parietibus supra Oratorium S. Leonis Papae:
quod Oratorium, teste Panvinio ², locatum fuit juxta Por-
tam, qua ad Ecclesiam, et Monasterium S. Martini, retro
Basilicae Absidam situm, iter erat, in quo, sicut a Majori-
bus traditum est, Paschalis II. recondidit Corpora SS. PP.
Leonis I, II, III, et IV.*

Demum in novae Basilicae constructione, a *Paullo V.*
prope majorem parastatam, ubi nunc colitur, Fidelium
venerationi exposita fuit, super basim marmoream, quae
a Card. Oliverio Longolio suis insignibus fuerat ornata ³,
cuique paucis abhinc annis, primum in Seminarii Vatic.
Aedes, recens autem in Basil. Cryptas translatae, altera
nobilior e viridi marmore numidico ⁴, fuit substituta.

¹ ms. n. 42. p. 27.

² T. III. ms. p. 9.

³ V. p. 1049.

⁴ V. Kar. Fea in T. I. Winchelmann p. 126.

Quod ipsum, non modo majori dexterum ejus pedem a vetustissimis usque temporibus relligiose osculantium comodo, sed etiam ad augendam aenei Simulacri dignitatem, recte factum putabis, quum *Scabellum*, *Subsellium*, *Suppositorium* a Persis primum, honoris caussa, excogitatum testetur Clemens Alexandrinus ¹, et apud Veteres usitatum lectissimis exemplis Chimentellius ² demonstret.

Et sane, si apud Hebraeos, Ethnicos, et Christianos singularis, et praecelsa Sedes, dignitatis, potentiae, majestatis indicium a primis usque temporibus habita est ³, jure optimo, B. Petro, cui *supra ceteros*, ut cum Leone M. ⁴ loquar, *post regni Claves Ovilis Dominici cura* demandata est, Cathedra marmorea tributa fuit, in qua sedens, ac praeterea sub amplo Conopeo statueretur. Recte enim Huetius ⁵ notat, etsi plerumque opercula simulacris imponerentur, ut ab imbribus, Aviumque contumeliis sarta tecta essent, quandoque etiam ad majorem operis dignitatem adhiberi.

Vtinam vero auream illam, sive inauratam basim, cui primum in Templo S. *Martini* imposita fuerat aenea B. *Petri* Statua, nobis aetas non invidisset! Ibi enim epigraphe graeci peculii, et ipso auro contra carior

1 Stromat. lib. I. c. xvi. Oxonii 1715.

2 de Honore Bisellii. Bononiae 1666. et in T. viI. Thes. Graeviani.

3 Id liquet ex Prudentio ΠΕΡΙΣΤΕΦ. Hymn. xi. Menardo. de Episcopi Throno in Eccl. p. 85. ad Sacrament. Gregorii M. Hieronymo de la Hyguera. de Diptycho Toletano num. xxxvi. Terraconis 1687. Elia Vejelio. de variis Aeconomiae sacrae generibus, nec non de Thronis, et Cathedralis pontificalibus. Vlmae 1688. Joh. Nixonio. Dissertat. de Sella Marmorea

votiva Estonicae conservata. Lond. 1744.

Ioh. Bapt. Passerio. in Thes. Gemmarum Astriferarum Dissert. xli. Florent. 1750.

Ioh. Andrea Schmidie. in Disquisit. de Cathedralis Doctorum Veter. Ienae 1687. Christiano Samio. in Dissertatione de Cathedralis Apostolorum. Regiom. 1701. Costadonio. de Templo Torcellano. Card. Bona, et Sala in eundem lib. I. cap. xx. §. viI.

4 Serm. de Adscens. cap. ii.

5 ad Anthologiam p. 39.

insculpta legebatur , quam tamen doctissimus Mabillonius ex Codice membraneo Bibliothecae Einsidlensis seculi VII. nobis feliciter servavit . Ea erat hujusmodi ¹

ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΛΟΓΟΝ ΘΕΑΣΘΕ ΧΡΥΣΩ
ΤΗΝ ΘΕΟΓΛΩΤΤΟΝ ΠΕΤΡΑΝ ΕΝ Η
ΒΕΒΗΚΩΣ ΟΥ ΚΛΟΝΟΥΜΑΙ .

Nulla vero , inquit Mabillonius , aptior epigraphe Principis Apostolorum , qui , ut ait Petrus Chrysologus ² , a Petra nomen adeptus est , quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare , Statuæ inscribi poterat , quam ista , cujus haec est sententia .

In Icona S. Petri

*Ne me intuemini , sed Deum Verbum ,
Idest divinitus sculptam in auro petram
In qua firmiter collocatus jam amplius non vacillo,
Ut olim quum pedibus meis incederem .*

Qua in epigraphe , subdit Mabillonius , auctoris ingenium commendat sententiae gravitas , et acumen lectoribus inopinatum , qui S. Petri Statuam contemplaturi oculos ad basim reflectere , ac sistere admonentur . Praeterea adjecit V. C. , Vlricum Obrechtum conjecisse , hanc Statuam fuisse positam illo puriori aevo , quum adhuc inter Christianos , veluti sollemni proverbio , symbolum hoc frequentaretur , a Suida relatum

Πέτρα καθεδεῖς , ἐλπίδας χρυσᾶς ἔχη .

Idest Petrae , seu Christo insidens , spem bonam habeto .

Haec Mabillonium , nihil tamen de metro suspicatum , quo nobilis Poeta hos edidit versiculos , egregie adnotasse , plausit Vir insigni probitate , omnigena eruditione , et singulari linguarum peritia spectabilis , P. de Magistris ,

¹ T. IV. Analect. Inscr. 80. p. 505. et 519.

² Serm. 154. de Steph.

Presbyter Philippianus, qui hanc *Petri* Statuam a Bollandianis ¹, et Bull. Vat. editoribus ² aere expressam, iterum aere cusam PIO VI. P. M. dedicavit, cum graeca epigrapha, ab se italice reddita, hoc modo.

*Anzi che a me, al Verbo Dio volgete
Gli occhi, e la mente, alla scolpita pietra
Con caratteri d'or divinamente,
In cui sto saldo, e non pavento scosse.*

Post haec, quis non una cum Ioh. Friderico Eishe-
narto ³, Iohanne Winderlich ⁴, Ioh. Bapt. Genner ⁵, et
Franc. Ant. Zaccaria ⁶, in Sanctorum gestis illustrandis,
maximisque controversiis dirimendis, Inscriptiones pluri-
mum prodesse fatebitur?

Haec Statua, ejusdem Apostoli festo die, ut alte-
ram marmoream, quae nunc in Cella *B. M. de Porticu* in
Cryptis Vatic. ⁷ collocata est, ornandi mos fuerat eadem
die, triplici corona capiti super imposita, Pontificalibus
vestibus induitur; ac multis prodigiis ⁸, eoque praeser-

¹ T. vI. Iun. p. 434.

² T. I. Bull.

³ de auctoritate, et usu Inscriptionum.
Helmstadii 1750. c. vI.

⁴ De usu Inscriptionum Romanorum
veterum. Quedlinburgi 1750.

⁵ in T. II. Theologiae Dogmatico-Scho-
lasticae p. 375.

⁶ de veterum Inscriptionum Christianar.

in rebus Theologicis usu. in I. Thesauri
Theologici volumine p. 325.

⁷ Torrigio Grotte Vat. p. 74 157. 345.

⁸ Narrant Turrigius. Grotte Vat. p. 127.
et Pomp. Sarnelli. Se si possono tole-
rare alcuni residui della Gentilità rimasti
ne' sacri Templi? fra le sue Lett. Eccles.
T. v. p. 88, anno MDCXXXI. 1x. Kal.
Iunii hujusmodi prodigium accidisse.

INSCIVS . IMPELLO . DEMISSVM . VERTICE . LYCHNVN
QVVM . FIXI . PLANTIS . OSCVLA . PETRE . TVIS
NEC . MORA . PRAEPINGVI . PERFVNDOR . TOTVS . OLIVO
QVAQVE . TEGOR . FOEDO . VESTIS . ODORE . MADET
DVM . PVDET . ET . SORDES . VT . PELLAS . ANXIVS . ORO
DIFFVGERE . OMNES . TE . TRIBVENTE . NOTAE
QVID . MIRVM . MACVLIS . PVRGES . SI . PALLIA . TVRPEM
CVI . VITIIS . ANIMAM . TERGERE . POSSE . DATVR

tim paralytici hominis, qui anno MDCCXXV. ejus virtute, cujus umbra aegrotos olim sanabat, incolumitati restitutus est, ¹ conspicua, magna religione coli solet.

Id autem recte factum nemo inficiabitur, quum vel apud Ethnicos, ut pretium, cultumque Deorum Simulacris conciliarent, ea vestibus induta fuisse scimus ². Nam ut praeteream Lactantium ³, et Firmicum ⁴, quaeque plures ⁵ de Vestitoribus, et Bajulis Simulacrorum commentati sunt, hujusce usus testem habemus Tertullianum, qui ait ⁶, *ipsis etiam Idolis induuntur Praetextae, et Trabeae, et Laticlavi, Fasces quoque, et Virgae praeferuntur.*

§. v.

Monasterii S. Martini dejectio.

Sed, ut ad *B. Martini* Templum, pristinam descripti Simulacri sedem, revertamur, una cum adjecto *Monasterio* dejectum fuisse a *Nicolao V.* ⁷ Iulius Herculanus apud *Turrigium* ⁸, et *Dionysius* affirmant, quum ejus jussu, *Probi* Templum, quod *ignarum vulgus*, ut *Vegius* ⁹ narrat, *Confessionem B. Petri, ac viventis ejus etiam habitaculum fuisse jactabat*, solo aequatum est; quodque veteris Basilicae absidi aequae adiunctum, et *S. Martini Monasterio* proximum fuisse

¹ Narrazione dell'insigne miracolo operato da Dio per l'intercessione del glorioso S. Pietro Principe degli Apostoli nella Sacros. Basil. Vat. col bacio impresso con viva fede al piede della Statua di bronzo del S. Apostolo. Roma 1725. appresso Gio. Maria Salvioni.

² Rubenius. de re Vestitaria lib. I, cap. XIX, et in Tom. VI. Thes. Graevii pag. 996. Wovverius. ad Petronium

edit. Burmannianae pag. 477. Cangius in Glossario Graeco. in πρὸς ε. Janus Brouckusius. ad Tiballum pag. 398.

³ lib. II.

⁴ lib. III. c. XI, et XIV.

⁵ V. Valesium ad Sozomeni lib. v. c. III.

⁶ de Idolol. c. XVII.

⁷ de S. Troph. p. 153. ⁸ p. 109.

⁹ Tom. VI. Junii sub init. lib. IV. V. p. 1513. 1460.

discimus ex Panvinio ¹, Alpharano ², et Turrigio ³. Quod vero addit idem Panvinus ⁴, Lubino ⁵ subscribente, hoc *Monasterium* ceterorum, quae Basilicam circumdabant, esse *princeps, et caput*, id Vegio repugnare videtur, qui *Monasterio S. Stephani Majoris*, de quo mox acturi sumus, primas defert.

C A P V T IIII.

De Monasterio S. Stephani Majoris.

Restat nunc, ut de tribus aliis *Monasteriis*, ac primum de iis *S. Stephani Majoris*, et *Minoris* disseramus, quae uni Stephano Protomartyri dicata fuisse, compertum est. Sed quum eorum nominis similitudine, unum pro altero, ac si placet, quasi unum, idemque esset, plures saepe utrumque acceperint, iccirco eorum positum accurate primum statuere necesse est.

Monasterium *S. Stephani Majoris* lit. 6. designatur. Hoc omnium majus, verba sunt Vegii ⁶, et insignius erat, quod singulari etiam jure suo habebat Archipresbyterum, qui praeerat toti simul Basilicae, quum singula tamen *Monasteria* suos Rectores ita appellatos haberent. Erant praeterea *Aedificia* ejus, uti plures in eis habitabant, ita plura quoque, et magnificentiora, ut nullam omnino cum eis, aliorum domus comparisonem habere viderentur. Quumque multa eorum diruta sint, ac nonnulla tamen adhuc exstant, habitoque nunc ego recte in eis, neque aliud est Atrium domus meae, quam *Triclinium*, in quo mensis illi simul accumbant, quod multis e signis facile intelligere licet

1 T. 111. ms. p. 23.

2 ms. p. 24. in ichn. litt. A, et K.

3 de S. Troph. p. 153.

4 de viI. Eccl. p. 46.

5 p. 340.

6 T. viI. Junii n. 115. p. 80.

Eodem Archipresbyteri privilegio, hoc unum Monasterium ornatum fuisse docent etiam Onuphrius Panvinius, et Tiberius Alpharanus. Alter enim de eo sic loquitur¹. *Cujus Abbas ex singulari privilegio, simul etiam Basilicae Vaticanae praeerat, quum singula tamen Monasteria suos Abbates haberent.* Disertius vero alibi Alpharanus noster idem confirmat his verbis². *Post hoc Monasterium (S. Martini) aliud etiam multo majus Monasterium erat, cujus aliqua adhuc monumenta conspiciuntur, videlicet S. Stephani Majoris, quod ante omnes, Hadrianum I. legimus instaurasse, in quo etiam Archipresbyterum, qui reliquis quinque Monasteriis circa Basilicam existentibus praesesset, instituerat.*

Verum hujusmodi privilegium alteri etiam Monasterio SS. Iohannis et Paulli, saltem aliquando concessum fuisse liquet ex veteri quadam concessione Iohannis XIX. habita die xx. Januarii anno mxxx, quam ex gazis literariis eruditissimi, atque humanissimi Praesulis Cyrenensis depromere licuit, quaeque est hujusmodi³. *Placuit igitur cum Christi auxilio, atque convenit inter Stephanum Caligarium Archipresb. Ven. Mon. SS. MM. Joh. et Paulli quod nuncupatur major ad S. Petrum, seu Martinum Primum secundum, et Candulphum tertium Presbyter. ejusdem Monasterii, in hoc ei consentientibus universis Presbyteris ipsius Ven. Monasterii, et e diverso Purpuram nobilissimam feminam, nec non Arduinum, et Ioh. germanos, novercam scilicet, atque privignos, uxorem vero, et filios cujusdam Benedicti, qui dicitur de rogata, ut cum Domini adjutorio suscipere debeatis a supradicto Stephano Archipresbytero, seu Martino secundo, et Landulfo tertio Presbyteris venerabilis Monasterii Sanctorum MM. Ioh. et Paulli, quod nuncupatur Major ad San-*

1 T. 111, ms. c. xl.

2 ms. p. 19. litt. b.

3 ex Arch. S. M. in Via lata.

ctum Petrum, vel cunctis aliis Presbyteris ejusdem Monasterii in hoc eis consentientibus. Eidem Carthulae subscripserunt

Stephanus Archipresbyter SS. Ioh. et Paulli

Martinus Presbyter de Monasterio Ioh. et Paulli

Landolfus Presb. de Mon. SS. Ioh. et Paulli.

Nam, etsi facile concedam, *majoris* appellationem, quam in hoc uno monumento huic Monasterio datam fuisse comperi, alteri dumtaxat *S. Stephani majoris* convenire, nunquam tamen mihi persuadeam, mendosas aequae habendas esse subscriptiones, atque unum pro altero Monasterii nomine toties irrepsisse.

Hoc autem *S. Stephani Majoris Monasterium*, usque ab initio, longe majoris operis, atque molis, quam cetera, omnium etiam Sociorum fortunatius esse videtur, quod unum Basil. Vaticanae, cui jam inde ab remotissimis temporibus adhaesit, vices quodammodo inspicere, ac trium aliorum funeri aliqua ex parte, feliciter superesse potuit.

Sed cetera; quae de eodem Vegius memoriae tradidit, videamus. *Monasterii*, inquit¹, *S. Stephani*, de quo nunc est sermo, *Fundatorem* quum studiose inquisierim, nunquam tamen invenire potui, neque apud Historicos, neque apud privilegia Pontificum, in quibus magna horum habetur notitia. Nam tot ex iis, quae pertinebant, deperierunt, ut dolendum sit, quantum vel negligentia, vel malignitas hominum omnia consumet, omnia deleat, et conficiat.

Quod Vegius, eruditissimus Sec. xv. scriptor ignoravit, non mirum est, multo magis ignorasse etiam Bullarii Vat. editores, qui iccirco ad *S. Leonis* diploma, *Ioh. Archipresbytero Ven. Eccl. B. Petri Apostoli*, et ipsius

¹ loc. cit. n. 113. p. 80.

Ecclesiae Canonicis in Monasterio S. Stephani majore, ordinatis, et ordinandis, haec ingenue profitentur ¹. *Quinam primus aedificaverit, incertum, aliis S. Leoni, aliis Gallae Placidiae, Theodosii senioris Filiae, aliis piissimae ejusdem nominis Feminae, nimirum Gallae Symmachi Consulis Filiae id opus adjudicantibus.*

§. I.

*Cur huic Monasterio, alterum S. Stephani
Catagalla Patricia nomen impositum?*

Hoc idem Monasterium alteram habuit denominationem, *S. Stephani Catagalla Patricia*, quae quamplures Scriptores induxit, ut crederent, ab una, aut altera ex nobilissimis Feminis hujusce nominis fuisse constructum, quas enumerarunt Joh. Bollandus ², Kar. Barpth. Piazza ³, Josephus Matraja ⁴, Ludovicus Marracci ⁵, Karolus Antonius Erra ⁶, et maxime omnium plenius, atque inquisitius, eruditissimus Iosephus Ghesquierius ⁷.

Sed quum hujusmodi denominatio fraudi iisdem praeterea fuerit, ut cum altera *S. Stephani Catabarbara Patricia* communem facerent, quae tantum proximo *S. Ste-*

¹ T. I. p. 29.

² S. Gallae Virginis Deo devotae vita cum Commentario praevio, et notis. in T. I. Febr. p. 939.

³ Cherosilogio, ovvero Discorso dello Stato Vedovile, spiegato con le Memorie illustri di S. Galla Patrizia Vedova Romana. Roma 1708. 4.

⁴ Historia della miracolosa Imagine della B. Verg. Maria, detta S. Maria in Portico divisa in tre libri. Roma 1627. 4. lib. 111. c. I. p. 105.

⁵ Memorie di S. Maria in Portico di

Roma dal giorno, nel quale apparve quella mirabile immagine nel Palazzo di S. Galla Patritia Romana nel Portico d' Ottavia, appresso il Teatro di Marcello, fino al tempo, nel quale fu trasportata nella sua nuova Chiesa di Campitello. Roma 1667, et 1675. 8.

⁶ Storia dell' immagine, e Chiesa di S. Maria in Portico di Campitelli. Roma 1750. 4. c. v. pag. 19.

⁷ in Commentario praevio de S. Galla Vidua, deinde Moniali Romae. T. 111. Octobr. sub die v. p. 147.

phani Minoris Monasterio conveniebat, iccirco eorum loca infra opportunius afferenda esse puto, quum vim utriusque nominis expendemus. Nunc tantum, quid de ea senserint Janningus, et Ciampinius, satis sit patefacere; quorum verba, cur ne nominanda quidem Ghesquierius putaverit, ac, quod magis est, vix una vice in toto suo Commentario ¹, *S. Stephani Catagalla Patricia* obiter innuerit, plane non video.

Ac primum Ianningus ² fatetur, quae, qualisque fuerit *Galla Patricia*, a qua *S. Stephani Majoris* Monasterium denominatum fuerat, difficile dictu esse, ex magno illustrium cognominum Feminarum numero, quae primis Ecclesiae seculis floruerunt, quas inter eminuit *Galla Placidia Imperatrix*, et *Galla Filia Symmachi Consulis*, nupta quidem, sed cito Coniuge orbata. Verum, quum prima ad breve tempus, altera toto vitae suae cursu in Vrbe degerit, et in sua viduitate inter Sanctimoniales vixerit, ibique supremum diem obierit, ab hac potius *S. Stephani* Monasterium, *Catagalla Patricia* appellatum fuisse opinatur. Quod quidem, etsi recte, ut opus esset, probari omnino nequeat, graeca tamen vox *κατα*, quae habet significationem *in*, *apud*, *ad*, *juxta*, ut ex Eberardi Bethuniensis ³ versu, *Cataque sit juxta, dicas hinc cata Mathaeum*, notum est, quaecumque earum accipiantur, satis manifeste designat, *Monasterium*, vel in latifundiis *Gallae Patriciae* erectum, vel ejus bonis ditatum, vel tandem ipsius Aedibus proximum fuisse. Quae quidem interpretatio, Dominico Macro etiam arridet, qui ⁴

¹ *ibid.* pag. 161.

² T. VI. Iunii p. 161.

³ in Glossario Latino barb. Du Cange

V. Scriptores de Catacumbis, ac Borgia

in Catabagium, seu Catabaticum. de Vaticana Confessione B. Petri pag. 28.

29. 30. 31.

⁴ in Hierolexico p. 132.

Catagalla, idest prope locum *Gallae Matronae Romanae*, Monasterium conditum fuisse putat, planeque consonat Mabillonii sententiae, qui ¹ *Monasterium S. Stephani Protomartyris*, *Catagalla Patricia* appellatum fuisse scripsit, propterea quod in fundo *Gallae Patriciae* conditum erat, prope *Vaticanum*.

Ciampinius ² autem existimavit, *Gallam* istam *Patriciam*, praeclaram illam Feminam fuisse, Theodosii Iunioris Filiam, Constantii Caesaris Vxsorem, et Valentiniani III. Matrem, non tam generis nobilitate, quam religione celeberrimam, eamque, quum plurima sacra aedificia, in Vrbe construxerit, atque ornaverit, hoc item *Monasterium* construxisse coniecit.

Verum Ciampinii opinionem ipsa temporum ratio, quibus *Gallam* nostram *Patriciam*, et alteram Theodosii Filiam vixisse constat, funditus labefactat, quae nihil prorsus, praeter purum putum nomen, cum ea commune unquam habuit. Contra vero Janningi, et Mabillonii sententiae, praeter epistolam S. Fulgentii Episcopi Ruspensis, post Viri obitum *Gallae Viduae* inscriptam, adstipulatur luculentissimum *Gregorii M.* testimonium; quippe qui *Gallam* *Symmachi* Filiam, prope Bas. Vat. inhabitasse narrat, hujusmodi verbis ³. *Mox ergo, ut ejus Maritus defunctus est, abjecto seculari habitu, ad Omnipotentis Dei servitium sese apud B. Petri Ecclesiam, Monasterio tradidit.* Quae quidem *Baronius* etiam recepit, qui de ea scripsit ⁴. *Romae S. Gallae Viduae, Filiae Symmachi Con- tulis, quae Viro suo defuncto, apud Ecclesiam B. Petri multis annis, orationi, eleemosynis, jejuniis, aliisque sanctis*

¹ T. I. I. *Annal. Benedict.* p. 348.

² p. 93.

³ in lib. iv. *Dialog.* c. xlii.

⁴ in *Martyr. Rom.* die v. Octob.

operibus intenta permansit . Cujus felicissimum transitum S. Gregorius Papa descripsit .

Huic etiam , ut ceteros praetermittam , quorum nomina , operumque titulos diligentissime congeffit Joseph Ghesquierius ¹ , concinit Ferrarii Elogium , quod tale est ² . *In Ecclesia , et Coenobio apud Petrum , cum aliquot Virginibus degens , orationibus , eleemosynis , jejuniis , aliisque sanctis operibus vacavit .*

§. II.

De Monasterio , quò Galla Patricia Symmachi Cons. Filia , Conjuge orbata , sese abdidit , prope Bas. Vat.

Nunc autem vacat inquirere , quonam loco exstaret Monasterium , quò Galla haec nostra secessit . Quod facili negotio assequetur , qui consulat dissertationem , oppido eruditam , de duobus Monasteriis Virginum in Civitate Leonina sub uno , eodemque titulo , sed diversi Ordinis , a Bull. Vat. editoribus ³ elucubraram , quam miror , Ghesquierio fuisse ignotam , qui hujus Monasterii situm operose investigavit . Ibi enim luculenter ostenditur , Monasterium S. Catharinae de Portica S. Petri , seu de regione Pontis , quod Ordini S. Augustini aperte vindicant vetera monumenta , diligenter ab altero secernendum , sub titulo prope Porticum S. Petri , quod Ordini S. Benedicti tribuendum est , quodque a Grimaldo , quem plures sequuti sunt ⁴ , vocatur S. Catharina in Vaticano , olim Monialium Nobi-

¹ T. 111. Octobr. p. 147.

² in Catal. SS. Italicae p. 630.

³ T. 11. p. 49.

² Martinellius . c. ix. pag. 87. cap. x11. pag. 348 , et 369. Pancirolus . pag. 509. Ios. Matraja p. 4 , et lib. 111. cap. 111.

p. 112. Ludovicus Marracci . Memorie di S. Maria in Portico . Roma 1675. 8. p. 30. Piazza . loc. cit. pag. 50. Mabillonius . T. 11. Ann. Bened. pag. 348. Erra . in Histor. Sanctae Mariae in Porticu pag. 21. aliique .

lium de Cavallerottis . Porro huc Gallam , vix Coniuge orbatam , convolasse , ac demum aerumnosam hanc , cum feliciori , et immortalis vita commutasse , probabilius videtur .

Nam , quis non una cum Karolo Erra ¹ , inter aniles fabellas plane amandandam , statim agnoscat Costaguti ² , aliorumque sententiam , qui in Monasterium *S. Stephani Catagalla Patricia* , de quo nunc agimus , Gallam secessisse putant ? Siquidem etsi , quum *ei valde ignea conspersio Corporis inesset* , cujus caussa , *ut ad amplexus viriles rediret* , Medici cohortati fuerant , *calore nimio contra naturam* , utpote narrat Gregorius ³ , *barbas* , Viro- rum instar , *emisisset* , tamen erit ne quispiam , qui eam , quamvis barbatulam , inter gravissimos , ac severissimos Monachos locum habere potuisse , serio sibi persuadeat ? Verum omnem dubitandi ansam praecidit ipse Gregorius , qui subdit ⁴ . *Factum nunc usque in Monasterio (S. Catharinae) manet memorabile , sicque hoc a praecedentibus Matribus narrare illic solent subtiliter juniores ; quae nunc sunt , Sanctimoniales Virgines , ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo , et ipsae affuissent .* Quam in rem Floravantes Martinellius disserens *de S. Catharinae Monasterio in Vaticano , olim Monialium Nobilium de Cavallerottis Ord. S. Benedicti* , inquit ⁵ , *hujus autem Monasterii fuisse Monialem S. Gallam Patritiam testatur Iac. Grimaldus .* Ac rursus alibi ⁶ . *Fuit antiquissimum Sanctimonialium nobilium Monasterium , in quo vixit , et vitam finivit S. Galla Patritia .*

Haec etiam confirmat Mabillonius , qui scriptum reli-

¹ *ibid.*

² *Architettura di S. Pietro p. viiI.*

³ *T. II. col. 392. l. IV. Dialog. c. xII.*

⁴ *ibid.*

⁵ *cap. IX. p. 87.*

⁶ *cap. XI. p. 348.*

quit ¹, *Gallam Sanctimonialem fuisse in Coenobio S. Catharinae, seu S. Benedicti in Vaticano*. Ceterum multo antequam Benedictus regulam suam conderet, quam Sanctimoniales illae deinde amplexae sunt, Monasterium existisse, putandum est; quod tamen incertum, an prius esset ejusdem Gallae domus, deinde ab se in Monasterium conversa ². Itaque de nostro hoc Monasterio idem pronunciandum erit, quod de Romaricensi, in cujus Necrologio ann. DCCCLXXVI. vel CCMXXCI. confecto apparet, tribus primis a sui origine seculis, nequaquam regulae S. Benedicti paruisse, contra Mabillonii sententiam ³. Ibi enim leguntur ⁴ *Nomina Abbatissarum, quae in isto loco fuerunt, antequam suscepta esset regula Sancti Benedicti*.

Verum (quod silentio dissimulandum minime est,) Franc. M. Turrigius ⁵, *Gallam Symmachi Filiam inter Sanctimoniales, quas Murate di S. Pietro, vulgo appellatas fuisse demonstravimus, sese abdidisse contendit*. Quod etsi certioribus documentis indigeret, tamen multo probabilius est, quam quod inter Monachos S. Stephani *Catagalla Patricia* secesserit. Etsi enim *duplicia Coenobia*, ubi Viri, et Mulieres versabantur, existisse constet, ut nos etiam suo loco declarabimus, nunquam tamen in Monasteria, quae unice a Viris essent inhabitata, Mulieribus aditum patuisse scimus.

Verum quis ignorat, *Murate*, aut *Incarcerate* ferme

¹ Annal. Bened. lib. xxvi. n. XLIII.

² V. Cl. Franc. Ant. Mondelli sopra le Sacre Vergini §. II. Se vivessero nei Chiostrì privati racchiuse, ovvero nelle private rispettive abitazioni pag. 89. nella sua Decade di Diss. Eccl. Roma 1786. 8.

³ Lettre a un de ses amis touchant le premier Institut de l'Abbaye de Re-

miremont. A Paris 1687.

⁴ apud Card. Garampium de Numo Benedicti II. p. 38, et 172.

⁵ Racconto della Chiesa di S. Catarina Vergine, e Mar. in Borgo, Oratorio della Ven. Archiconfraternita del SSimo Sacramento, posto nella Bas. di S. Pietro di Roma. p. 38.

omnes Moniales antiquitus fuisse nuncupatas ? Praeter ea , quae supra ¹ attulimus , haec alia hujusce vocis exempla accipe ab eruditissimo Card. Garampio ² . Ex Archivo Gentis Armannae Eugubinae . *Reliquis cuilibet loco Dominarum , seu Incarceratarum , et Fraticellorum de plano in montibus prope Eugubium 12. den. rav.* Ex Statutis Riminensibus anni plus minus mcccxxxiv. *Detur , et solvatur Incarceratis Item quod annuatim detur in Festo predicto de habere communis , sorori Incarcerate apud Pontem Levononis 20. sol. rav.* Ex Inventario Bonorum Bas. Vat. *Incluse , sive Carcerate , quae sunt (in Castro Nursie) debent annuatim pro fundo Carceris dare nobis xli. denarios .* Praeterea in litteris Iulii II. anni mdvI. ³ nominatur Monasterium Monialium reclusarum , quod incolebat quaedam mulier Mater nuncupata , nomine Benedicta , isthic clausa una cum duabus suis discipulis , ad instar heremitarum Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe ita quod ab eo loco nunquam exeat , neque videri possit . Quae quidem manifeste probant , alias etiam Moniales , praeter Vaticanas , Murate , aut Incarcerate vulgo audisse . Verum easdem Moniales S. Catherinae de Cavallerottis Turrigius ipse alibi ⁴ animadvertit , dictas fuisse Incarcerate S. M. in Portica , referens , che Gio. Manno gettò nel Pozzo della Piazza posta davanti all' Incarcerate , lo stendardo del Popolo Rom. Porro de hoc eodem Monasterio in Chron. haec habentur ⁵ . *Nel 1327. le genti Pontificie entrarono ne la Cittate Leonina , non per la porta ruppero lo muro , lo quale stao sotto l' Incarcerate e per quella via . . .*

¹ pag. 719. 1099.

² ap. Flaminium Cornelium in Dec. viI. Eccl. Venet. p. 257.

³ Memorie della Beata Chiara di Ri-

mini . Roma 1735. pag. 15. 101.

⁴ Grotte Vat. p. 577.

⁵ in Tom. II. Antiquit. Italicarum pag. 261.

entrati, occuparo la Porta de Castiello, fino a S. Pietro tutto era coperto de jente armata. Atque haec multo rectius huic loco tribuenda esse demonstrant, quae supra ¹, de *Contrata delle Incarcerate* protuli ex Necrologio Bas. Vat.

Quae quum ita sint, hoc idem nomen utrique Monasterio donatum, fraudi esse potuit Turrigio, ut Gallam inter *Heremitas Bas. S. Petri* degisse censeret.

§. III.

De Monasterii S. Stephani Maj. conditore.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, quum satis in aperto sit, *Gallam Symmachi Filiam*, in Coenobio *S. Catharinae* prope Bas. Vat. monasticam vitam professam fuisse, colligendum puto, Monasterium *S. Stephani Majoris*, vel in ejus latifundio aedificatum, vel huic proximum fuisse, ut iccirco *Catagalla Patricia* nuncupari consueverit. Nam mea quidem sententia, Turrigio ², qui Panvini ³, et Panciroli ⁴ auctoritate se munit, habendam esse fidem judico, qui hoc etiam Monasterium, ut alia duo *SS. Iohannis, et Paulli*, et *B. Martini*, ab eodem Leone M. aedificatum esse censuit. Sed tamen, quum id ob nimiam vetustatem pro certo statui non possit, eam quisque opinionem amplecti poterit, quae probabilior videbitur. Ceterum in Panvini, Panciroli, et Turrigii sententia fuit Inscriptionis auctor, quae jussu *Clementis XI*, super Templi januam collocata est, quamque infra subjiciemus.

Quid enim curem, quod alibi Vegius sui immemor, ut suo loco demonstrabimus, hoc idem Monasterium,

¹ pag. 1100.

² p. 377.

³ T. III. ms. c. XI. p. 19.

⁴ p. 430.

cujus originem sibi plane incompertam fuisse, paullo ante ¹ professus fuerat, ab *Hadriano I.* constructum esse scripserit, qui tantum hoc Monasterium bonis, ac privilegiis ditavit? Nescio, an item sint rejicienda, quae post *Mallium* ², et *Panvinium* ³ *Alpharanus* habet ⁴. In hoc etiam Monasterio, *Gregorius P.* *Orphanotrophium* erexit, in quo Cantores habitarent, qui in *B. Petri Bas.* noctu, diuque jugiter psallerent. Nam, quum *Scholam Cantorum* alibi positam fuisse vidimus ⁵, hujus rei fides apud eos remanet; ni potius quisquam conjecerit, *Scholam Cantorum*, quae pridem, ut legimus in vita *Stephani VI* ⁶, *Orphanotrophium* vocabatur, ex hoc loco prope *Oratorium S. Gregorii de Cortina*, de quo supra ⁷ egimus, deinde fuisse translata.

Quod tamen in dubium revocari minime potest, *Leo III*, quemadmodum tradit *Anastasius* in ejus vita ⁸, praesertim igitur et *Monasterium S. primi Christi Martyris Stephani*, quod appellatur *Catagalla Patritia*, quod praenimia vetustate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, isdem praesagus Pontifex certamen ponens a fundamentis, simul cum *Oratorio firmum jaciens fundamentum*, in meliorem erexit statum. Neque hoc tantum beneficio contentus fuit. Nam, ut subdit idem *Anastasius* ⁹, simulque et in *Monasterio ipsius primi Martyris Stephani*, quod ponitur ad *B. Petrum Apostolum*, fecit canistrum ex argento pensantem libras III. et semis. Praeterea ¹⁰ et in *Monasterio S. Stephani*, ubi supra, quod appellatur *Catagalla Patricia*, fecit canistrum pensantem libras II, et semis. Ac alio loco ¹¹. Enimvero et in *Monasterio S. Stephani*, ubi su-

1 p. 1515.

2 p. 43. num. 54r.

3 T. II. ms. p. 57.

4 ms. p. 19. litt. 6.

5 p. 727.

6 p. 96.

7 p. 97.

8 T. II. §. xc. p. 302.

9 Tom. II. §. LXXXVI.

p. 289.

10 ibid. §. LXXVII. p. 290.

11 ibid.

pra, fecit canistrum pensantem libras 11. Ac demum ¹. Fecit autem in Monasterio S. Stephani, quod ponitur, ubi supra canistrum ex argento pensantem libras 11. et semis.

Heic autem praetereundum minime est, quod Vegius, postquam memoravit Castri Capracorum donationem huic Monasterio ab Hadriano factam, de quo infra dissereamus, de eodem Leone 111. memoriae tradidit ². Post etiam Leo IV. (111. intellige, ut recte scripsit Panvinus ³) successor ejus mediatas Templum, Hospitaleque S. Peregrini, cujus infra mentionem faciemus, cum multis bonis ejus fundavit, subjecitque Monasterio S. Stephani Maj.

Sed, quod multo pluris faciendum est, idem Leo III, minime vero Stephanus III, ut Panvinio ⁴ excidit, Monasterium Viro omni laudum genere cumulatissimo, qui postea sub Paschalis nomine Romanus Pontifex fuit renunciatus, regendum tradidit, ut ex Anastasio habemus, qui rem in ipsa Paschalis vita narrat, hoc modo ⁵. Quem dum Praedecessor ejus Domnus Leo ter BB. Papa, tantis studiis pervigilem, et religionis devotum conspexisset, tam ei Monasterium B. Stephani primi Martyris, quam majorem juxta Basilicam B. Petri Principis Apostolorum Ecclesiam ad regendum commisit. Quod etiam diserte testatur Leo IX, qui suo diplomate ⁶, Basilicae Vaticanae Capitulo idem Monasterium anno MXLIX. in perpetuum addixit.


1 ibid. p. 291. 2 n. 114. p. 80.

3 T. 111. ms. c. xl. p. 20.

4 ibid.

5 T. 11. §. 11. p. 331.

6 Tom. I. Bull. Vatic. p. 29. Torrigio Grotte Vat. p. 172. 174. 327.



§. IV.

Ceterae Templi, ac Monasterii vices ad hanc usque diem.

Hujus Monasterii pauca quaedam adhuc supersunt vestigia, in exiguam Aedem conversa, retro absidam Bas. Vat. ad occasum, quae postibus, ubi Agnus Paschalis insculptus est, ac limine superiori, magnam vetustatem praesert. Idem, ut docet Alpharanus ¹, *vetustate collapsum Xystus P. III. restauravit, ibique Aethiopum Monachorum, sive Sacerdotum Monasterium institutum est.* Eadem narrat Turrigius hujusmodi verbis ². *Sisto IV. ristorò l'antichissima Chiesa di S. Stefano, posta dietro alla Bas. Vat. facendovi il tramezzo, che vi è, con la pittura della SS. Trinità, di S. Stefano, con un Frate Dominicano in ginocchione, con lettere sotto Etiopè, che dicono in nostra lingua Frat. Antonio Abissino.* Et sane haud ante Xystum IV. Monachis Abyssinis hujusmodi Monasterium traditum fuisse probant, quae a Vegio didicimus. Quocirca haud satis caute Piazza ³, Marangonius ⁴, Franc. Posterla, et Franciscus Cecconi ⁵, Turrigio subscripsisse videntur, qui ab Alexandro III. Monasterium Abyssinorum Aethiopum nationi traditum fuisse affirmavit. Sed iis postea hinc ablatis, iterum eadem Aedicula a Clemente VII, qui ligneas ibi portas, Turrigio teste ⁶, construxit, anno MDXXV, ut ait Fanuccius ⁷, seu potius a Paulo III, ut scribit Turrigius ⁸, seu demum a Paulo IV, ut placet Filino ⁹, iisdem concessa fuit.

¹ ms. p. 19. litt. 6.

² p. 328.

⁵ in Panciroli additionibus p. 383.

³ in Ephem. Vat. p. 505.

⁶ p. 328.

⁷ p. 104.

⁴ nel div. Pellegrino p. 149.

⁸ p. 328.

⁹ p. 58.

Ex horum nomine factum est, ut Aedes appellari coeperit *S. Stephani in Aegypto*, vulgo *de' Mori*, quos ait Grimaldus, *summos Pontifices de omnibus ad victum, et vestitum necessariis alere, sub jurisdictione S. Petri, ex Gregorii XIII. praescripto, qui, utpote Fanuccius* ¹ *scriptum reliquit, omnium primus eorum inopiam, aerario Pontificio sublevandam curavit.*

Jac. Mazochius *in S. Stephani in Aegypto, ubi sunt Fratres Indi*, hanc inscriptionem profanam suo aevo existisse narrat ².

D. M. S.

C. IVLIVS PRISCVS . V. A. XL. M. X. D. VIII.
IVL. GERMANORVM ARMORVM CVSTOS ET VAL.
MARCIANA PARENTES

Tandem seculo ineunte, a Clemente XI. restaurata fuit, hac super Ianuam affixa inscriptione.

CLEMENS XI. P. M.
ECCLESIAM HANC LEONE MAGNO PONT.
CVM MONASTERIO EXTRVCTAM
ÆTHIOPIS ABYSSINIS CONCESSAM
PLVRIES INSTAVRATAM RENOVAVIT
DOMOSQ. CONTIGVAS ET HORTVM
FVNDITVS RESTITVIT ORNAVIT
A. D. MDCCVI.

Sed, ut quoque Inscriptiones intra ipsam Aedem positas memoremus, occurrit apud Turrigium ³ Titulus, celebris cujusdam Aethiopis Heremitaë, quem ibidem existisse tradit. Hunc autem ex marmore archetypo, summa fide descriptum licet proferre, singulari Praesulis doctis-

¹ p. 104.

² fol. CLXIV.

³ Grotte Vat. p. 480.

simi Stephani Borgiae beneficio, qui ex insigni, quam praelo paravit, Collectione Inscriptionum orientalium, quae in Urbis Aedibus obversantur, ceteras quoque bilingues Inscriptiones¹ perhumaniter mihi tradidit, in hoc eodem Templo collocatas.

ዝክርዎ : ለክብሩ : ተስፋ : ጽዮን : ዛተቀብረ : ወስተ : ዛቲ : መካን :

ክመ : ፲፱፰ ለወርቅ : ነሐሴ ☩

TEZFA ZIOR MALBAZO EREMITA ETIOPOS

COGNOMETO PETRVS VLTRA CAPRICORNI CIR

CVLV NOBILISS. PARETI NATVS MVLTAꝞ LIGVAꝞ GNAR' IN
SACRIS LRIS ERVDIT' EVROPEIS OIS ORDIS GRATISS. IAVDITE IN
CVISQ NATIOIS HOMIES CHARITATIS HIC SITVS E IS HIERO
SOLIS I SEPVLCRO XPI ALIQVOT ANIS MASIT. ROMA DEIDE
VEIT VBI GR.1 QVA APVD ONS VALEBAT LOCVM HIC COMO
DV SVE NATIOIS PEGRINIS PARAVIT TESTAME NOVV LIGVA
ETIOPICA NECNO ORDINE QVO ETIOPE I BAPTISMO VTV
TVR ET MISSA ETIOPICA I LATINV COVERSA MVLTO LABORE
ATQ MAGA IPESA IPRIMI CVRAVIT. DV VERO MAGA AIMO VOLVERET
VNIVERSE ETHIOPIE SALVTARIA PFECTVR⁹ SI VIXISSET LOGO MORBO
CONFECTVS TIBVRE QVO OB MOREV SECESSERAT OBIIT
DIE XXVIII. AVG. ANO SA. M. D. 50. VITE SVE XXXXII
ITEGRO MASIONIS I VRBE DVODECIMO

በ፲፱፰ ወርቅ ፬ መተ : መካረት : ነሐሴ ☩

Primus versus, seu superior linguae Aethiopiae respondet primo versui latino. Inferior vero indicat diem, et annum obitus, ut legitur in paenultimo.

¹ Consule eruditissimam Diss. cl. Clementis Blasii *de antiquis Inscriptionibus bilinguibus*, nuperrime in lucem editam

inter Monument. Graec. et Lat. Musei Nanii, egregie illustrata. Romae 1787. 4. p. 146.

Huic addenda est altera Inscriptio , latine tantum exarata , quae sic habet .

D. O. M.

HIC . IACET . R^{DVS} PATER . FRATER
 MARCVS . ÆTIOPS . PRIOR
 HVIVS . LOCI . QVI OBIIT
 TERTIA DECIMA
 DIE . MENSIS . IANVARIJ
 M. D. LXXXII.

Sed ad $\delta\iota\gamma\lambda\acute{o}\tau\tau\omega\nu$ inscriptionum seriem revertamur .

አክበዊነ : ወክኃዊነ : ንለ : ትመጽኑ : ንመድኅሪነ : ዝክርዎ :
 በጸሎትከመ : ለክቡነ : ዘክርያስ : ዘተቀብረ : ወስተ : ዘቲ : መካን :
 በ፲፱ወ፳፻፺ወ፯ዓመተ : መሐረት : በወርቅ : መጋቢት ጳ

PATRES ET FRATRES MEI QVI POST ME ERITIS
 MEMENTOTE ORARE PRO P^E ZACHARIA QVI HOC LOC VLO
 IACET SALVTIS ANNO M. D. XCVII.

አክበዊነ : ወክኃዊነ : ንለ : ትመጽኑ : ንመድኅሪነ : ዝክርዎ : በጸሎትከመ :
 ለክባ : ያዕቆብ : ዘተቀብረ : ወስተ : ዘቲ : መካን : በ፲፱ወ፳፻፺ወ፱ዓመተ :
 መሐረት ጳ

PATRES ET FRATRES MEI QVI POST ME ERITIS
 ORATE PRO P^E IACOBO QVI HOC TVMVLO
 IACET ANNO SALVTIS M. D. CX. IX.

Heic autem temporum ratio , ut latinam dumtaxat Inscriptio-
 nem , ibidem exstantem , interseram , quodam-

modo suadet, quam refert etiam Martinellius, ubi loquitur de Templo *S. Stephani in Aegypto* ¹.

D. O. M.

HIC IACET MVSA FRANCISCVS
 AFFERIA FILIVS PRINCIPIS LIBIE
 QVI DISCESSVS E DOMO SVI
 PEREGRATVS EST IERVSALEM ET
 ROMA VBI EGREGIA OPERA HVIC
 DOMVI FĒCIT VIXIT A. XXXX
 MORTVVS EST
 A. D. M. D. C. X. V. I. ME. N.

De eodem fortasse loquitur Necrologium Basil. Vat. etsi discrepent notae Chronologicae, ubi ait. *Alli 17. Luglio 1620. Francesco Afferia Abissino Moro, Priore di S. Stefano de' Mori, dietro alla Tribuna di S. Pietro, morto in d. luogo, es anco sepolto.*

Sed alios lapides *δὲ γλῶσσους* in medium proferamus.

አክበዊ፣ ወአቃዊ፣ አለ፣ ትመጽኑ፣ አምድጎሪ፣ ናዜክረከመ፣ ንሕነ፣
 ዕረፍተ፣ አቡነ፣ ተክለ፣ ሃይማኖት፣ ዘተቀበረ፣ ወስተ፣ ዛቲ፣ መካን፣
 ንሕነ፣ አባ፣ ጎርጎርዮስ፣ ዘደብረ፣ ጉባኤ፣ ወአባ፣ ሀብተ፣ ማርያም፣
 ዘዳብረ፣ ዲማ፣ ወአባ፣ አንጦንዮስ፣ ዘጣቶሣ፣ አመ፣ ፲፱፻ ለመስከረም፣
 በ፲፱፻፵፱ ወ፲፱፻፶፱ ወ፳፱ መተ፣ ምሕረት ፊ

PATRES MEI ET FRATRES SCITOTE P.^{EM} THECLAM
 IMANOT EX HAC LVCE MIGRASSE HOCQVE TVMVLO IACERE
 MONVMENTVM HIC POSVERE P. GREGORIVS MONASTERII GHVBE
 P. ABTHEMARIAM MONASTERII DIMA P. ANTONIVS
 ZETAGHVSA . XII. SEPTEMBRIS S. A. M. DC . IL .

ፍዘክረከው : ንሕነ : ዕረፍተ : ኦቡነ : ሀብተ : ግርጾም : ኦሙ : ፲ወ፩
 ለወርጌ : ጥር : በ፲፱ወ፳፱ወ፳፱ወ፳፱ተ : ምሕረት : ከሙ : ትዘከርዎ :
 በጸሎትከሙ : ወትረ፩

POSTERORVM MEMORIAE RELINQVIMVS

P^{EM} ABTHEMARIAM VITAM CVM MORTE COMMVTASSE
 VESTRIS IN PRECIBVS VT EIVS MEMINERITIS
 SALVIS ANNO M. DC. LI.

Aliorum illustrium Virorum, qui ibidem sepulti fuerunt, memoriam servavit Necrologium Bas. ubi legimus ¹.
A dì 3. di Settembre 1549. fu sepolto il Figliuolo del Re di Tunisi in S. Stephano, poi la Tribuna.

A dì 28. Decembre 1599. ² Fra Raffaele della Città de Ambia in Ethiopia, dell'ordine di S. Stephano, levato dal Monastero di S. Stefano Maggiore, dietro la Tribuna di S. Pietro, nel quale era Priore, et sepolto in d. Chiesa di S. Stephano.

A dì 20. Ottobre 1603. ³ Giorgio d'Alessandria d'Egitto Diacono, Fratello del Sig. Barzone Imbasciator di detto loco, sepolto a S. Stephano delli Etiopi.

Denique ⁴. *Nonis Aprilis. Item obiit Presbyter Iacobus Rector Ecclesiae S. Stephani majoris, qui reliquit nostre Basilice unam domum in Tybure, et quaedam alia bona. Expendantur VII. Soll.*

Post haec, tres Inscriptiones proferam, hoc eodem Seculo ibidem positas.

1 in lib. I. Mortuor.

2 in lib. 111. Mort.

3 in lib. 1v. Mort.

4 p. 48.

D. O. M.

SILVERIVS CAMPANA

SS. BASILICÆ VATICANÆ

BENEFICIATVS

HVIVS ECCLESIE RECTOR

AB ANNO MDCCII

SIBI VIVENS POSVIT ET

OBIIT DIE

X. AVG. MDCCXXIX

Accipe nunc trilinguem inscriptionem , copticam nimirum , arabicam , et latinam .

ⲙⲁⲕⲁⲣⲓⲟⲥ ⲛⲓⲉⲛⲧⲟⲩⲁⲗⲉⲛⲟⲥ ⲟⲩⲟⲩ
ⲛⲓⲗⲟⲛⲁⲕⲟⲥ ⲁⲓⲛⲉⲛⲧⲓⲟⲥ .

القصر مقاريوس رئيس دير السيدة المكنى بديرية شيهيات
الذى فيها بعد صار رئيس دير مار استفانوس بدير الحبش
والقيبط وقد تخرج في يوم ٢٧ شهر تشرين الثاني سنة ١٧٤٠

Quae quidem , ab Arabicae linguae imperito homine
in latinum idioma conversa , ac dehin marmore incisa ,
ita habet .

HIC IACET PATER MACARIUS MONACHVS ORDINIS SANCTI
ANTONII OLIM PRIOR CONVENTVS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ
IN THÆBAIDE ET POSTREMO ABBAS HOSPITII SANCTI STEPHA
NI ÆTHYOPVM QVI OBIIT ÆTATIS SVÆ ANNO CVII. MENS. VII
DIE XXVII. NOVE. M. DCC. XL.

Rectior vero Inscriptionis interpretatio est hujusmodi .

MACHARIUS EGVMENOS FVIT SVPERIOR MONASTERII
DOMINÆ NOSTRÆ
SITI SCETHIS MONTE ET POSTEA FACTVS EST ABBAS
MONASTERII S. STEPHANI COPTORVM ET ABYSSINORVM
OBIIT XXVII. NOVEMBRIS MDCCXL.

Claudat hanc Inscriptionum seriem titulus sepulcra-
lis , latine , et arabice ibidem positus ab eodem sapien-
tissimo Praesule , hujus nostrae editionis optime merito .

✠ Ω. IOHANNI. TABAGAE . DOMO . DAMBIA . IN . AETHIOPIA
MONACHO . ANTONIANO . AB . ANN. CIOIOCCXLIX . RO
MAE . DEGENTI . STEPHANVS . BORGIA . A . SECRETIS
CONGR. DE PROPAG. FIDE . PIETATIS . ERGO . M. P. DE
CESSIT . IN . PACE . IDIB. DECEMB. ANNI CIOIOCCCLXXX.

أبونا القس يوحنا الحبشي راهب مار انطونيو من مدينة
دانبية من مدن الحبش اتى الى رومية في اليوم الرابع من
شهر تشرين اول سنة ١٧٤١ و اقام بهذا المحل واخذ وثلثين
سنة وشهرين وتنجح في اليوم الثالث عشر من كانون اول
سنة ١٧٨٠ وكان له من العز ثلثة وستين سنة . هكذا كتب
باللاتيني المونسنيور استفانوس بورجيا كاتم اسرام مجمع
انتشار الايمان المقدس

Denique in Fronte Arae principis legitur hujusmodi
Inscriptio , plane gemina et iis , quae in duorum Altarium
lateralium lorica insculptae sunt .

THOMAS CERVINVS ARCHIEP. NICOMEDIÆ GONSECRAVIT
XXIV. APRILIS MDCCXXIX.

Cetera ad hoc *Monasterium* spectantia paullo infra videbimus. Sed placet heic postremo loco commemorare, quod refert Turrigius ¹, Canonicos Basilicae Vaticanae ex *Oratorio S. M. de Cancellis*, dextrum Armum Protomartyris, festo ejus die, sollemni pompa in hanc Aedem, ubi sacrum rite celebrabatur, deferre consuevisse. Eundem vero Armum P. Mallius a *Pelagio P.* donatum fuisse tradit ², et confirmat Martyrologium hujusmodi verbis ³.

III. Non. Martii. Translatio Corporis B. Stephani Protomartyris, cujus Armum dextrum Pelagius PP. Basilicae B. Petri attulit.

C A P V T V.

De Monasterio S. Stephani Minoris.

Jam ad aliud *Monasterium*, quod prope *Sacrarium* exstabat, quodque una cum eo concidit, progrediamur. Hoc, ad differentiam, ut Panvinius ⁴ explicat, alterius *Monasterii Majoris, ejusdem Sancti nomine consecrati, S. Stephani Minoris Monasterium*, ut magis discerneretur, dicebatur, cujus situm in tabula ichnographica designatum reperis littera f, ad partem occidentalem. Itaque hoc etiam *Monasterium Stephano* Protodiacono, et Protomartyri dicatum fuisse constat.

¹ p. 327.

² T. VI. Junii n. 11. p. 39.

³ p. 63.

⁴ T. III. ms. c. x. fol. 19.



§. I.

Cur etiam S. Stephani Catabarbara Patricia nuncupatum ?

Hoc idem *Monasterium S. Stephani Minoris* , promiscue *S. Stephani Catabarbara Patricia* cognominabatur , ut ab altero *Monasterio S. Stephani Majoris* , *Catagalla Patricia* distingueretur . Sed variae istiusmodi nomenclaturae , tantum abfuit , ut *Scriptores* ab errore averterent , ut potius adjectiones illas *Catagalla* , et *Catabarbara* , quae alterutri *Monasterio* indicando apud *Anastasium* haerent , unum tantum , idemque *Monasterium* , idque *S. Stephani Majoris* plerumque designare , existimaverint . Ac vix dici potest , quanto studio , quantaque cura enitendum mihi fuerit , ut quod uni , quodque alteri conveniret , erui certo , dignoscique posset .

Maphaeus Vegius , qui majorem huic rei lucem affundere debuit , contra densissimis tenebris obvolvitur . Nam *Lectores* suos a *Coemeterio* , quod *Litt. y.* situm est , quodque vocatum aliquando fuit *Coemeterium S. Petri* , quod ibidem ante *Constantini* , et *Silvestri* aetate *Neophyti* , ut nonnulli putant , sacro fontis latice abluerentur , deducit ¹ *recta via ad longe majus Templum* , positum et ipsum ad *radices Montis* , ubi erat *Caput Circi* , erectum in honorem *S. Stephani* , quod *Catafarfara* dictum fuisse apud antiquum quemdam *Historicum* comperi : *Benedictus* autem *X.* in quodam privilegio *Catagalla Patricia* appellat . Fuerat tamen id prioribus temporibus tamen (tantum) *Oratorium* , sed postea , ita , ut videmus , auctum est , et amplificatum . Ceterum nunc propter humanam injuriam magna ex parte disjectum , prorsusque inhabitatum . Neque vero li-

¹ T. vJ. Junii p. 80. V. p. 1302.

cet multis in locis antiquis de eo mentio fiat, aliquid tamen vetustius legi, quam duas tabulas marmoreas positas in utroque latere Oratorii S. M. in cancellis, quarum auctor Gregorius III. Vidimus ibi nonnulla, quae infra, quum ad Oratorium ipsum vetustum (ventum) fuerit, dicemus, statuissent observanda a Congregationibus trium Monasteriorum apud Basilicam S. Petri positis, ipsique servientibus, SS. scilicet Iohannis, et Paulli, S. Stephani, et S. Martini.

Hic locus profecto medicam Janningi¹ manum flagitabat, ut, quidnam ibidem lateret, intelligi posset. Is autem recte observavit, verbum *Catafarfara*, librarii oscitatione, aut imperitia, perperam irrepsisse pro *Catabarbara*, lit. B in F bis commutata. Cui quidem Janningi conjecturae subscribat, oportet, quicumque ex Nonio², et Lipsio³ didicerit, literam F pro ejus propinquitate, et cognatione, saepe fuisse, pro B usurpatam. Deinde Vegium jure reprehendit, tum quod scripserit, Monasterium *Catabarbara* idem esse cum altero *Catagalla*; tum quod unum tantummodo *S. Stephani Monasterium* sub utroque nomine sese accepisse, in eodem loco designaverit, nimirum, ubi erat *Caput Circi ad radices Montis*. Quae quidem a Janningo egregie animadversa, non possum non vehementer probare.

Ceterum ei adsentire minime possum, quod infra addit, Vegium de *Monasterio S. Stephani Minoris*, seu *Catabarbara* loqui voluisse, quum potius heic alterum *S. Stephani Majoris* designasse, mihi videatur; quamquam hoc etiam perverse fecerit, eique nomen *Catabarbara* tribuerit, quod alteri tantum *S. Stephani Minoris* conveniebat.

¹ T. vJ. Junii n. 409. p. 160.

² c. xIJ. n. 49.

³ T. I. Opp. in fol. p. 459. c. xIJ. de recta lat. ling. pronunciatione.

Hoc enim, si quid video, satis prodit, qui ab eo describitur, locus, *ubi erat Caput Circi ad radices Montis*. Ibi autem *S. Stephani Majoris Monasterium* ab eo tantum describi, ipsius verba palam testantur, quum paullo infra alterius Templi, et Monasterii *S. Stephani Minoris* mentionem faciat, etsi ibidem *Hadriani* beneficia, quae ad hoc referenda erant, perperam eidem *S. Stephani Majoris* Monasterio collata fuisse, arbitratus sit. Atque huic quidem sententiae suffragantur Bull. Vat. editores ¹, qui allata Vegii verba *de S. Stephani Majoris Monasterio*, quod aliorum majus, atque insignius erat, intelligenda esse, fidenter pronunciant.

Verum, quis credat?, Janningus Vegii errorem, quem jure exagitavit, parum deinde sibi constans, et ipse sequutus est. Quae enim ab *Hadriano*, *S. Stephani Minoris* commodo praestita fuisse, recte demonstrat ², *Monasterio S. Stephani Majoris* beneficio cessisse scripsit, inquiring ³. *Ecclesia, et Monasterium S. Stephani Majoris, de quo haec Anastasius in Hadriano I, ac e vestigio Anastasii verba subjungit, quae a nobis infra afferentur.*

Praestat modo ad primum Vegii erratum reverti, quod nollem, non solum cum Barpth. Piazza ⁴, qui hoc *Monasterium S. Stephani in Galla Cata barbarata*, appellatum fuisse, mendose miscens ejus nomen, affirmavit, quin ullam de vera ejus denominatione *Cata Galla patricia* mentionem faceret, sed etiam cum Mabillonio, et Vignolio commune fuisset. Mabillonius enim ⁵ *Monasterium S. Stephani Majoris, alio nomine Catafarfara, seu Catagalla Pa-*

¹ T. I. p. 186.

² p. 160. n. 407, et 410.

³ sub litt. x. p. 159.

⁴ Eph. Vat. p. 505.

⁵ in Praef. Ord. Rom. T. II. Mus. It. p. xxviii.

tricia, vulgo dici consuevisse scripsit. Quod fortassè hausit ex Panvinio, aut Martinellio, in quorum sententiam concessit etiam Lubinus ¹. Siquidem primus ² *Catafarfara Patricia* dictum fuisse tradidit, *etsi in quodam privilegio Benedicti X. Catagalla* appellatum fuerit. Alter ³ vero *Monasterium S. Stephani Majoris Catagalla Patricia* nuncupatum, idem esse, atque illud, quod *Catabarbara Patricia* dicebatur, Grimaldo adstipulatore, affirmavit. Vignolius autem, quotiescumque in Anastasio, *Monasteriorum ad S. Petrum* mentionem offendit, fere semper unum, idemque, *Monasterium Catagalla*, et *Catabarbara* fuisse opinatus est. Velut, quum in vita *Gregorii III* ⁴, ubi *Monachis trium Monasteriorum Bas. Vaticanae inservientibus*, *vigilias in eodem loco celebrari* praecipitur, haec adnotavit. *Monachis Monasterii SS. Iohannis, et Paulli a Leone I. aedificati, S. Stephani Majoris Catabarbara, seu Catagalla, a Galla Patricia Romana sic nuncupati, et Sancti Martini, ubi nunc SS. Leonum Pontificum Sacellum*. Et alibi ad eundem modum, ut in vita *Stephani II*, ubi tria eadem *Monasteria* nominantur, *fuere*, inquit ⁵, *ista SS. Iohannis et Paulli, unum a S. Leone aedificatum, ut in ejus vita num. VII, ubi hodie est Sacellum SS. Processi, et Martiniani, alterum S. Martini ad Petrum nuncupatum, ubi nunc est Sacellum SS. Leonum; tertium S. Stephani Majoris Catabarbara, seu Catagalla, cognominatum a Gallae Patriciae Romanae nomine, quae illud ad occasum retro apsidam Basilicae condidit, ibique Mauri Abyssini hodie hospitantur*. Ac denique in ipsa *Adriani* vita, ubi tantum *S. Stephani Catabarbara Patricia*, de quo nunc agimus,

¹ pag. 344.

² T. 111. ms. c. xI. p. 19.

³ p. 402.

⁴ T. II. §. vI. p. 47.

⁵ ibid. §. XL. p. 115.

Monasterium nominatur, haec subnectit ¹. *A Galla Patricia Romana condito, retro absidam S. Petri in Vaticano ad Occasum, Aedem incolunt Aethiopes Abyssini*. Ex quibus, nisi aliunde hoc ei notum fuisse, ut infra demonstrabimus, aperte constaret, *Monasterium S. Stephani Minoris*, altero *Cata Barbara Patricia* nomine quandoque designatum, ei plane incompertum fuisse, dicendum esset; quum semel, iterum, ac tertio, idem cum altero *S. Stephani Majoris Cata Galla Patricia* miscuerit, et utrumque vocabulum huic *Monasterio* ab Abyssinis habitato, indistincte tribuerit. In hanc eandem culpam Turrigium multo ante incidisse vidi, qui *quattuor* haec *Monasteria* designat ². sub nomine *S. Martini, SS. Ioh. et Paulli, S. Stephani Majoris, et SS. Sergii, et Bacchi*, illudque *S. Stephani Majoris* appellat etiam ³ in *Cata Galla*, seu *Cata Barbara*, aut *Cata Barbara Patricia*, quin unquam *S. Stephani Min.* mentionem injiciat.

Verum, quod Vignolius haud satis assequutus esse videtur, Cl. Baldinius deprehendit, qui una cum Vgolino supremam Vignoliano operi manum imposuit; etsi et ipse ejus originem *Gallae Patriciae* perperam assignaverit, eamque suum sibi domicilium ibidem statuisset, graviori lapsu affirmaverit. Nam in vita *Leonis III*, ad illa verba ⁴ in *Monasterio ipsius primi Martyris Stephani, quod ponitur ad B. Petrum Apostolum, fecit canistrum ex argento*, ita adnotavit. *Hoc Monasterium, quod appellatum etiam fuit Cata Galla Patricia, a B. Galla Symmachi V. C. Filia, quae illud in honorem S. Stephani aedificaverat, sibi in domicilium elegerat, prope Triclinia S. Petri, exstabat, et adhuc*

¹ ibid. f. LIII. p. 201.

² de SS. Mich. et Magno c. x. p. 27.

³ ibid. c. xv. p. 35.

⁴ T. 111. f. LXXVI. p. 289.

exstat . Ac rursus alterum Anastasii locum , quem supra recitavimus , de vita *Paschalis II*, ita explanavit ¹. *Duplex erat Aedes in honorem B. Protomartyris juxta Basilicam Vaticanam , altera minor , et altera major ; utrique praefuit Paschalis .*

Sed , quum satis de vera *S. Stephani Minoris* appellatione disputatum sit , nunc ad ejus originem indagandam transeundum , quam ferme omnibus adhuc Scriptoribus incompertam fuisse declarabimus .

§. 11.

Ciampinii , et Ianningi de Monasterii origine opiniones exponuntur .

Ciampinius , multo ante allatos Scriptores , eadem ratione , qua *Monasterium S. Stephani Majoris Catagalla Patricia* , a *Galla Placidia* constructum fuisse arbitratus est , hoc etiam *S. Stephani Minoris* ² a *Barbara Patricia* aedificatum , ideoque *Catabarbara Patricia* nuncupatum existimat . Atque huic sententiae consonat Janningus , qui haud satis ab inconstantia cavit , quum scripsit ³ , praeclarissimas *Feminas , Gallam , et Barbaram* , suis singulis in domibus , aut praediis , Ecclesias , aut Monasteria construxisse , a suis ipsarum nominibus deinde appellata . Quae tamen , qualisque fuerit haec *Barbara Patricia* , in obscurissima antiquitate certo divinare , minime se posse , fatetur . Nihilominus conjiciendum putat , eamdem esse , quae apud *S. Mariam in Praesepe* , sive *Majorem , S. Andreae* Apostoli Aedem , in suo praedio forsitan construendam curavit , atque a suo nomine postea in *Barbara* , seu *Cata Barbara* vulgo dictam .

¹ ibid. §. 11. p. 331.

² p. 94.

³ T. vI. Iur. n. 411. p. 161.

Quae quidem conjectura valde mihi arrisisset, nec, quae alia ei praeferrī posset, plane viderem, si tantum de nominis, quod non modo eidem S. *Andreae* Ecclesiae, sed etiam Vaticano huic *Monasterio* adhaesit, non de utriusque origine heic sermo haberetur.

§. III.

De Templo S. Andreae in Barbara, in Exquiliis.

S. *Andreae* Basilicam in Exquiliis a *Simplicio* Papa dedicatam fuisse, tradit Anastasius ¹, quem sequuntur Baronius ², Platina ³, Ciacconius ⁴, de Angelis ⁵, aliique. Idem Anastasius in *Gregorii II.* vita rursus illam nominavit his verbis ⁶. *Monasterium* (quod tunc temporis Canonorum S. Mariae Majoris domicilium erat) *juxta positum* S. *Andreae* Apostoli, quod *Barbara* nuncupatur, ad *nimiam* deductum *disertionem*, in quo ne unus quidem habebatur *Monachus*, restaurans, et *Monachos* faciens, ordinavit, ut *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, vel *Matutinos* in eadem *Ecclesia Dei Genitricis* quotidianis agerent diebus. Et in vita Leonis III. sarta vero, inquit ⁷, *tecta Basilicae* S. *Andreae* Apostoli, quae appellatur *Catabarbara* *Patricia*, quae per *olitana* jam fuerant tempora *vetustate* consumpta, noviter restauravit.

Verum communior ejus appellatio, fuit in *Barbara*, ut monet Severanus ⁸, seu *Barbara*, si Lubinum ⁹ audiamus, vel in *Barbaris*, ut placet Ciacconio ¹⁰; quam appellationem ex nobili hujusce nominis *Matrona* repe-

¹ T. I. §. I. p. 160.

² ad an. 483. n. v.

³ in *Simplic. vit.*

⁴ *ibid.*

⁵ in *descript. Bas. S. M. M. cap. II.*

lib. III. p. 28, et c. III. lib. v. p. 57.

⁶ T. II. p. 17.

⁷ T. III. §. xci. p. 302.

⁸ de *vit. Eccl.* p. 201.

⁹ p. 329.

¹⁰ in *Simpl.*

tendam tradit Severanus ¹, quae sub Gelasio I. Corpus S. Severini Neapolim transferendum curavit.

Martinellius ² vero eam in *Exquiliis* appellat, nec non in *Aurisario*, ex Grimaldi auctoritate, qui talia de eadem Basilica memoriae consignavit ³. *Ecclesia S. Andreae in Barbara, conjuncta Ecclesiae S. Antonii apud Sanctam Mariam Majorem, in Aurisario deinde appellata, hodie ad usus profanos redacta. Haec Ecclesia S. Andreae in Barbara, Dianae, ut fertur, quondam Templum, habebat pulcherrimas incrustationes ex lapidibus serpentinis marmoreis, et aliorum colorum, ad diversos flores, et factorum argumenta elaboratas. Hodie cernitur testudo, et equus a Leone discerptus, Caesaris ingeniosum inventum, et aliqua ipsarum incrustationum fragmenta, quae in dies Galli illi barbari, qui Ecclesiae ipsi S. Antonii deserviunt, crassa ignorantia destruunt', et mixturae glutinum, quo incrustationes tenentur, recipiunt ad febres sanandas.*

Nonnulla hujusce Aedis superesse vestigia in eodem Coenobio *Antonii Senioris*, tradidit Turrigius ⁴, ac Thomasius ⁵, et Mabillonius confirmarunt, qui in Antiphonali Gregoriano Bibl. Angelicae, sic ab Angelo Rocca adnotatum esse scripsit ⁶. *Dominica I. de Adventu Domini Statio ad S. Andream Apostolum post Praesepe. Re diligenter inspecta, haec Aedicula S. Andreae Apostolo olim dicata, hodie intra Ecclesiae S. Antonii Atrium, prope S. Mariae Majoris Basilicam profanata cernitur, et in hominum*

¹ ap. Baron. n. 496.

² c. IX. p. 56.

³ p. 200.

⁴ Grotte Vat. pag. 446. Il Tempio di Diana in honore di S. Andrea Apost. le di cui vestigie si vedono congiunte alla Chiesa di S. Antonio presso S. Maria

Maggiore, dove sino adesso si vede in Mosaico il Salvatore con gli Apostoli, e molte altre figure intersiate di minute pietre.

⁵ T. v. ad diem xxx. Nov. p. 508.

⁶ T. I. Mus. Ital. num. xxvii. p. 91.

usum conversa Exstat etiam dicto in loco profanata absis illa , vel tribuna Aediculae antiquae , in qua imagines opere musivo olim factae , nunc semidirutae , vel collapsae cernuntur . Hisce autem , ut Marangonium ¹ , et Furiettum ² de eodem Templo disserentes omittam , adjungendum est Montfauconii testimonium , qui haec de hujusmodi rudibus tradidit in *Diario Italico* ³ . In *Monasterio S. Antonii Gallorum , Basilicae (S. M. Maj.) vicino , rudera visuntur antiqui Dianae Templi , quae in horreum versa sunt . In horrei muro musivi operis sparsa hinc , et inde vestigia obversantur , quae venatus , ferasque sylvaticas referebant , germana Dianae symbola . Ex hisce rudibus eruta gemina musivi operis frusta in Cappellam S. Antonii translata sunt , et vario marmore , in utroque latere Cappellae , Leonem , qui Vaccam suffocat , exprimunt . Nec moveat quempiam , quod nulla Templi hujusce in Rufo , Victore , aliisque scriptoribus exstet memoria .*

Quamobrem male Vignolius ⁴ , Baronio , et Martinello nimis fidens , eandem Basilicam omnino periisse affirmavit . Si quis autem plura de ea doceri volet , praeter Venutum ⁵ , Ficononium ⁶ , Blanchinium ⁷ , ac nuperum Nardini Scholiastam ⁸ , adeat Ciampinii *vetera Monumenta* , qui ⁹ praecipue refert , pluries in vetustis Codicibus mentionem fieri Basilicae Sicinianae , nempe prope Palatium Licinii constructae , cui Constantia Constantini

1 c. LIII. p. 264.

2 p. 73. 3 p. 107.

4 T. I. p. 160. in vita Simplicii.

5 Roma antica .

6 Osservazioni al Diario Italico p. 15 , e nelle vestigia di Roma Ant. c. vI. p. 111.

7 in not. ad Anastasium .

8 lib. iv. c. 11I. p. 437.

9 De nonnullis ornamentis , quae erant in Basilica Siciniana , postea S. *Andraeae in Barbara* appellata . Tom. I. pag. 52. De profanata Ecelesia S. *Andraeae in Barbara* , seu *Cata Barbara Patritia* , musivo opere nuper in ea exstante , a Simplicio Papa anno 453. decorata . ibid. pag. 246.

M. Soror nupsit, sitae ad Macellum Liviae in Exquiliis; atque huic eidem Basilicae, temporis decursu, inditum fortasse nomen *S. Andreae in Barbara*, sive *Cata Barbara Patricia* fuisse opinatus est, plane jam oblitus, ab ea aedificatam fuisse, sese alibi pronunziasse. Haec eadem Aedes, nunc Gallorum vice, a Monialibus Ord. Camaldulensis, incolitur, ac quotannis ibidem, festa die Antonii Abbatis, Iumenta, ex veteri more, lustrantur.

Quorsum tamen, inquires, nunc haec? nimirum, ut probem, hanc *Andreae* Aedem *Cata Barbara Patricia*, cujus tantum meminit Dom. Macer¹, ac si una in Vrbe fuisset, quae hunc titulum praesefferret, ab eadem illustri Femina mutuatum esse nomen, in cujus praedio Monasterium *S. Stephani Minoris Cata Barbara Patricia* exstructum fuerat, eamque a *Galla Patricia* plane diversam fuisse; quod *Galla*, et *Barbara*, pro una, eademque Matriona, minime sunt accipiendae. Ac demum libenter de ea disserui, quod haec etiam Basilica ipsum *B. Andreae* nomen, alteri a *Symmacho* erectae commune, praeferat; quam etsi omnium prima, ejusdem honori in Vrbe erecta, longe vetustate superavit, non inde tamen haec una a Dominico Georgio², quasi praeter eam nulla alia esset *B. Andreae* posterius dicata, aut mentione digna, ad Adonis Martyrologium nominanda erat.

¹ in Hierolexico p. 132.

² ad diem xxxI. Nov.



§. IV.

*Num Monasterium a S. Stephano Hungarorum Rege
exstructum fuerit ?*

Jam , ut ad nostrum S. Stephani Minoris Monasterium revertamur , iis etiam satisfaciendum esse video , qui idem a Stephano Rege Hungarorum exstructum fuisse contendunt . Princeps horum est Vegius , qui , ut probet , Hadrianum Stephani Majoris Monasterium non modo instaurasse , sed etiam ditasse , haec addit ¹ . Siquidem donavit ei Castrum Capracorum , quod ex paterna sibi hereditate obvenerat , et fundum quemdam optimum , vocatum Bravi . Subdidit quoque , et annexuit Templum B. Petronillae , et B. Stephani , quod Stephanus Rex Pannoniorum , quos Hungaros appellamus , extruxerat ; unde postmodum etiam illud S. Stephani Majoris , hoc Minoris , ut magis discernentur , nominata sunt , sicut haec suis quaeque locis melius tractabimus ; concessit autem ea omnia cum omnibus bonis suis , quae immensi aestimata sunt redditus . Hujusmodi verba non parvi ponderis sunt ad eam , quam proxime de Vegio protuli , sententiam approbandam , qui non , ut Janningus sibi persuaserat , Stephani Minoris , sed Stephani Majoris Monasterii , eo loco meminit . A quibus parum profecto abludit ; quod infra subnectit , ubi magnifica Hadriani opera recenset in hunc modum ² . Fuit longe benignus , et beneficus , Basilicae S. Petri , cui Castrum Capracorum donavit ³ , ne cetera , quae ei multa dona contulit , referamus ; ne item dicamus Monasterii S. Stephani , quod aedificavit juxta ipsam Basilicam , nunc magna ex parte dirutum , in quo habitantes Monachi cum aliis simul tribus Monasteriis ,

¹ n. 114. p. 80.

² num. 124. p. 82.

quae Gregorius III. instituerat , quotidie psallentes B. Petro laudum officia exhibebant . Quibus verbis , etsi Castri Capracorum donationem , quam Monasterio S. Stephani Majoris factam , antea scripserat , secum ipse imprudenter confligens , revocet , ac Vat. Bas. datam dicat , ac praeterea oblitus sit , sese , quod supra profitetur , Monasterii S. Stephani Majoris foundationem , frustra inquisiisse ; tamen , quum heic Monasterium ab Hadriano erectum fuisse scribat , de altero S. Stephani Minoris minime loquutum fuisse constat , quod a S. Stephano Pannoniorum Rege exstructum , non multis ante verbis tradiderat ,

Hanc vero opinionem de S. Stephani Minoris origine , Stephano Hungarorum Regi assignanda , sequuti sunt Surius ¹ , Turrigius ² , et Filinus ³ , quibus Piazza ⁴ , Marangonius ⁵ , Posterla , et Cecconius ⁶ , Venutus ⁷ , aliique consentiunt . Verum bona cum venia tantorum Virorum , majori certe fiducia , quam Janningo ⁸ licuit , cui Monasterii conditor ignotus fuit , affirmare possum , hoc nequaquam S. Stephani illustrissimi Regis opus fuisse . Dabo enim , Regem munificentissimum plura in illud beneficia contulisse . Quid inde ? Iccirco ne consequens erit , eundem a solo , Monasterium erexisse ? Atqui statim , uno veluti ictu , concidat hujusmodi sententia , necesse est , si quis Pontificum diplomata opponat , in quibus Monasterii memoria longe , ante Regem Stephanum occurrit .

Et sane , usque ab aevo Leonis VII , Monasterium S. Stephani , cum Majoris adjectione nominatum vidimus ⁹ ; quod epitheton , nonnisi distinguendi causa adhiberi potuit ,

¹ die vI. Sept.

² p. 428. ³ p. 38.

⁴ Eph. Vat. p. 517. 582. 758.

⁵ nel div. Pellegrino p. 148.

⁶ in Panciroli additionibus .

⁷ T. IV. Rom. Rec. p. 1203.

⁸ p. 160.

⁹ pag. 1483.

et vero debuit. Id etiam Joh. XIX. praestitisse adnotavimus ¹ in diplomate ² ad Sylvae Candidae Episcopum, ubi indicat *Monasterium S. Stephani, quod appellatur Major a S. Petro*. Jure igitur Bull. Vat. editores unum e trinis Leonis IX. diplomatibus ³, ubi *Monasteria S. Stephani Majoris, et Minoris* diserte nominantur, illustrantes, sic adnotarunt ⁴. *Templo S. Stephani Minoris D. Stephanum Regem plurimum sua munificentia contulisse ostendimus in adnotatione ad praelaudatum Innocentii III. diploma. Quinam illud primus erexerit, incertum; ejus tamen antiquitas valde remota.*

Haec ipsa igitur temporum ratio, quae Bullarii Vaticani editores deterruit, et Vegium, aliosque ab ea opinione amplectenda, quam sequuti sunt, de hujus *Monasterii* origine remove debuit. Quum enim multo ante *Stephani* aetatem *Monasterium* exstitisse constet, manifestum est, ad alium, quam ad hunc Regem auctorem fuisse referendum.

§. v.

Monasterii conditor detegitur.

Quod mihi obtigit, dum ignotam Templi *S. Petronillae* originem explorabam, id aequè feliciter accidit in hujusce *Monasterii* ortu investigando. Quum enim *Stephani II* vitam apud Anastasium ⁵ percurrerem, haec mihi quodammodo sese obtulerunt, quae de tota re certiores fecerunt. *Sed BB. Papa semper quae Dei meditatus officia, quae per multum tempus dimissa fuerant tempore nocturno, expleri suo tempore fecit. Similiter divinum restauravit officium, ut*

¹ pag. 1484.

² apud Vghell. T. I. col. 107.

³ Tom. I. Bull. Vat. p. 17. 29. 33.

⁴ p. 33. ⁵ T. II. §. XL. p. 114.

antiquitus fuerat constructum, et tribus Monasteriis, quae a prisco tempore in Ecclesia B. Petri Apostoli ad idem officium persolvendum deputata fuerant, adjunxit quartum. Ibi quoque Monachos, qui ad ipsum conjungerentur officium, instituit, atque Abbatem super eos ordinavit. Multa quoque dona iisdem largitus est Monasteriis, tam quae interius necessaria sunt, Monachis, quam quae exterius, immobilia scilicet loca, quae usque hodie utilitatibus illorum deputata persistunt. Quibus Anastasii verbis mire concinit P. Mallius in hunc modum¹. *Stephanus Papa II. Hic SS. Praesul in sua propria domo construxit a fundamentis Monasterium in honorem S. Stephani Papae, et Mart., atque Pontificis.*

Quid autem amplius quaeramus S. Stephani Minoris Monasterii originem, et cur Barbarae Patriciae, cum Janningo, et Ciampinio, Hadriano Papae, Gregorio III., Stephano Hungarorum Regi cum aliis eam tribuamus, aut plane incertam, cum Bullarii Vaticanis editoribus pronuntiemus, quum ex Anastasii verbis liquido constet, hoc a Stephano II. conditum fuisse? Id tamen vidit etiam Vignolius, qui ad hunc Anastasii locum sic interfatus est. *Quartum vero, quod ab hujus Pontificis sui Conditoris nomine, itidem S. Stephani appellatur, ad meridiem remanet.*

Quamquam vero dolendum est, Vignolium pretiosae hujusce veritatis, ceteris Scriptoribus incompetae, veluti purpurae, vilem erroris laciniam adsuisse, quum ibidem, uti jam supra² dictum est, dum alia tria Monasteria recenset, illud S. Stephani Majoris Cata Barbara, seu Cata Galla indistincte nominatum falso affirmavit. Idem dicas, licet, de Floravante Martinello, qui³ eodem loco, ubi S. Stephani Minoris originem Stephano II. assi-

¹ n. 88. p. 45.

² p. 1538.

³ p. 402.

gnavit , *Monasterium Cata Galla Patricia* , idem esse affirmat , atque alterum *Cata Barbara Patricia* .

§. VI.

Pontifices de Monasterio benemeriti .

Post *Monasterii* originem , Pontifices de eo benemeritos videamus . Ac primo Maph. Vegium , quae de *S. Stephani Majoris Monasterio* adjecit , audiamus . Constat , inquit ¹ , *Hadrianum Pontificem* , ut *Basilicae servitio melius provideret* , quum dirutum illud , destitutumque invenisset , non modo reparasse , sed auxisse , multisque bonis ditasse . Verum recte Janningus ² demonstrat , haec non *Hadrianum* , sed successorem ejus *Leonem III.* praestitisse , ac perperam de *Monasterio S. Stephani Majoris Cata Galla* , a Vegio fuisse accepta .

Et sane si Vegii historiam , tamquam ad lydium lapidem explorabis , statim eam adulterinam deprehendes . Nam si *Monasterium* ab *Hadriano* reparatum fuisset , quâ fieri poterat , ut *Leo III.* , qui *Hadriano* immediate successit , *Monasterium Cata Galla Patricia* , quod prae *nixia* vetustate jam emarcuerat , atque ex parte corruerat , instauraverit ? Quare nemo non videt , post Vegium , et Alpharanum , reprehendendos esse Turrigium ³ , Martinellium ⁴ , et Vignolium ⁵ , qui ab *Hadriano* , *S. Stephani Majoris Monasterium* restauratum fuisse tradiderunt . Sed multo magis notandi certe sunt Panvinius ⁶ , Lubinus ⁷ , et Costagutus ⁸ , qui , ut huic errori alterum etiam ad-

¹ n. 113. p. 80.

² p. 160. n. 408 , et 410.

³ p. 327.

⁴ pag. 402.

⁵ T. II. p. 196 , et 202.

⁶ T. III. c. x. p. 19. ms.

⁷ p. 344.

⁸ *Architettura di S. Pietro* p. VIII.

jungerent, ipsum *Hadrianum S. Stephani Minoris* conditorum pronunciarunt.

Tu vero, si me audis, tecum haec statuas: *Hadrianum* scilicet *Monasterio S. Stephani Majoris* Castrum *Capracorum* donasse, eique *Templum B. Petronillae*, et *Monasterium S. Stephani Minoris* a *Stephano II.* erectum subdidisse, quod deinde idem *Hadrianus* ad disciplinam revocavit. Id enim tantum nos docet ipse *Hadriani* Biographus, qui ita loquitur apud *Anastasium* ¹. *Hic BB. Praesul divina inspiratione ignitus constituit in suo Monasterio S. Stephani Cata Barbara Patricia, situm ad B. Petrum Apostolum Congregationem Monachorum, ubi et Abbatem idoneam personam ordinatus statuit, ut sedulas laudes in Ecclesia B. Petri persolvant, sicut et cetera tria Monasteria, ut duo Monachi pro latere ipsius Ecclesiae Deo nostro canant laudes, quoniam ipsum Monasterium in magna desidia, et neglectu, incuriaque positum erat, et nullum officium divino cultui exhibebatur.*

Porro autem haec *Anastasio* verba si recte perpendas, non solum de *S. Stephani Monasteriorum* diversitate fidem tibi facient, sed etiam abunde declarabunt, *Monasterium S. Stephani Cata Barbara Patricia*, fuisse *Monasterium*, de quo agimus, *S. Stephani Minoris*. Quum enim ibi constituerit *Monachorum Congregationem*, ut divinas laudes in *Vaticana Basilica* sedulo cantu persolverent, consequens est, hoc *Monasterium*, contraquam fieri debisset de altero *S. Stephani Majoris*, quod ex parte dirutum *Leo III.* paullo post instauravit, tam bene materiatum, firmum, commodumque fuisse, ut a *Monachorum* sodalitate, sine periculo inhabitari posset. Ac

¹ T. II. §. xxvii. p. 338.

profecto, quonam pacto sese res secus habere potuit, quum idem *Monasterium* haud ita pridem a fundamentis erexisset *Stephanus II*, quod tantum ex *disciplinae defectu in magna desidia, et neglectu, incuriaque positum* esse poterat, quia fortasse *Monachi* ibidem a *Stephano* primum collocati, aut defecerant, aut aliô migraverant?

Huic etiam *Monasterio*, uti de altero jam demonstravimus, praefuit *Paschalis*, in cujus vita sic legitur ^r. *Benignissimus quoque Praesul fecit in Monasterio B. Stephani Protomartyris ad S. Petrum, vestes albas holosericas* ^{iv}. *habentes in medio Crucem de auro texto cum diversis margaritis, et periclysi de blattin mirifice decoratas. Item, ubi supra, obtulit praenominatus Pontifex vestem de fundato habentem in medio Crucem ex auro textam, et periclysin de chrysoclavo. Saepedictus denique Praesul fecit in jam dicto Monasterio vestem de fundato habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum vultu sanctae Dei Genitricis, et SS. Apostolorum Petri, et Paulli, et periclysin de Blattin. Obtulit ibi ipsum vestes de stauraci duas, habentes in medio Cruces de chrysoclavo, et periclysin de Blattin. Fecit etiam ad ornatum ipsius Oratorii velum majus de quadrapulo, habens in medio cruces de auro textas* ⁱⁱⁱ. *et periclysin de Blattin. Quae quidem Paschalis munera, etsi certo statui nequeat, utrum Monasterio S. Stephani Majoris, an potius S. Stephani Minoris data fuerint, tamen nullus est dubitandi locus, uni, aut alteri eorum fuisse collata.*

^r T. II. §. xxvii. p. 338.



§. VII.

De Hospitio Hungarorum eidem Monasterio adnexo .

Quum in duobus diplomatibus , altero *Innocentii III.* ¹, altero *Gregorii IX.* ² mentio fiat *Hospitii Hungarorum*, in *Eccllesia S. Stephani Minoris*, iccirco pauca etiam addenda esse reor, ad hujus etiam nominis explanationem. Atque, ut rem in pauca contrahamus, quae superius allata sunt, aperte demonstrant, hoc *Monasterium* a *Stephano II.* a fundamentis fuisse excitatum. Id tamen minime obstat, quin Bull. Vat. editoribus ³ adsentiamus, adnexam *Domum* hospitem, *Hungarorum peregrinorum* commodo, a *Stephano Rege* funditus erectam, ac liberaliter dotatam fuisse.

Hujus rei testem, qui iisdem *omni exceptione major*, jure visus est, habemus *Chartuitium* in *Hungaria* *Episcopum*, qui claruit *Sec. XI*, et in ejusdem *S. Stephani* gestis ab se descriptis, haec literis mandavit ⁴. *Romae quoque, quae est Mundi Caput, sub Protomartyris Stephani titulo, duodecim Canonicorum Collegium condidit, rebus necessariis, et ad ejusmodi Collegium attinentibus abundans. Domos quoque, et Hospitia Hungarorum, qui orationis causa Romam ad B. Petri Apostolorum Principis limina venirent, exaedificavit, muro ea lapideo circumdans. Praeterea Bull. Vatic. editores praestantissimi Pontificis Martini V. proferunt auctoritatem, in cujus diplomate discrete nominatur *Hospitale, quod per B. Stephanum Hungariae nationis Regem fundatum existit.**

¹ T. I. p. 84.

² ibid. p. 114.

³ ibid. p. 84.

⁴ apud Surium die xx. Aug. p. 243, et cum Commentario praevio, et notis Ioh. Stiltingi T. I. Sept. p. 456.

Verum multo plura , quam ii fecerint , hac de re proferre possum testimonia . Adeo enim insignem providentissimi Regis benevolentiam , in suos Romae peregrinantes fuisse scimus , ut eorum gratia , in agro Ravennate , S. Petri ad Vincula Templum , ac domum extruxerit . Hieronymus Rubeus , qui Regiae foundationis diploma in vulgus edidit , haec deinde subnectit ¹ . *Adjecit Rex Sanctus vectigal , quo non solum Monachi ibidem ab se constituti alerentur , sed suppeditaretur etiam victus Hungaris omnibus Religionis causa Romam proficiscentibus . Magnus enim erat Hungarorum numerus , qui quotannis Romam ad limina Apostolorum visenda , osculandaque veniebant : Quae quidem , etsi Rubeus in assignando Monasterii erectionis anno , a recta chronotaxi aberraverit , quam tantum postremis Stephani vitae annis , nimirum inter annum MXXX , et MXXXVIII , collocandam esse docet Johannes Stiltingus , in praevio luculentissimo Commentario de ejus vita ² , in controversiam vocari nequeunt , quum a memorato foundationis diplomate comprobentur . Quare in Rubei narrationem , suam symbolam contulit etiam Iohannes Thomaeus in opere , cui titulus , *Regiae Sanctitatis Illyricanae foecunditas* , in vita Stephani Regis ³ , una cum Ioh. Petro Maffejo ⁴ , et Ioh. Iony ⁵ .*

Itaque si pietissimus , idemque munificentissimus Rex , Hungarorum peregrinantium commodis , atque incolumitati tam procul ab Vrbe prospexit , quidnam putandum erit , in ipsa Vrbe pro iis praestitisse ? prae-

¹ in Hist. Raven. lib. v. pag. 260. ad an. 963.

² T. I. Sept. die 11. p. 531.

³ p. 225.

⁴ nelle Vite di XIII. Confessori di Christo p. 233. Roma 1601. 4.

⁵ in dissertatione de auspicio Regio Stephani I. Hungaror. Apostoli. Ien. 1717.

sertim quum illustria Pontificum Romanorum passim observarentur exempla, quibus nihil unquam fuit antiquius, quam ut Advenas liberali hospitio exciperent, ac recrearent? Et sane, quae supra Chartuitius expressit, luculentius confirmat Inchofer in Annalibus ad annum mviI, ubi postquam scripsit, Hungaros peregrinos a Romanis esse peramanter exceptos, ita pergit. *Quod quum Rex Sanctus intellexisset, pietatem quoque suam desiderari non est passus, ac ut peregrini suae gentis, in Vrbe commodius manerent, et religioni suae vacarent, domos, et hospitia eis prope Basilicam Principis Apostolorum exaedificavit, addito Oratorio, quod deinde S. Stephani Hungarorum, et S. Stephani Minoris est appellatum; cuius tamen memoria ob fatiscentem vetustate structuram, paullatim abolita erat, nisi circa annum millesimum quadringentesimum septimum supra nonagesimum, rebus sub Matthia Rege reflorescentibus, Hungarorum aliquot peregrinorum opera, reffectis omnibus restituta fuisset. Quamquam hodie afflicta Hungariae felicitate, et ob minus frequentem Hungarorum concursum, situm dumtaxat servat, vix formam, et splendorem. Haec autem etsi perperam de Oratorio S. Stephani Minoris, ab Ichnofer pronunciata fuisse, quisque videt, recte tamen de Domo, et Hospitio, Hungarorum commodo ibidem exaedificatis, scripta sunt. Paria testantur etiam Antonius Bonfinius, David Czuittingerus in *Specimine Hungariae Litteratae* ¹, Iohannes Thuroczius, et Petrus Ronzanus, rerum Hungaricarum scriptores florentissimi, Seculi xv, quorum verba, brevitatis gratia, parcam proferre.*

Quapropter, etsi *Monasterii S. Stephani Minoris* origo, a *Stephano Rege* non est repetenda, tamen Hungarorum

¹ p. 80.

Hospitii, quod ei postmodum adjectum fuit, origo, et appellatio, ex eo deducenda, qui praeter Hungarici Regni oblationem Petro factam, ac praeclare gesta ad Christianum nomen propagandum, quibus a Silvestro II. Regis titulo, et diademate, ac singulari privilegio Crucis ante se deferendae ¹ honestatus fuit, hoc etiam liberalitatis, ac munificentiae genere, Apostolorum Principis gratiam voluit promereri. Ac propterea notandi certe sunt ii, qui una cum Vegio, eandem originem Monasterio, et Hospitio praepostere assignarunt.

Iam quid de Barpt. Piazza ², cujus sententiae Venu-
tus ³ adstipulatur, dicendum mihi erit, qui hoc *Monasterium*, non modo a *Stephano* Rege aedificatum fuisse; sed etiam duodecim Sacerdotum Collegio auctum tradidit? Verum ne in ipso quidem errore sibi constitit, quum alibi ⁴ a *Galla Symmachi* filia, Monasterium aedificatum; et contra alio loco ⁵ anno DCCLXXII. ab *Hadriano* I. constructum, Collegium vero Canonicorum a *Stephano* Rege, cum Hungarorum Hospitio ibidem institutum, allata Baronii ⁶, et Alpharani auctoritate, pronuntiaverit.

Nihil autem Plazzae, Chartuitii testimonium prodesse potest, qui de hoc Sacerdotum Collegio, tamquam alibi constituto, atque alteri Templo addicto, aperte loquutus est. Ac quum certo constet, Templum in honorem *S. Stephani* Protomartyris, pientissimi Regis munificentia in Vrbe conditum fuisse, Pancirolus, alii-
que harum rerum indagatores, haud vane, meo quidem

¹ Baron. Ann. M. D. XII. Bull. Rom.

T. I. n. 2. Borgia Storia di Benevento.

T. III. p. 109.

² in Eph. Vat. p. 517.

³ Rom. Mod.

⁴ Eph. Vat. p. 583.

⁵ ibid. p. 758.

⁶ ad ann. MII.

animo, conjectarunt, hoc illud ipsum esse, quod olim *S. Stephani de Piscibus*, modo *S. Stephani in Piscinula* nuncupamus. Verum, quis credat?, omnem de hac re dubitandi ansam praecidit idem Barpth. Piazza, qui non una vice ¹, Templum hoc ibi esse statuendum affirmat, laudati Ichnofer sententiae subscribens, cujus verba heic exhibeo. *Non his contentus Rex Stephanus, ut Regnum Hungariae continuo haberet, quos in Vrbe literis, et religione instructos Christi cultui propagando, et ornando adhibere posset, ea de causa sub Protomartyris Stephani titulo duodecim Canoniorum Collegium, apud quos reliqui instruerentur, et alerentur, condidit, rebusque necessariis tum ad victum, tum ad Templi ornamentum stabilivit. Is locus dictus est S. Stephani in Piscina, qui post aliquot secula deficientibus quacumque de causa Canonicis, et Alumnis in Paraecciam, quae hodie superest, desiit.*

Itaque quis non multo potiori jure eorum sententiam explodat, qui alterum *S. Stephani* Templum, quod exstat in Coelimontio, *rotundumque* nunc, ut olim *in Trullo* ², ab ejus orbiculari structura appellatur, ab eodem Rege aedificatum fuisse pignant, ac *S. Stephani Minoris* vocatum, ut *Stephanus Rex*, a Protomartyre distingueretur? Nam, praeterquamquod id nominis, tantum *Monasterio* pone Bas. Vat. donatum fuit, ut ab altero *S. Stephani Majoris* ei contiguo secerneretur, Templum *S. Stephani rotundi*, multo ante *Stephani* Regis aetatem, non ab *Hadriano II*, ut scripsit Ichnofer, seu I¹, ut in margine, aequae a vero aberrans, *Stiltingus* ³ notavit, ex-

¹ in Tractatu dell' Opere Pie di Roma cap. iv, et in Tom. II. Emerologii pag. 219.

² V. Galletti del Primicero della Santa Sede Apost. p. 57.

³ T. III. Septembris p. 534.

structum , sed a *Simplicio* Papa , Ethnicorum sordibus purgatis , Sancto Protomartyri dedicatum fuit .

Verum , temporis lapsu , vetustis denominationibus *S. Stephani Minoris* , seu *Cata Barbara Patricia* , una cum *Monasterio* , oblitteratis , sacra haec aedes *S. Stephani Hungarorum* , vulgo nuncupari consuevit . Nam in ipsa Templi fronte prostabat hujusmodi Inscriptio , quae lecta est ad nostram usque aetatem .

ECCA . HOSPITALIS . S. STEPHANI . REGIS . HVNGARO^h ^R

Praeter hanc , altera legebatur inscriptio contiguae domus parieti affixa , quae domus Hospitalis instaurationem indicabat . Eam Theodorus Amydenius ² , Fanucius ³ , Stiltingus ⁴ , et Piazza ⁵ ediderunt . Sed nos iterum ad autographi fidem , accuratius expressam heic exhibemus .

DOMVS . HVNGAROR^h,
 RENOVATA . PER . D. PHI,
 DE . BODROG, DD, SE , D,
 VLADISLAI . REGIS . PROC
 EX , ELEMOSINIS
 ' PEREGRINORVM
 SEDENTE , ALEX. PP. VI

1497.

Dum vero *novi Sacrarum* fundamenta jacerentur , hac Aede *S. Stephani* solo dejecta , nulla emersit Inscriptio . Nam ne illa quidem reperta est , quam aevo suo ibidem existisse testatur *Mazochius* , quaeque ita habebat ⁵ .

1 de Pietate Romana . Romae 1625. 8.
 pag. 33. 2 pag. 85.
 3 loc. cit. p. 535.

4 dell'opere Pie di Roma p 86.
 5 in Templo D. Stephani Hungarorum
 fol. CLXIV.

MEMORIAE AVFIDIAE DAPHNAE TRVDENTINAE
 CONIVGI CARISSIMAE B. M. CN. CALCEIVS PER
 PERNIANVS MARITVS FEC

Neque ibidem amplius exstabat Vrna illa Cineraria , quam in sacrum usum conversam Mazochius ibidem aevo suo fuisse tradidit , et Marangonius ¹ confirmavit . Sed praeter solidas Columnas , quas in ambulacris *novi Sacra-rii* collocatas fuisse vidimus ² , perantiquum *Coemeterium* , ut jam innuimus ³ , repertum est , quod Hungarorum excipiendis exsuviis antiquitus usui fuisse ; conjici facile potest , sacris imaginibus pariete depictis undequaque exornatum , quarum descriptionem , harum rerum amatoribus heic exhibemus .

Figura stans , alba veste induta , diademate redimita , gestans librum manu sinistra , dextraque in altum elevata , admirationis caussa .

Altera plane gemina , sed utraque manu suspensa , actu admirandi .

Figura veste flava circumdata , sine brachiis , et cruribus , cum diademate . Mediam ejus partem foramen intersecabat , latum , longumque palm. un. et semis .

In Tribunae Apside protome exstabat , aeternum Patrem repraesentans , diademate , et chlamyde purpurea , qui laeva clusum volumen gestabat , dextramque pandebat , benedicendi caussa .

Angelus viridi veste praecinctus , diademate , et alis , atque una dumtaxat manu , qua nonnihil innuebat . In media ejus parte foramen , uti supra .

Figurae binae erectae , albis vestibus ornatae , quae

¹ pag. 323.

² p. 1476.

³ p. 143^o.

stabant circa alterum foramen , uti supra , brachiis porrectis , actu substinendi .

Altera stans , violacei coloris amictu vestita , cum diademate , utraque manu gerens librum clausum .

Quod parietis reliquum erat , lineis versicoloribus , nimirum viridibus , flavis , rubeisque , depictum visebatur . Sed omnia sine delectu , rudisque operae .

§. viii.

*Quibus Templi , et Nosocomii Hungarorum
cura tradita fuerit ?*

Huic Templo Presbyterum Rectorem praepositum fuisse docent varia loca , ex libro Benefactorum excerpta , quae ita habent ¹. v. Idus Aprilis . Obiit Presbyter N. Rector condam Ecclesie Sancti Stephani de Vngaris , pro cujus Anniversario Lucia soror ejus dedit Basilice unam mediam domum terrineam , positam in Parrochia S. Salvatoris de Terione . Expendantur pro anniversario suo usualis monete soll. x. Eodem die recepimus a Lucia sorore predicti Presbyteri Nicolai Rectoris Sancti Stephani pro Anniversario Patris , et Matris , et suorum , libr. xii. Pro Anniversario eorum expendantur soll. ii. den. vi. bone monete .

vi. Idus Decembris ² . In isto die Conceptionis B. Virginis pro salute anime Presbyteri Apolenaris Rectoris S. Stephani Minoris , qui dedit nobis terras , quas emit in Casale de silice . Expendantur quadraginta sollidi usualis monete , et residuum pensionis domus de monte Caprino , que fuit ipsius Presbiteri Apolenaris , et fiat officium de Nativ. B. Virginis .

Praeterea hanc ipsam Aedem , unam olim ex Urbis Curiis fuisse constat . Id enim haec ejusdem Necrologii

loca aperte declarant. XI I. Kal. Maii ¹. Obiit Dñus Angelus de Ponte Concanonicus noster, pro cuius Anniversario expendatur pensio domus vulpis, posite in Parrochia S. Stephani de Vngaris.

vI. Kalen. Iun. ² Obiit Presbyter Stephanus Rector Ecclesie Sancti Iacobi de Scossacaball. qui reliquit nobis unam domum positam in Parrochia S. Stephani de Vngaris. Debet solvere Lellus Nepos dicti Presbyteri pro pensione vita sua tantum qualibet annum quadraginta soll. pro Anniversario anime ipsius, et post mortem dicti Lelli remanere debet libere dicte Basilice.

v. Kal. Iun. ³. Obiit condam Presbiter Nicolotia de Aquila, Beneficiatus Basilice, qui reliquit ipsi Basilice duas domos, unam positam in pede platee cum signo et aliam positam in platea Vngarorum, cum signo Cazole. Expendantur pro Anniversario suo floreni auri III.

IV. Id. Augusti ⁴. Obiit Dñus Petrus de Scantrilia Concanonicus noster, qui reliquit Basilicæ nostre centum florenos de quibus florenis fuit empta domus in Parrochia S. Stephani de Vngaris, cum signo graticule. Expendatur pro Anniversario suo pensio domus.

Tert. Kal. Octobr. ⁵ Fiat Anniversarium pro animabus Iohannis Patris, et Matris Dñi Alcherutii Iohannis Bobonis Concanonici nostri, qui donavit nobis unam domum solaratam liberam, positam in parrochia S. Stephani de Vngaris, juxta Ponticellum, etc.

Ibid. Novembr. ⁶. Obiit Dñus Iohannes Provincialis, olim Canonicus hujus Basilice, qui reliquit nobis pro Anniversario suo centum florenos auri, de quibus empta fuit domus cum si-

¹ p. 55.

³ p. 74.

⁵ p. 195.

² p. 74.

⁴ p. 111.

⁶ p. 161.

gno Canonici, posita in parrochia S. Stephani de Vngaris. Expendatur pro Anniversario suo pensio dicte domus.

II. Id. Decembris ¹. Fiat in isto die Anniversarium pro anima olim Dñe Marie Matris Dñi Alcherutii de Bovescis, Concanonici nostri, juxta Altare S. Ieronimi infra dictam Basilicam. Expendatur pro dicto Anniversario tertia pars pensionis domus cum signo bovis, posite in Parochia S. Stephani de Vngaris juxta Ponticellum, quam donavit dicte Basilice dictus Dñus Alcherutius.

Sed priusquam Domus Hospitalis Hungarorum a Philippo de Bodrog, Regis Vladislai Procuratore, peregrinorum largitionibus renovaretur, constat ex Martini V. diplomate ², a Sigismundo Romanorum, et Hungariae Rege, temporis injuriis reparatam fuisse, cura Georgii Henrici, Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, cui regimen, et administrationem ejusdem Hospitalis per suas literas commiserat. Qua de re Floravantes Martinellius ³, hanc Constitutionem a Waddingo relatam expendens, inquit. Templum S. Stephani Hungarorum Regi dicatum, sub cura Collegii Germanici, olim Procuratoris Generalis tertii Ordinis S. Francisci. Verum, ut recte animadvertunt Bullarii Vatic. editores, ex eadem Constitutione, emicat potius peculiaris procuratio a Sigismundo Rege commissa, quam Capitulum Bas. Vat. utens suo jure confirmavit, ac Pontifex Max. ratam habuit; personalis videlicet cura Xenodochii S. Stephani Protomartyris, quae ad successores minime transiit. Verum quis non miretur, haec tantum, ad ista Martinellii verba Bull. Vat. editores adnotasse, quin illum manifesti erroris arguerent, quod Templum S. Stephano Hungarorum Regi dicatum affirmaverit, graviori

¹ p. 175.

² T. II. Bull. Vat. p. 81.

³ p. 309.

certe culpa, quam ceteri, qui ab eo constructum, sed *Stephano Protomartyri* sacrum fuisse, uno ore pronunciarunt? Alii enim Scriptores, velut Laurentius Schraderus¹, qui *S. Stephani in Ægypto in Vaticano, Hungarorum Templum* appellat, hanc Aedem, una cum altera *S. Stephani Majoris*, temere immiscuerunt, nunquam tamen, *Stephano Hungarorum Regi* sacram fuisse arbitrati sunt.

Ibidem pauci, *S. Paulli Eremitarum Principis* disciplinam sectantes Coenobitae, domo Hungari, usque ad *Gregorii XIII.* Pontificatum considerunt, Xenodochi redditus administrantes, et hospitalitatis munia erga suae gentis Advenas exercentes. At raro quum adventarent ex Hungaria peregrini, vixque huic Charitatis officio esset locus, *Gregorius* satius duxit, inde amota Eremitarum familia, quos ex altero Templo *S. Stephani* in Monte Caelio, quod itidem cum proximo Coenobio obtinebant, aliò migrare jusserat, sacram Aedem, eique adjacentem Domum hospitalem cum suo censu in dotem transferre Collegii Hungarici²; cui tamen onus imposuit, ut, quoties adessent Hungari peregrini, iis per triduum necessaria Collegii sumptibus subministrarentur. Qua conditione accepta, Collegii Procuratores, tum Templi, Coenobiique *S. Stephani Protomartyris*, tum Xenodochii, et Templi hujusce *S. Stephani Hungarorum*, omniumque bonorum, ac jurium, quae subjuncta iis erant, possessionem rite adierunt. Huc autem Alumni, *S. Stephani Regis* die festo, quotannis procedebant, ac divinatorum officiorum majestatem Templo solitario, ac squalenti reddebant.

1 in lib. II. Monum. Ital. in Catal. sovarum Aedium Urbis Romae apud Andr. Schottum in Itin. Ital. lib. II. p. 339.

2 V. Hieron. Caranei Panegyricum de Institutione Collegii Germanici, et Hungarici, anno Seculari ejusdem Collegii. Romae 1652. 8.

Haec autem iisdem fere verbis exscripsi ex elegantissima *Collegii Germanici Hungarici historia* ¹, a Julio Caesare Cordara lucubrata, cujus editioni ornandae, meam, qualis ea cunque fuit, operam, dum admodum juvenculus essem, libentissime contuli. Virum enim ingenio, ac doctrina praestantissimum, ab ineunte aetate magni feci; multis vero, magnisque beneficiis ab eo acceptis, velut Patrem Filius, semper amavi. Itaque optimi Senis desiderio, quoad mihi vita, ac spiritus suppeditabunt, commovebor, ejusque memoriam animo colam; vehementerque mihi nunc gratulor, quod haec sese mihi occasio objecerit, perennis meae erga illum pietatis testificandae ².

¹ Romae 1770. 4.

² Nemo certe mirabitur, me Viri omnibus nominibus laudatissimi, meique amantissimi, abhinc biennium extincti, tamquam recenti adhuc vulnere, cum luctu, ac lacrymis prosequi recordationem; quin imo nemo erit, qui mei doloris, tam pie, justeque suscepti, rationem,

causamque vehementer non probet. Itaque dabitur mihi, opinor, haec venia, ut huc afferam Epitaphium, quod Amico optimo, ac suavissimo, post disertissimum Epicedion, item ab se elaboratum, atque in frequentissima Immobilium Academia Alexandriae recitatum, spectatissimus March.Kar. Guasco ponendum curavit.

IVLIO . CAESARI . ANT. F. CORDARAE
 EX . COMIT. CALAMANDRANAE
 ORTV . DOMICILIO . COOPTATIONE . ALEXANDRINO
 QVI . IN . SOCIETATEM . IESV . ADSCRIPTVS
 POTENTIORVM . AMICITIIS . ET . FAMA . DOCTRINAE
 ROMAE . DIV . CLARVIT
 OB . EDITA . PLVRIMA . INGENII . MONVMENTA
 SCRIPTOR . HABITVS . SVI . AEVI . NVLLI . SECVNDVS
 AEROGATA . INDE . SOCIETATE
 ALEXANDRIAE . SEDEM . FIXIT
 IBIQVE . SENECTAM . DEGENS . MINIME . OTIOSAM
 IMMOBILIVM . ACADEMIAM
 SVA . FECIT . PRAEFECTVRA . CELEBRIOREM
 OPTIMATES
 CIVI . EGREGIO . PP.
 VIXIT . ANN. LXXX . M. II. D. XIX.
 OBIIT . PRID. NON. MARTII . A. R. S. MDCCCLXXXV.

CAPVT VI.

*De Monasterio S. Theclae, sive in Hierusalem,
ac S. Vincentii nuncupato.*

Nunc; age, quoniam Ciampinius praeter ea, quae hactenus illustravimus, non modo alterum cum Alpharano, et Vghellio, sed alia duo *Monasteria*, circa Basil. Vat. exstitisse tradidit, S. *Theclae*, et in *Hierusalem* nuncupata, de his etiam pauca delibemus. Ac prioris quidem mentio, tantum occurrit, in diplomate *Benedicti IX.* in nova Bullarii Rom. editione, et apud Vghellium ¹. Nam apud Bull. Vat. editores ², qui idem iterum evulgarunt, post alia *1v. Monasteria*, loco hujus S. *Theclae*, alterum enunciatur, sub titulo *Hierusalem*.

Sed quum nulla usquam alibi, quantum quidem ego legere, aut observare memini, ejusdem mentio fiat apud Scriptores, ejusque situs a nemine indicetur, facile adducor, ut credam, librariorum vitio, *Theclae* nomen, pro *Hierusalem*, apud Vghellium, et in Bull. Rom. irrepsisse; nisi potius, quod probabilius videtur, Monasterium *Hierusalem*, aliquando etiam nomine venisse putes *Theclae* Protomartyris, et Apostolae, ut illustri elogio, quo alias etiam sanctas Mulieres decoratas deinde fuisse notant Fronto Ducaeus ³, et Petr. Lazerus ⁴, nuncupatur apud Ioh. Ernestum Grabium ⁵. Pro certo enim

¹ T. I. p. 108.

² T. I. p. 20.

³ in notis ad Chrysostomum T. I. p. 90.

⁴ in dissertatione de persecutionibus in Ecclesiam excitatis aeo Apostolico. V. Basilii Seleuc. Episcop. de vita, et miraculis S. Theclae Virg. Iconiensis,

et Protomart. int. Basilii Opp. pag. 221. edit. Paris. 1622. fol., et apud Surium die 23. Sept. p. 239. Vitam S. Theclae ex Sim. Metaphraste, ex Adonis Martyrologio, et S. Ambrosio in lib. II. de Virginibus. apud Surium loc. cit. p. 263.
⁵ in T. I. Spicilegii p. 331.

habeo, quod et editores Bullarii Vatic. ¹ sentiunt, hoc S. *Theclae* Monasterium ab altero *Hierusalem* separatam nunquam fuisse. Reliquum est igitur, ut de hoc *Hierusalem* Monasterio disseramus, quod haud ita post alia iv. superius descripta conditum fuisse, putandum est, quum in antiquiorum Pontificum vita memoretur.

Hoc Monasterium Janningus ², dum, *quidquid aedificiorum fuit, ante, et circum veterem Basilicam*, late persequitur, ne nominat quidem. Ex quo licet arguere, ei tantum alia quattuor, quae supra descripsimus, innuisse. Verum hoc etiam antiquitus exstitisse, atque ad *Monasteriorum* coronam, quae Bas. Vatic. circumdabant, spectasse, extra omnem dubitationis aleam est.

Siquidem memoratur ab Anastasio in vita *Leonis* III. ³, ubi post Titulos, et Diaconias, dum Monasteria quoque recenset, quae juxta sacras Aedes fuerant aedificata, ut Monachi in iisdem divina officia quotidie persolverent, *fecit autem*, inquit, *in Monasterio Hierusalem, quod ponitur ad B. Petrum Apostolum, canistrum ex argento pensantem libras v.* Item in vita *Leonis* IV. haec habet ⁴. *In venerabili Monasterio Hierusalem, quod juxta Ecclesiam B. Petri Apostoli ponitur, fecit vestem de fundato cum orbiculis in circuitu ornatam cum lista de chrysoclavo, cum velis ex imirino duobus, et fundato tribus.* Praeterea aliis quattuor supra descriptis adjunctum vidimus ⁵, in diplomate *Ioh. XIX.* apud Mabillonium ⁶, et Bull. Vat. editores ⁷, ubi eodem titulo *in Hierusalem* appellatur, et *constitutum* dicitur *juxta magnam Ecclesiam S. Petri*, ut erudite Lubinus ⁸ etiam adnotavit.

¹ T. I. p. 20.

² T. vi. Junii p. 57.

³ T. II. §. LXXX. p. 294.

⁴ T. II. §. cix. p. 140.

⁵ p. 1484. ⁶ T. II. Mus. It. p. 154.

⁷ T. I. p. 17.

⁸ p. 335.

Ejusmodi vero denominationem *Monasterio* inditam fuisse recte opinatur Steph. Borgia ¹, quod illuc nonnulla terrae portio ex sanctis Hierosolymorum locis fuerit adsportata; quemadmodum praeter Panvinium, et Severanum, Besozzius ², Ciampinius ³, Nerinius ⁴, et Aegidius Regatius ⁵, de Basilica Sessoriana in *Hierusalem* appellata, atque idem Borgia ⁶ de Aedibus S. M. in *Hierusalem* vulgo nuncupatis, Beneventi, Capuae, ac Teate conjectarunt.

Hoc Monasterium Martinellius ⁷, teste Grimaldo, D. Vincentio sacrum olim fuisse asserit, et sub *Alexandro* III. Ecclesiam S. *Vincentii* absolute nuncupatum, quod eo loco exstitisse conjicit, ubi antiquitus *Oratorium* S. *Crucis*, in vita *Symmachi* ⁸ nominatum, fuisse constat, nempe *ad fontem*, in Basilica S. Petri Apostoli. Et sane ceteri quoque ichnographi, Canonicus Rom. ⁹, Alphanus ¹⁰, Severanus ¹¹, Bonannius ¹², eodem situ hanc S. *Vincentii* Aedem collocarunt, quam deinde in molitione novi Templi Vaticani, dejectam affirmant, ad borealem veteris Bas. partem, sive ad dextrum latus,

Multa de eadem in medium protulit Ciampinius ¹³ a Grimaldo desumpta. Sed quum omnia mira perturbatione miscuerit, nec intelligi satis possit, quae primis, quae posterioribus temporibus sunt tribuenda, praestat ejusdem Grimaldi verba afferre, ubi multa scitu non in-

¹ T. III. Mem. di Benevento p. 133.

² Storia della Basilica di S. Croce in Gerusalemme.

³ de Sacr. Aed. c. VI.

⁴ de Templo, et Coenobio SS. Bonifacii, et Alexii p. 407.

⁵ de Sacros. et vivifica I. C. I. N. Cruce aliisque ejusdem cruciatuum, et necis

instrumentis, iis praesertim, quae in Basilic. S. Crucis in Hierusalem Romae religiose adservantur. Romae 1777.

⁶ loc. cit. p. 135. ⁷ p. 353.

⁸ T. I. §. VI. p. 176. ⁹ num. 28.

¹⁰ Tab. Ichn. litt. aa.

¹¹ p. 67. ¹² p. 32.

¹³ pag. 96.

digna habentur . Ait itaque ¹ . Anno MDCXI. (perperam Ciampinius ² scripsit anno MDLXI.) *Ecclesia S. Vincentii* , quae erat inter *Palatium Apostolicum* , et *Navem SS. Sudarii* , solo aequata fuit . Habebat ingressum ad Orientem , tres naves fornicatas cum apsida , in quibus erant picturae antiquissimae in humiditate oblitteratae , ut eas penitus excipere non valuerim . Videbantur esse gesta Sanctorum , et fortasse S. Vincentii . Haec Ecclesia in exordio fuit quinta habitatio Canonorum , nominata Hierusalem , in Bulla Iohannis XIX. in *Bibl. Vat. Bas.* Postea fuit ibi Archipresbyter , non tamen Cardinalis , cum Canonicis . Huic Archipresbytero , et Abbati S. Blasii in cantu secuto committebantur *Conservatoriae dictae Basilicae* , ut in litteris Iohannis XXII , et aliis *Instrumentis Officii Exceptorum* . Nicolaus V. illam extinxit , et redditus eidem Basilicae uniuit , ut in Bulla ejusdem ³ , ex qua *Capitulum* hactenus possidet *pedicam S. Vincentii* . Redacta ad usus profanos (ad usum scilicet *Cellae vinariae* , ut narrat *Severanus* ⁴ , qui plura de hac Aede memoravit) *Columnae navium parastatis lateritiis cinctae fuerunt sub Paulo III.* pro majori fulcimento aedificandi supra dictam *Ecclesiam* , ubi erant multa *Cubicula* , et *Aulam unam magnam* habebat a dicto *Summo Pontifice Paulo* factam , ad recipiendos *Census Camerae Apostolicae debitos in Festo Apostolorum Petri , et Paulli* , ut notabat *inscriptio marmore insculpta* . Sub *lacunari ipsius Aulae in gyrum cernebantur diversae historiae Principum Tributariorum Ecclesiae Romanae* . Dum igitur *parastatae dissoluerentur* , ecce apparuerunt *decem octo integrae Columnae* , *altitudinis palmorum fere xx.* ex pretioso *marmore maculato glareato* . Hactenus *Grimaldus* .

¹ in lib. *Instrum. ms.* p. 170.

² p. 96.

³ T. II. *Bull. Vat.* p. 130.

⁴ de *viI. Eccl.* p. 67.

Ex his igitur apparet, sacram hanc Aedem, quam Gregorii IX. literae, *Capellam* nominant, uti usque a *Benedicti IX.* aevo fuerat, qui ¹ ejus regimen Card. Matthaeo Vrsino Vat. Bas. Archipresbytero anno MCDIV. attribuerat, sensim eò usque devenisse, ut *Nicolai V.* tempestate, non jam amplius *Capellae*, sed *Collegiatae*, uti vocant, quae Archipresbytero, et Canonicis instructa erat, nomine decoraretur.

Verum, quum ecclesiasticae disciplinae vix ullum in ea vestigium superesset, provido sane consilio *Nicolaus V.* Collegio Canoniorum, e medio sublato, ejus onera, ac redditus in Basilicam Vaticanam transtulit. Tandem Aedes an. MDCXI. profanata, atque in alios usus conversa.

Cur autem ibidem *quintam* fuisse scripserit Grimaldus Canoniorum habitationem, si quis ex me quaerat, repenam, hoc nihil aliud significare, nisi quod aliud ibidem exstructum fuerat *Monasterium*, ubi antiquitus; ut in aliis *quattuor*, Canonici Bas. Vat. Ministerio addicti inhabitaverunt, qui postea, magnam partem, in propria Aede *Canonica* coaluerunt, et nonnulla ex iisdem *Monasteriis*, Monachis, aliunde invectis, libere incolenda reliquerunt.

Ad haec Monasteria, tamquam ad munitissimam Religionis arcem, nonnulli insignes Viri Romam peregre proficiscentes, identidem confugerunt; quos inter praecipue numerandus est Conredus Merciorum Rex, qui a Constantino Pont. humanissime exceptus, Regno abdicato, intra Monasterii Claustrum, juxta Bas. Vat. se recepit. Qualenam vero fuerit Monasterium ex iis hactenus descriptis, quò sese addidit Rex pientissimus, incompertum omnino est.

¹ T. III. Bull. Vat. in Appendice.

CAPVT VII.

De veteri Aede Canonica Bas. Vat.

Vaticanae Basilicae Ministris *quinque Monasteria*, quae circa eandem exstiterunt, remotiori aetate domicilium praebuerunt. Sed quum *Monasterium B. Martini*, usque a Sec. x. initio, ut ex charta superius ¹ allata argumentari licet, traditum fuisset Monachis Benedictinis, ac forte alterum etiam iis deinde concessum fuisset, eorum vice, altera Aedes Canonice ejusdem Templi destinata fuit, quae *Canonica* vocabatur, ac prope Templum *S. Stephani Minoris*, seu *Hungarorum* sita erat, occurritque apud nos in tab. ichnographica litt. g. Primam vero novae hujusce *Canonicae* mentionem factam fuisse comperi ab Adriano IV, qui anno MCLVII. Diploma inscripsit ² *Dilectis Filiis Bernardo Tit. S. Clementis Presb. Cardinali, et Archipresbytero Canonicae Bas. Principis Apostolorum, et ejusdem Canonice, et Rectoribus IV. Monasteriorum S. Ioh. et Paulli, S. Martini, S. Stephani Maj. et S. Stephani Min.* Ex hisce igitur Pontificis *Adriani* verbis, cui non manifestum erit, jam inde ab ejus aeo Diaetam Canonicam fuisse institutam, ibique jam plures Canonicos inhabitasse? Et sane eosdem ibidem, una cum Beneficiariis, et Clericis degisse tradidit Alpharanus, qui ita scriptum reliquit ³. *Post dictas Sanctimonialium (le Murate di S. Pietro) Aulas, exstrinsecus ad meridiem adhuc superest Ecclesia Monasterii S. Stephani Majoris, (lege Minoris), vulgari- ter dicta delli Vngari, quam Stephanus Pannoniorum Rex magnifice restituerat, atque dotaverat, in qua habitabat ter-*

¹ p. 1493.² in T. I. Bull. Vat. p. 57.³ ms. p. 62. litt. f.

tia pars *Canonicorum Basilicae deservientium*, juxta quam adhuc aliqua *Canonicae*, sive *Monasterii vestigia* visuntur, a *Nicolao III.* restaurata, in qua *Canonici*, *Beneficiati*, et *Clerici Basilicae* commode habitabant, antequam ob *novae Basilicae constructionem* demoliretur. Sed in aliquibus *Cubiculis Paullus Pallellus Canonicus*, et *Bertinorus Vraphighetus Beneficiatus*, et nonnulli alii *Clerici* habitant. Reliquam vero *Canonicae partem* in *novae Basilicae constructione* fuisse disjectam senior *Herus meus Iacobus Herculanus Altararius* referebat, quam integram propriis oculis vidisse affirmabat, et in *Aula Patru sui habitasse*, aliquando recensebat.

Itaque si istiusmodi *Diaeta Canonica Clero Vat.* domicilium praebat, primum est, argumentari, non unum *S. Martini Monasterium* aliorum commodo, atque habitationi cecidisse. Quid? Nonne dices, ejusdem Cleri numerum adeo excrevisse, ut alia quinque *Monasteria* haud satis ampla essent ad eum excipiendum?

Porro jam demonstravimus, *Bonifacium VIII*, quod *Nic. III.* morte interceptus¹ praestare non potuit, duo, et viginti *Canonicis*, octonos addidisse, eorumque numerum ad tricenarium, qui nunquam adauctus fuit, primo perduxisse, tresque tantum *Beneficiarios*, aliis triginta a *Nicolao III.* institutis adjunxisse, ac demum vicenos *Clericos* addidisse, quibus senos alios adjectos deinde fuisse vidimus². Itaque si demus, *Canonicos Seculares*, vel post *Nicolaum III.* in iis *Monasteriis* inhabitasse, id profecto, de uno, aut altero ex iis censendum erit, nimirum de *Monasterio S. Stephani Maj.* ac de eodem *S. Stephani Minoris*, quod *tertiam Canonicorum partem* incoluisse diximus, minime vero de tribus aliis *SS. Ioh. et*

1 T. I. Bull. Vat., p. 160.

2 p. 1408.

Paulli, S. Martini, et in Hierusalem. Nam docet Alpharanus, in Aede, *Canonica* nuncupata, Canonicos, Beneficiarios, et Clericos Beneficiarios sedem habuisse, ut etiam confirmat in MS. Albano ¹ hujusmodi verbis. *Canonica Basilicae a Nicolao III. restituta, ubi olim Canonici, Beneficiati, ac Clerici Beneficati Basilicae Vat. habitabant.*

Quod quidem, optimo sane consilio, praestitum fuisse, nemo inficiabitur, ut singuli Basilicae Ordines una simul domo aggregati, communi vitae nexu, magis magisque inter se coalescerent. Nam id ipsum enixe commendarunt Concilium Toletanum, Turonense, Moguntinum, Capitularia Karoli M. et Pipini, et Concilium Pontigonense, quod indixit, ut, qui praesunt ², *proximum Ecclesiae suae Claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero, secundum Canoniam regulam Deo militent.* Itaque si Paullus Diaconus Metensem Antistitem Crodogangum celebravit, qui ³ *Clerum adunavit, et ad instar Coenobii, intra Claustrorum septa conservari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent,* id ipsum Adrianum, aut Nicolaum III, seu quicumque fuit Diaetae Canonicae institutor, egregie praestitisse, fatendum est.

Idem *Nicolaus*, quum a navo, et sollerti Agricola, nulla sit tam apte ad muniendam vineam contexta sepes, quae temporum injuria, aliqua saltem ex parte, vitium non faciat, ac proinde manum identidem poscat, quae fatiscentem, et male cohaerentem instauret, iccirco dum esset Bas. Archipresbyter, anno mclxxvii. Cleri Vaticani disciplinam instaurandam curavit, plurimis sanctionibus a Iohan. xxi. confirmatis. Inter cetera ibidem

¹ litt. g.

² an. 876. sub Karolo Calvo.

³ V. Duchesium Hist. Francor. T. II.

p. 204. Parisiis. 1631.

praescripsit , ut ¹ ad Matutinas sic tempestive pulsetur , quod destinate ad intelligentiam , quae legenda fuerint , legi possint , et quae cantanda cantari ² Omnes Canonici in eadem Ecclesia residentes in communi Dormitorio dormiant , et Refectorio prandeant , et in diebus jejuniorum coeuent , dum in mensa fuerint , lectionem habentes ; Lectore in loco lectionis continue residente , et introeunte refectorium cum Edomedario , et cum ipso etiam exeunte Hoc autem in eadem Ecclesia hactenus statutum exstitit , et servatum . De refectorio quoque , processu temporis superexscrenentibus facultatibus , dante Domino , utilius poterit ordinari , quid in ipso Canonici recipere debeant de communi . Singuli enim Canonici , Camera Capitulari haud amplius victum subministrante , suoapte arbitrio obsonia sibi comparabant . Ac propterea statis anni diebus , praeter consuetam pecuniae distributionem , alteram etiam obtinebant frumenti , vini , olei , aliorumque id genus .

Sed istiusmodi Constitutiones , Canonicis jam quasi in antiquatae deformitatis impressione assuetis , parum , aut nihil prolapsae disciplinae rectius instaurandae prodesse potuerunt . Quocirca , quum idem Card. Vrsinus supremis Ecclesiae gubernaculis fuit admotus , assumpto nomine Nicolai III , easdem Constitutiones anno mclxxiv . instauravit , ac rursus protulit , ut prior veteris disciplinae ardor , qui jamdiu deferbuerat , iterum , velut novo subiecto igne , incalesceret . Sed quamvis de communi refectorio ibidem haud amplius loquatur , tamen illos dumtaxat Canonicos haberi pro residentibus , et residentes esse in Ecclesia statuit , qui in Canonica , sive intra Claustrum , ipsius Canonicae commorantur .

1 T. I. Bull. Vat. p. 87. 88.

2 ibid. p. 172.

Heic autem , ut doctissimus Jos. Garampius , olim multo clarissimum Bas. Vat. lumen , nunc singulare S. Collegii decus , atque ornamentum , animadvertit ¹, etsi integra annualis *portio* , aut praebenda cujuslibet Canonici esset lx. librarum , atque xxx. pro singulis Beneficiariis , tamen diversa erat illa pars , quae pro residentia assignabatur , ab altera pro assensione celebrationi divinatorum officiorum . Haec scilicet pro Canonicis constabat libris xxiv. pro Beneficiariis xx. Quoties vero quisquam eidem servitio deesset , mulctabatur ² subtractione proventuum , vel in toto , vel in parte , exceptis tamen casibus infirmitatis , aut absentiae , Capituli venia , ac xvi. aliis diebus ad corpus curandum , ac sanguinem venis emittendum . Ceterum Bas. servitium quotidianum erat , atque continuum . Praeterea cuilibet Canonico aliae xxxvi. librae supererant , quarum sex quolibet bimensi , singulis persolvebantur pro residentia , ratione duorum solidorum , qualibet die . Nam *residens* habebatur ³ *Canonicus illa die* , qua , infra *Clastrum Canonicae pernoctabat* . Neque ulla unquam dispensatio annuebatur , praeterquamquod ⁴ *si per totum anni circulum pro suis , vel amicorum suorum expediendis negotiis , seu ex quacumque alia honesta causa , xx. diebus interpolatis , seu continuis extra Canonicam , seu Clastrum ipsius voluerit pernoctare* . Quae quidem tolerantia a Clemente V. ⁵ anno mcccv. extensa fuit usque ad bimense , singulis annis . Nihilominus Bonifacius VIII , ⁶ quum instituit novos alios octo Canonicos , ad nullam aliam residentiam eos adstrinxit , quam octo mensium . Ita sen-

1 V. eruditissimam dissert. sopra la vita Canonica Card. Garampi pag. 297. nelle Memorie della B. Chiara .

2 T. I. p. 166. p. 187.

3 ibid. p. 170. 187.

4 ibid. p. 187.

5 ibid. p. 240. 329.

6 ibid. p. 230.

sim ventum est ad *hebdomadatum* introductionem, quarum primo fit mentio in Constitutionibus ann. MCDLXI. a Card. Petro Barbo Archipresbytero, qui postmodum fuit Paulus II, exaratis, ubi *ex speciali mandato Pii II.* praescribitur, *quod omnes Canonici pro medietate in Officio nocturno, et diurno totius anni deserviant, et mutentur de 15. diebus in 15. dies Quod Beneficiati, et Clerici in Officio nocturno pro medietate serviant, de die vero, continue habeant residentiam, et appunctentur omnibus horis, quibus non interfuerint, habeantque dies XL. totius anni de assentia pro dictis horis diurnis.* Atque haec prima quidem est tolerantia, ut adnotat Card. Garampius¹, concessa Beneficiariis, et Clericis, quoad servitii quotidiani diminutionem, cui primitus devoti erant. Deinde vero de eodem *hebdomadatum* usu loqui videtur Xystus IV, ubi statuit, distributiones massae communis impertiendas esse², quolibet mense exeunte, *illis, qui usque tunc residentiam fecerint in Vrbe, et deservierint in divinis temporibus consuetis, nimirum suis hebdomatis.* Atque hinc usque ab aevo Paulli IV. mos per classes serviendi, *inveteratus* dicebatur, qui deinde ad praesentem *Mediariae*, ac *Quartariae* formam a S. Pio V.³ redactus fuit.

Ipsi quoque Beneficarii a Constitutionibus ad continuam residentiam, et pernoctationem fuerant adstricti⁴ *infra Claustum Canonicae; infra quod Claustum cuncti Beneficiati morentur in Domibus pro ipsorum habitatione assignandis.* Neque vero ulla iisdem, aequae ac Canonicis tolerantia annuebatur; quod iisdem *non solum principaliter, sed quasi penitus ad hoc tantum assumuntur, ut in divinis*

¹ Memorie della B. Chiara p. 558.

² T. II. p. 217.

³ T. III. p. 185. 353.

⁴ *ibid.* p. 171. 192

Officiis tam diurnis, quam nocturnis, pro vivis, et mortuis in eadem Ecclesia decantandis, ipsi Basilicae, et Choro eidem studeant jugiter, et continue deservire. Quapropter x. librae, quae praeter quotidianam distributionem, in portionis cumulum, iisdem debebantur, semel quotannis persolvebantur, die festa SS. Apostolorum Petri, et Paulli¹, illis solis, qui per totum annum praecedentem fuerint residentes, et deservientes in ipsa Basilica reputandi: non etiam si forsan interdum a Choro abessent, quum tunc Chori distributione priventur, istis decem libris privari deberent. Quae quidem tolerantia a Bonifatio VIII. item ad Clericatus ab se institutos extensa fuit².

Verum Canonicae vitae disciplinam ibidem sancte institutam, usque ad Innocentium VII. dumtaxat obtinuisse, tradit Grimaldus apud Turrigium³. Tunc enim, propter Ladislai Regis adventum, adeo bellorum flammae exarserunt, ut *simul cum disciplina, etiam Domus Canonica situ, et squalore corruerit*.

Ceterum Pii II. aevo adhuc in more positum erat, ut cuilibet Canonico, aut Beneficiario, *intra Claustrum ipsius Canonicae*⁴ domus assignaretur. Id enim constat ex ejus diplomate, quo⁵ *Falconi de Sinibaldis Canonico S. Petri concessit Cameram ejus Canonicatui adnexam, cum officinis ad eam spectantibus*. Verum ex diplomatis Xysti IV. verbis superius allatis, jam tum Canonicos ab omni residentiae onere solutos fuisse constat, ac Canonicales domus aliis etiam ad inhabirandum fuisse concessas. Et sane jam tum *Canonicam* magna ex parte dilapsam fuisse, censendum est. Eam enim reparare studuit Paullus II, qui, te-

¹ ib. p. 164. 184. ² ib. p. 231.

³ Grotte Vat. p. 308.

⁴ T. I. Bull. Vat. p. 186.

⁵ T. II. Bull. Vat. p. 164.

ste Grimaldo ¹, *Ecclesiam, et Monasterium Monialium de Cavallerottis, S. Catharinae Ord. S. Benedicti, prope Forum Vaticanum, cum domibus contiguis, aliisque redditibus mensae Capitulari Basilicae perpetuo univit, ad effectum construendi Canoniam, ut in ejus Bulla data 1469. in Archivo, quam in lucem prodiderunt Bull. Vat. editores. Quod effectum suo non caruisse putandum est. Nam, ut cetera praeteream documenta, Alexander VI. anno MCDXCVIII. Marcello de Cancellariis contulit ² *Canonicatum, et Praebendam Bas. Vat. vacantem per obitum Ioh. Bapt. de Vrsinis, domumque Canonicaem, qua Praedecessor Canonicus usus fuerat, inhabitandam concessit. Sed Pauli III. aevo Canonici propriam domum aliis locabant* ³. Profecto jam tum plures in Vrbe moratos fuisse probant memoratae Constitutiones Card. Petri Barbi ⁴, ubi praescribitur, *quod Grossum lucrentur solum residentes in Ecclesia, vel deservientes, et ab Vrbe venientes ad matutinum; et hoc pro rata temporis totius anni dictae residentiae, vel servitii. Tandem ob novi Templi Vaticani aedificium, superstitem Canonicae partem solo dejectam fuisse, jam supra ab Alpharano audivimus* ⁵.*

¹ Torrigio Grotte Vat. p. 387.

² T. II. Bull. Vat. p. 285.

³ T. II. Bull. Vat. p. 449.

⁴ T. I. Bull. Vat. pag. 187. Tom. II.

p. 164. 192. 286.

⁵ pag. 1570.



CAPUT VIII.

De Incolis Monasteriorum circa Bas. Vat.

Superest nunc, antequam vela Orationis contrahamus, expedienda alterius nodi solutio, nimirum, utrum *Monachi*, quibus tradita fuit quinque *Monasteriorum* cura, fuerint *Seculares*, et *Canonici Bas. Vat.*, an potius *Monachi*, Anastasii Alexandrini, sive alterius Sancti Conditoris regulae sectatores. Sed, ut res apertior fiat, praestat Bullarium Vaticanum, totum quantum est, diligenter evolvere.

Etsi origines trium *Monasteriorum SS. Ioh. et Paulli, S. Stephani Maj. et S. Martini Leoni M.* assignandae videantur, tamen prima in Bull. Vat. collectione postremi hujusce mentio fit a Stephano II¹, ac deinde a Leone IV, qui ejusdem bona enumerans, pluribus quoque privilegiis ditavit, anno DCCCLIV², itemque a Leone IX. qui Ecclesias eidem Monasterio obnoxias, una cum praediis, ac juribus recenset, et S. Petri Canonicis confirmat³.

Haec, quoad *Monasterium S. Martini*, separatim ab aliis nominatum, in Bull. Vat. occurrunt. Quod vero spectat ad alterum *S. Stephani Maj. Cata Galla Patricia*, hoc item primo indicatur a Stephano II⁴, ac dehinc a Leone IX, qui anno MLIII. diploma inscripsit *Iohanni Archipresbytero Eccl. B. Petri Apost. et ipsius Ecclesiae Canonicis, in Monasterio S. Stephani Maj. nunc ordinatis, et ordinandis*⁵.

Verum non modo haec, sed etiam alia duo *SS. Ioh. et Paulli*, et *S. Stephani Minoris* commemorantur a Leone IX.

1 T. I. p. 12. 2 ibid. p. 15. 3 ibid. p. 22. 4 ibid. p. 12. 5 ibid. p. 29.

in diplomate inscripto , eodem anno MLI II. ¹ *Ioh. Archiepresbytero Eccl. B. Petri , et ejusdem Ecclesiae Seruitoribus .* Singulorum etiam nomina conjunctim exhibet alterum diploma Innocentii II. anno MCXXXIII. ² *dilectis Filiis Canonicis SS. Iohannis , et Paulli , S. Martini , S. Stephani Majoris , et S. Stephani Minoris , ad seruitium Ecclesiae B. Petri Apostolo Principis deputatis .* Ex quibus aperte liquet , Canonicos Bas. Vatic. inseruientes , Innocentii II. aeuo , in descriptis *Monasteriis* adhuc inhabitasse .

Quid tu igitur , dicet heic aliquis , etiamne putas , Canonicos fuisse Monachos , in *Monasteriis Vaticanis* vitam degentes ? Ego vero maxime ; ac quod dubitandum sibi de hac re putarunt Viri eruditissimi , nollem , fecissent . Nam etsi Canonici *Seculares* essent , *Monachi* tamen passim cognominabantur , eo quod extra Urbem , Caenobitarum more , in communi vivebant . Praeterea *Clerici olim simpliciter* , ut recte notat Ludovicus de la Cerda ³ , *appellati sunt Canonici* . Quum enim illa annonae mensura , quae ad singulorum victum spectabat , *canonis* verbo in Occidentis Imperio indicaretur , hinc etiam Clerici , qui ex Fidelium oblationibus pro sua sustentatione partem recipiebant ab Ecclesia , in cuius album , a S. Augustino *tabulam* , et a Concilio Agathensi ⁴ *matriculam* nuncupatum , relati erant , *Canonici* hac de caussa vulgo dicebantur . Quocirca Concilium III. Aurelianense ⁵ Episcopo indicit , ne Clericus contumax recenseatur *inter Canonicos , neque in rebus ecclesiasticis cum Canonicis sti-*

¹ ibid. p. 33.

² T. I. Bull. Vat. p. 47.

³ Adversaria cap. xcviII. num. I.

V. Agnello Onorato del numero de'

Clerici , secondo l'antica , e moderna disciplina della Chiesa . Venezia 1768. 8.

⁴ Can. II.

⁵ Can. XI.

pendia ulla percipiat . Quod ex Grimaldo ¹, qui rem pluribus validissime confirmavit, Vignolius in vita Leonis I ², Gregorii II ³, et Gregorii III. ⁴ adnotavit . Id etiam diserte declaravit Iacobus Gretserus apud Turrigium ⁵, ubi ait . *Olim etiam Sacerdotes hujus domi Templis deservientes, et Canonici, more Monachorum, in communi vivebant .* Quam quidem consuetudinem vel iis, qui Ecclesiasticam historiam primoribus, ut ajunt, labiis degustarunt, probe notum est, apud alios etiam Catholici Orbis Ecclesiarum Cathedralium Canonicos diu viguisse, ut multis exemplis demonstrare possem ⁶.

Nam, ut praeteream beata Reip. Christianae primordia, Eusebii Vercellensis Episcopi ⁷, qui una cum Sancto Martino, post Athanasium, et Petrum Episcopos Alexandrinos, Monachorum usum ex Aegypto, ac Syria in omnem Italiam invexit, verba recitari possent; quibus illa consonant D. Augustini, quo suadente, quemadmodum in ejus vita scribit Possidius, *semper Cleri-*

1 ms. de Can. Bas. Vat. c. III, et IV.

2 T. I. p. 152.

3 T. II. p. 16.

4 ibid. p. 50. 5 p. 176.

6 Ioh. Molanus . de Canonicis . Colon. per Mylium 1587. 8. Raymund Chaponnel. Histoire des Chanoines, ou recherches Historiques-Critiques sur l' Ordre Canonique . Paris 1699. 8. Bibliotheca Canonorum Gasparis Thurmanni, in qua de Canonicis, et Canonicatibus, eorumque Collegiis, seu Capitulis, statu, et officiis, residentiis, statutis, privilegiis, praebendis, Vicariis, et quae eò pertinent, remissive ad novissimos, et selectissimos auctores agitur . Halae Magdeburg. 1700. 4. Thomasinius . in veter.

disciplina . Muratorius in dissert. LXII. Diss. Caes. Benvenuti Crema, de vita, et Communitate Clericorum primitivae Ecclesiae . Romae 1728. fol., et Constantiae 1736. Sarnelli dell'origine della voce Canonico. letter. IV. Tom. I. pag. 12. Card. Garampius in dissertat. IX, et X. sopra i progressi, e decadenze della vita Claustrale de' Chierici, e Canonici, specialmente in Italia. Memorie della beata Chiara di Rimini, et Borgia de Cruce Veliterna pag. 5.

7 V. Ioh. Andr. Iricum de Eusebio Vercellarum Episc. in Sacrosancto Evangeliorum Codice S. Eusebii Magni Episc., et Mart. manu exarato . Mediol. 1748.

8 c. XXV. p. 86.

ci, una etiam domo, ac mensa, sumptibusque communibus alebantur, ac visebantur. Hujus disciplinae sanctimoniam instaurarunt Romanae Synodi, anno MLIX. sub Nicolao II, et anno MLXII. sub Alexandro II. celebratae, dum ita sanciantur¹. *Praecipientes statuimus, ut ii praedictorum Ordinum, (Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi), qui eidem praedecessori nostro (Leoni IX.) obedientes, castitatem servaverunt, juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos Clericos, simul manducant, et dormiant, et quidquid eis ab Ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam, communem scilicet vitam, summopere pervenire studeant.*

Porro Cellae, Tempa, ac praesertim Ecclesiae Cathedralae, Aedes Episcoporum, Canonicorum Domus, *Monasteria* passim appellabantur². Atque ut uno, aut altero saltem exemplo rem tibi comprobem, in Canone XXI. Concilii Moguntini Collegium Canonicorum *Monasterium*, eorumque Prior *Abbas* vocatur, atque ita ibidem praecipitur. *Episcopus sciat per singula Monasteria, quantos quisque Abbas Canonicos habeat in Monasterio suo, et hoc omnino ambo pariter provideant, ut si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant, sin autem, Canonice omnino.* Item in historia miraculorum S. Bertini Abbatis Sithivensis, *Monastici Monasterii* fit mentio³; ac paullo infra, *Fratri*

¹ Conc. Rom. an. 1063. apud Labbè Conc. T. XI. p. 138. Vid. Not. Binii, et Chron. Sigeberti ad an. 1078. apud Pistor. T. I. p. 843. Cennium in not. ad diss. LXV. Muratorii p. 99.

² Maurini. in Act. SS. Sec. VI. Par. I. p. 199. 201. 335, et Part. II. p. 113. 118. Spelmannus. in Glossario p. 421. Ducangius. sub Monast. Molanus. de Canon.

lib. I. cap. 12. Joh. Iac. Chiffletius. in Hist. Eccl. Vesontion. Georgius Colvenerius in S. Vindiciani epist. expositione. Mabillonius. T. II. Mus. Ital. pag. 54. Binghamus. de Tabernaculis, Monasteriis, et aliis quibusdam minus usitatis Ecclesiarum nominibus. T. III. lib. VII. c. I. 9. XI. p. 135.

³ in Actis SS. Ord. S. Bened. Sec. III.

Monastici Ordinis. Ad quae Mabillonius haec adnotavit. *Tunc temporis erant Monasteria Monachorum, et Canonico- rum . . . et fratres etiam tunc dicebantur Clerici, et Canonici: unde hic Frater Monastici Ordinis, discriminis ergo.*

Qua de re Innocentius III. sanctissimus, idemque doctissimus Pontifex, sapientissimorum Patrum vestigiis inhaerens, ad fovendam disciplinam *inter B Petri Canonicos*, Apostolicae auctoritatis robur, atque inconcussae observantiae praeceptum adnexuit diplomate, ex quo conficitur ¹, *Canonicos* per id temporis in eodem cubasse dormitorio, atque in eodem refectorio ad mensam discubuisse, lectioni semper intentos, cui in prandio sine intermissione Anagnostes vacare debebat ². Quae quidem in mentem revocant egregium Canonico- rum Ecclesiae Rhemensis institutum, quod Stephanus Tornacensis anno mcc. in epistola ad eorundem Canonico- rum senio- rem, hujusmodi laudibus ornavit. *Reficiebant Convivae Domini, minus ventrem, quam mentem, sonante eis per mi- nisterium lectoris divino eloquio, nunc admonendo praeceptis, nunc prohibitionibus coercendo. O fortiores epulas, quae non crapulam provocant, sed sobrietati deserviunt!*

Verum, quod *Innocentius III.* sanctissime praescripsit, id jam, meo quidem iudicio, *Canonici* praestabant, non amplius in singulis *Monasteriis* superius descriptis, sed in nonnullis eorum, atque etiam in *Canonica*, quae tantum in suo diplomate nominatur, quum *extra* ejus *septa* cuiquam *sine Capa, vel Toga* exire interdictum esset, nisi forte *extra Urbem equitaturus, et tunc nihilominus in habitu*

P. I. p. 104. Vita cum Comm. praevio, et notis Ioh. Stiltingi. in T. 11. Sept. Bolland. pag. 549, et in vitis SS. Surii die v. Septemb. pag. 70, et apud Borgia

Tom. I. Mem. di Berevento pag. 186.

1 T. I. Bull. Vat pag. 87, et 88.

2 Regula Pachomii, et Basillii in Cod. Regular. Luc. Holsterii Par. I.

honesto. Id enim sancte servatum fuisse docet Leo a S. Jo-
 hanne in *Typo vestis religiosae* ¹, uti praescripserant Conci-
 lium Agathense ², et Liptinense ³, et post Innocentium III.
 confirmarunt Turonense ⁴, et Ravennatense ⁵. Ex quibus li-
 quido praestabis, multo ante *Nicolaum* III, (qui hanc *Ca-
 nonicam* dumtaxat instauravit ⁶, minime vero de novo con-
 didit, ut excidit *Turrigio* ⁷, quod tantum de *Adriano* IV.
 dici posset ⁸,) huc veteres *Monasteriorum* inquilinos magna
 ex parte emigrasse, novamque, ac propriam sibi sedem,
 et domicilium ibidem statuuisse. Quaeso enim, cur *Inno-
 centius* III, ut fecerat *Innocentius* II, *Monasteria* minime
 nominavit, atque eadem *Monachis* etiam *quinque Monaste-
 riorum* non praescripsit, si tum vel iidem, Canonici Bas.
 Vat., quibus diploma inscripserat, reipsa fuissent?

Jam quemadmodum, inquires, hac de re constituetur?
 Equidem sic existimo, usque ab *Adriani* IV. tempestate,
 potiolem partem *Canonicorum* in *Canonica*, de qua nunc
 sermo est, habitasse. Etsi enim diplomata ejusdem *Adria-
 ni* IV. ann. MCLVI II. , *Vrbani* III. an. MCLXXXVI. ¹⁰ *Clemen-
 tis* III. anno MCLXXXVII II. ¹¹ *Canonicis Bas. Principis Apostolo-
 rum, et Rectoribus* IV. *Monasteriorum SS. Iohan. et Paulli,
 S. Martini, S. Stephani Majoris, et S. Stephani Minoris*, in-
 scripta sint, non inde tamen consequitur, uti Bull. Vat.
 editoribus ¹² visum est, *Canonicos, ac Rectores Monasterio-*

¹ Sect. 111. p. 21. Parisiis 1625.

² Ann. 506. can. xx. Vestimenta nisi, quae religionem deceant, uti, vel habere non liceat.

³ An. 743. can. viI. ut Presbyteri, vel Diaconi non Sagis, laicorum more, sed casulis utantur, rite Servorum Dei.

⁴ Ann. 1239. can. 111. Ne Sacerdotes in publicum procedant, nisi Cappis clausis, vel mantellis.

⁵ Ann. 1314. can. x. Ne vestimenta alterius coloris, quam jure permisi, quae desuper clausa sint, atque talaris.

⁶ *Torrigio* Grotte Vat. p. 310.

⁷ *ibid.* p. 391.

⁸ V. pag. 1569.

⁹ T. I. Bull. Vat. p. 53.

¹⁰ *ibid.* p. 68.

¹¹ *ibid.* p. 72.

¹² T. I. p. 57.

rum eosdem fuisse , atque *Monachos* , qui ibidem degebant . Imo , ni vehementer fallor , satis mihi quidem videtur , ex iis aperte constare , *Monachos* eorumdem *Monasteriorum* , non amplius tum *Canonicos* fuisse Basilicae Vaticanae , quum ab iis separatim nominati essent eorum *Rectores* . Nam si *Canonici* et ii fuissent , diplomata *Canonicis Basilicae Principis Apostolorum* generatim tantummodo fuissent inscripta , ut Eugenium III. anno MCLIII, ¹ Adrianum IV. anno MCLV , ² et Alexandrum III. anno MCLXXVII. ³ praestitisse legimus . Qua de re , quid relinquitur , nisi ut horum *Monasteriorum Rectores* , sub iis Pontificibus , ex *Canonicorum* Collegio fortasse adlectos fuisse , vel , quod etiam probabilius videtur , eorum *Rectores* , etiamsi *Monachos* , *Canonicorum* albo adscriptos credamus . Nam Gregorius IV. anno DCCCXXVII. pone Basil. S. M. Transtiberim ⁴ , *Monasterium a fundamentis statuit , et novis fabricis decoravit . In quo etiam Monachos Canonicos aggregavit , qui inibi officium facerent , et Omnipotenti Domino grates , et laudes diebus singulis , et noctibus prosequutis , intimo cordis spiramine decantarent . Sed haec tamen non aliter , quam pro conjectura accipi volo . Quis enim in tanta monumentorum inopia , rerumque obscuritate , verum certo dispiciat ?*

Haec autem *Monasteria* , *Benedicto IX.* Pontifice , hoc est , intra annum MXXXII, et MXLVI; unius tantum gubernationi tradita ferme omnia fuisse videntur , si *Turrigii* auctoritati standum est , qui in veteri Instrumento membranaceo Archivi Vat. haec legi ait ⁵ . *Azzo Rector S. Petri , et quattuor Monasteriorum .* Atque hanc porro

¹ T. I. Bull. Vat. p. 51.

² ibid. p. 253.

³ ibid. p. 64.

⁴ num. CDLXX.

⁵ p. 606.

dignitatem ei similem fuisse addit, quam, dum scriberet, major Sacrista obtinebat. Verum id nominis fortasse designavit Archipresbyterum Basilicae, quorum primum ab eodem Benedicto electum Card. Vrsum Vrsinum fuisse tradidit Grimaldus². Quod tamen, aut parvo temporis spatio, aut certe dicamus, licet, nunquam contigisse, quum mox observatum sit, *Adrianum IV, Urbanum III, et Clementem III*, eodem Seculo XII, *Rectoribus* IV. *Monasteriorum* diplomata inscripsisse. Verum haec *Monasteria* semper Canonicis Bas. Vat. subjecta permanserunt, etiamsi temporis lapsu nonnulla eorum, praeter illud S. Martini, Monachorum, quos ita vocamus, custodiae tradita, et mancipata essent.

Haec autem Ciampinii³ sententiae adversari videntur, qui Monasteria prope Apostolorum sepulcrum excitata, Monachorum Aegyptiorum sodalitatibus, quas Romae instituerat Athanasius Episcopus Alexandrinus, ab Arrianis sua sede expulsus, usque ab initio donata fuisse scripsit, *utpote quae non parum sua solitudine, eorum instituto conformarentur, dum Vaticana Basilica extra Urbem tunc temporis posita erat*. Nam post Baronium⁴, et Lupum⁵, Mabillonius⁶ affirmavit, *Romam Orbis Caput, atque adeo universam Italiam Monachorum vitam hausisse per S. Athanasium*, qui, rationes ineunte Pagio, Romam apulit, a Julio P. arcessitus, anno cccxli; etsi Muratorius⁷ contendat, primi Monasterii exemplum non ab Athanasio in Vrbe, verum Mediolani a S. Martino in-

² Torrigio *ibid.* V. Cenni in not. ad Diss. LXII. Muratorii T. II. P. II. p. 38.

³ p. 91. ⁴ ad ann. 328.

⁵ in Schol. ad Can. VI. Conc. Tholosani et in not. ad lib. de Praescript. Tertull.

⁶ T. I. Annal. Bened. n. IX. ad an. 494. de Monachorum origine, statu, et regulis in Occidente, ante S. P. Benedictum, et in T. III. Disc. Pop. Dei p. 236.

⁷ Diss. LXV. P. II. T. II. p. 77.

structum , qui , teste Severo Sulpitio ¹ , *Italiam repetens , quum intra Gallias quoque discessu S. Hilarii , quem ad exsilium Hereticorum vis coegerat , turbatam Ecclesiam comperisset , Mediolani sibi Monasterium statuit .* Quod etiam Gregorius Turonensis ² , ne quid dicam de Paullino Petricorio ³ , confirmat , inquit , *apud Urbem Mediolanensem Italiae primo Monasterium constituit .* Atqui , si primitus haec obtinuerunt *Canonici Seculares* , evidens est , Monachos , de quibus loquitur Ciampinius . non illuc inventos esse potuisse , nisi post eorum emigrationem ad Aedem Canonicalem , primum ab Adriano IV. memoratam . Praeterea tria Monasteria *SS. Ioh. et Paulli , S. Martini , et S. Stephani Maj.* dumtaxat a Leone M. constructa fuisse vidimus ; etsi minime inficiandum sit , usque ab aevo S. Hieronymi , Monasteria exstitisse , quibus regulas Liberius ⁴ , Damasus ⁵ , et Innocentius praescripserunt , ac nonnulla ex iis ipse Augustinus indicaverit ⁶ , *in quibus singulis gravitate , et divina scientia pollentes , ceteris secum habitantibus , Christiana charitate , sanctitate , et libertate viventibus .* Ceterum , ut animadvertit doctissimus Blanchinius ⁷ , neminem Summorum Pontificum ante Leonem M. Monasteria prope Urbis Bas. aedificasse legimus . Cujus quidem insignis disciplinae exemplum deinde imitati sunt Hilarius ⁸ , Simplicius , et Gregorius II, aliis erectis Monasteriis , ad S. Laurentii extra Pomoerium , et prope Basil. Liberianam , ut Monachi ibidem diu noctuque divinas laudes persolverent .

1 in Vita c. iv.

2 in Hist. Francor. l. I, et in l. x. c. xxxI.

3 in Vita lib. I.

4 V. Notizie dell'origine , e dell'antichità del Monastero di S. Ambrogio della

Massima . Roma 1755. 8.

5 in ejus vita apud Schelestratum .

6 de morib. Eccl. c. xxxI.

7 T. II. Anastasii p. 158.

8 ibid. p. 70 , et 71.

Adde his, quod, etiamsi dandum esset, *Monasteria Vaticana* vel ante Leonem exstructa, atque a Monachis deinde habitata, tamen postquam Benedictus Pater novum Ordinem condidit Sec. VI. ¹ quum pene omnia Monasteria regularia secundum ejus Regulam se vivere faterentur, putandum potius esset, Monachos ex ejus familia illuc invectos, ut sibi persuasit Turrigius ². Et sane *Monasterium S. Martini* ad Monachos Benedictinos usque a Seculo X. spectasse vidimus ³. Quapropter Ciampinii argumentatio funditus ruit; quum multo propius ad veri speciem accedere videatur, omnes ad Athanasii admirationem, quamplures etiam, ut ait Hieronymus ad Principiam Virginem ⁴, ad imitationem, et consecrandae vitae Monasticae studium impense excitatos, nobilissimasque etiam ex Romanis Feminis, Virorum exemplo, sese in alia Monasteria extra Urbem, vel, si mavis, in ipsa Vrbe exstructa abdidisse, quin primordia Monasticae vitae, quae viguit in *Monasteriis* prope Bas. Vat. a Leone M. primum exstructis, ab Athanasio in Vrbe instituta judicemus.

Ac profecto, etsi Monachorum coetus jam inde a Seculo IV, et V. plus minus in Vrbe coaluerint ⁵, tamen eo-

¹ Conc. Cabilon. II. ann. DCCCXIII.

² Grotte Vat. p. 78.

³ p. 1493. V. Galletti Capena Municipio de' Romani p. 37. ⁴ ep. xVI.

⁵ Anonymi Monachi Cartusiensis Vallis Dei Dialogus de diversarum Religionum origine, et earum temporibus, ac Legislatoribus, T. VI. Collect. Marten. et Durand p. 4. 94. Matthaeci Galeni Origines Monasticae, seu de prima, ac vera Christianae Monasticae Origine Comment. Dilingae 1563. 4. Ant. Dadini Alteserrae Asceticon, sive Origines rei Monasticae. Paris. 1674. 4. Lucas Holstenius in Cod.

Regulari, postremae edit. in fol. T. II. in praef. n. x. p. 2. ibid. c. III. p. 11. Muratorius. T. v. Antiqq. Ital. medii aevi p. 361. 402, et ital. in diss. LXV. T. II. P. II. p. 78. de Monasteriorum erectione, et Monachorum institutione, Heliot in Historia Monastica. Mabillonius de Monachorum origine statu, et regulis in Occidente ante S. Benedictum in Praef. ad Acta SS. Ord. S. Bened. Sec. I. p. 7. 11. ac praecipue in Observationibus de variis Congregationibus, et Ordinibus Monasticis Sec. XI. institutis. in Praefat. ad Acta SS. Par. II. p. 47. 58.

rum numerus latius coepit excrescere Sec. x, sub cujus finem tradit Mabillonius ¹ in Vrbe lx. *Monasteria, nimirum xl. Monachorum, et xx. Sanctimonialium numerari.* Id enim Arnoldus ex Comite Monach. Ratisponensis, agens de pietatis cultu, qui Sec. xl. in Vrbe effloreat, scripto consignavit. *In tantum crevit in divino cultu, ut pro ruinis murorum, et veterum Fanorum, surgant quotidie innumera Aedificia Ecclesiarum, sive Monasteriorum, e quorum incredibili numero, ut audiui a quodam sene, qui se dixit nutritum in eadem Civitate, xx. possidentur a Sanctimonialibus, xl. a Monachis, exceptis iis, quae extra Civitatem sunt, et in aliis Ecclesiis, sive Capellis, quae in eadem Vrbe abundant.*

Quocirca Panvini sententiae minime acquiescendum reor, qui Monachorum titulo deceptus, quem Canonicis Bas. Vat. jam inde ab anno dcccliv, donatum fuisse vidit, eos ab ipsis Monachis distinguendos esse duxit. Nam disserens ² de dignitate Cleri Basilicae S. Petri, ita argumentatur. *In Vaticano post hominum memoriam, et praesertim ante annos D. Clerici, sive Canonici Seculares perpetuo fuerunt, qui aliquando reformati, Canonici vocati sunt. Hi nunquam trium sollemnium votorum observantiam sunt professi. Nam, quod Monachi apud S. Petrum permansisse leguntur, Clericos Seculares non excludit. Ii enim psalmodiae tantum vacabant, hi cantandis Missis, et Sacramentis exhibendis intenti erant, a quibus ministeriis Monachi tunc arcebantur, quum Laici tunc essent, et hararum Canonicarum cantui tantum attenderent,*

Verum pace tantorum manium, nunquam mihi persuadeam, Monachos, qui in descriptis Monasteriis pri-

¹ in Sec. x. Annal. Bened.

² T. III. ms. c. IX.

mitus degebant, a Canonicis diversos fuisse. Eisdem ego Monachos, Vat. Bas. Canonicos fuisse puto, quos ferme omnes reipsa Laicos, aut Clericos dumtaxat fuisse contendo, gravissimo II. Ord. Rom. testimonio innixus, quem idem Panvinius Ordinem Gelasianum, a Gregorio M. emendatum fuisse existimavit, ac certe antiquissimum esse demonstravit Mabillonius ¹, Amalarii ², Micrologi ³, et Stephani Balutii ⁴ auctoritate. Ibi enim *Monachi*, qui apud Lateranum ⁶ et ad S. Petrum degebant, a Presbyteris aperte distinguuntur, suumque locum separatum, aequae, ac Virgines, ac Viduae in Aede habebant, ubi Ordo, quo Pontifex, expleto Sacrificio, in *Secretarium* revertebatur, ita describitur ⁵. *Tunc septem cereostata praecedunt Pontificem, et Subdiaconus cum turibulo ad Secretarium. Descendente autem illo in Presbyterium, Episcopi primum dicunt, jube Domine benedicere R. Benedicat vos Dominus. R. Amen. Post Episcopos, Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, deinde omnes Processores, et Mansionarii, et intrat in Secretarium.*

Verum, etsi cum Panvinio, sentiam Laicos, aut Clericos omnes fuisse Monachos, in Vaticanis Monasteriis tunc ad divina psalmorum cantica alternis pangenda destinatos, quod ut ipse ait ⁶, *psalmodiae munus, antiquitus Laici dumtaxat usurparent, nunquam tamen, alios Canonicos Presbyteros Seculares, a Monachis diversos cum eo statuere possum, ad Sacrorum celebrationem, et Sacramentorum administrationem obeundam. Haec enim provincia VII. Cardinalibus hebdomadariis commissa erat, ut ex iis, quae mox afferemus, planum fiet.*

¹ T. II. Mus. Ital. in admonit. p. 41.

² in Egloga edita in ipsum Ordinem.

³ in c. IX. ⁴ in Append. Capitular.

⁵ num. 5. p. 51.

⁶ T. III. ms. c. xxxv. pag. 56. de his qui in Eccl. B. Petri div. offic. celebrabant.

CAPUT VIII.

De VII. Cardinalibus hebdomadariis Basilicarum
Lateranensis, et Vaticanae.

Vsque a remotiori aetate, Pontifices super B. Petri Confessionem rei divinae operatos fuisse, testatur Hieronymus, qui ita Vigilantium alloquitur ¹. *Male ergo facit Rom. Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, et Paulli, secundum nos ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificia, tumulos eorum Christi arbitratur Altaria?* Item Prudentius Romanum Pontificem, natali die Apostolorum, sollemne sacrificium semel in Vat. Bas. iterumque in Aede Paulli via Ostiensi offerentem describit hymno XII, ubi cecinit ²

*Transtiberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.*

Verum id muneris, quod, stans dumtaxat diebus, Pontifex obibat, deinde qualibet die a VII. Presbyteris Titularibus alternatim praestandum fuisse, Gregorius M. praescripsit. Sic enim de eo tradidit Beda ³. *Fecit inter alia B. Papa Gregorius, ut in Ecclesiis BB. Apostolorum Petri, et Paulli super Corpora eorum Missae celebrarentur.* Bedae consonat Joh. Diaconus, narrans in vita Pontificis ⁴. *Super Corpora BB. Petri, et Pauli Apostolorum, Missarum sollemnia celebrari decrevit.* Idem confirmat Liber Pontificalis, ubi ait ⁵. *Hic praecepit, ut super Corpus B. Petri Apostoli Missae celebrarentur. Item in Eccl. B. Pauli Apostoli eadem fecit.* Verumtamen P. Mallius hujusmodi mu-

¹ in Tract. adv. Vig. p. 280. Paris. 1706.

² de Pass. App. Petri, et Paulli.

³ in Hist. Ec. Gent. Angl. an. DCCXXXV.

⁴ lib. II. c. xx. ⁵ T. I. p. 234.

nus Cardinalibus fuisse praescriptum , diserte tradidit , ubi habet ¹ . *Hic constituit supra Corpus B. Petri , et B. Pauli a Cardinalibus Missas jugiter celebrari .*

Ceterum doctissimus Franc. Blanchinius hebdomadariam assignationem Episcoporum viI. in Lateranensi , totidemque Presbyterorum Collateralium in reliquis Basilicis Patriarchalibus S. Petri , S. Paulli , S. M. Majoris , et S. Laurentii extra muros , *primum rudimentum accepisse putat* ² *sub Damaso , et complementum obtinuisse a Simplicio .* Nam Damasus omnium primus fuisse videtur , qui continentem psalmodiam praescripsit , jubens ³ , *ut psalmi diu noctuque canerentur per omnes Ecclesias , et hoc praecepit Episcopis , Presbyteris , et Monasteriis .* Deinde vero Simplicius ⁴ *constituit ad S. Petrum , et ad S. Paullum App. et ad S. Laurentium M. ut hebdomadibus singulis Presbyteri manerent ibi propter baptismum , et poenitentiam petentes , de regione i. ad S. Paulum* ⁵ , *de reg. iII. ad S. Laurentium* ⁶ , *de reg. vI. vel viI. ad S. Petrum .* Verum , una cum altero eruditissimo Praesule Steph. Borgia ⁸ , a quo haec omnia egregie , ut solet , prolata , sum mutuatus , Damasum id unum praecepisse , ut per omnes Ecclesias Episcopi , Presbyteri , et Monachi psalmodiae vacarent , nihil tamen de Sacrorum celebratione pronunciasset , nemo non videt . Item in vita Simplicii nulla de Sacrificii oblatione fit mentio , sed unice munus Presbyterorum de Bap-

¹ Hist. Bas. S. Petri c. iv. n. 53.

² in T. II. Anast. p. 38 , et T. III. p. 176.

³ in ejus Vita .

⁴ in ejus Vita Tom. I. p. 161. et apud Mallium n. 134 , et Vegium n. 87.

⁵ Presb. T. S. Sabinæ , SS. Aquilæ , et Priscaë , S. Balbinæ , SS. Nerei , et Achillei , S. Xysti , S. Marcelli , S. Susannæ .

⁶ S. Praxedis , S. Petri ad Vincula , S. Laurentii in Lucina , S. Crucis in Hierusalem , S. Stephani in Monte Coelio , SS. Ioh. , et Paulli , SS. iv. Coronatorum .

⁷ in Catal. Rom. Pont. apud Schelstrat. p. 476. legitur tantum de Reg. viI.

⁸ de Confessione Vaticana Beati Petri pag. 46.

tismate, et Poenitentia administranda indicatur. Itaque haud ante Gregorium M. quotidiana sacrorum celebratio super Altare S. Petri commissa fuisse videtur, quam Lucas Holstenius perperam usque ad Stephanum IV. retrahendam esse duxit¹. Nam haud satis recte interpretatus est verba incerti auctoris de vitis PP. quae sub Luitprandi nomine circumferuntur, ubi legitur². *Hic constituit VII. Cardinales Episcopos, qui alternatim in Eccl. B. Petri Ap. hebdomadas celebrarent, et hymnum Angelicum in Missarum solemnibus decantarent.* Quae quidem excerpta videntur ex Stephani Biographo, qui haec habet. *Constituit, ut omni Dominico die a VII. Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant, Missarum solemnibus super Altare B. Petri celebrarentur, et Gloria in excelsis Deo diceretur.*

Verum utrobique de Episcopis, minime vero de Presbyteris Cardinalibus hebdomadariis sermo est, quibus Gregorius III. magni Decessoris sui vestigiis insistens, sacri sollemnis celebrationem per suas hebdomadas praescripsit, jubens³, *ut a Monachis vigiliae celebrarentur, et a Presbyteris hebdomadariis Missarum solemnibus.* Quam quidem lectionem retinendam puto pro altera, ubi *Presbyteri hebdomadarii* minime nominantur, sed unice⁴, *a Monachis trium Monasteriorum quotidie Missas in eodem loco celebrari jussisse* legitur.

Quales vero essent, discimus a P. Mallio, qui eos hoc ordine enumerat. *Cardinales Presbyteri, qui ad sacrosanctum Altare B. Petri per Hebdomadam Missas celebrare debent, hi sunt. S. M. Transtiberim, S. Chrysogoni, S. Caeci-*

1 in adnotat. ad Geogr. Sacr. Kar. a S. Paulo c. VII. l. I. p. 34. Amst. 1704.
2 T. I. p. 155. n. xxvii.

3 V. p. 1302. et Mabillonium in Comm. ad Ord. Rom. p. xxix. et p. 2.

4 T. I. Anast. Vignol. p. 47.

liae, S. Anastasiae, S. Laurentii in Damaso, S. Marci, SS. Martini Papae, et Silvestri, quae vocantur Titulus Equitii. Eorum primus, die Dominico, ceteri ex ordine feriis sequentibus, ac postremus die Sabbato rem divinam operabantur.

Ejusdem ministerii causa, oblationum Bas. participes erant. Accipe rem a P. Mallio, qui eas ita diribendas fuisse tradit¹. Certum est, nos Canonicos Bas. Beati Petri, praeter alias rationes, et consuetudines, quas habemus in oblatione Missae Altaris majoris B. Petri, de antiqua consuetudine habere semper decimam hebdomadam de XI. hebdomadibus totius anni, quae sic dividuntur. VII. primas hebdomadas accipiunt VII. Cardinales S. Petri. VIII. hebdomadam accipiunt Diaconi Cardinales², praeter dominicalia totius anni, quae ad eos spectant, excepta Dominica Palmarum, et Pascha³, nisi forte fit Statio. IX. hebdomadam Cantores. X. hebdomadam Canonici Ecclesiae. Qua finita reincipiunt praedicti Cardinales S. Petri a capite; et sic fit per totum annum. Oblatio itaque, quae spectat ad hebdomadam, est illa, quae venit ad manus Cardinalis, cantato Evangelio, et quae venit ad Altare, posito Calice, et donec Missa cantata fuerit. Illa tamen oblatio, quae venit ad Altare, postquam Calix est positus, dividitur per medium; medietas est Altaris, et altera medietas est illius, cujus est hebdomada. Ille igitur, cujus est hebdomada, primo loco dat tria capita, idest tres monetas de communi Mansionariis, qui serviunt ad Altare: deinde pro quantitate oblationis tribuit Diaconis, et Sub-

¹ c. VII. n. 133.

² Intellige ibidem nominatos fuisse illos, qui Presbyt. Cardinalibus hebdomadariis, aut Episcopo Sylvae Candidae, cui demandata fuisse divina officia Bas.

Vat. mox ostendemus, famulabantur.

³ Eadem ex privilegiis Johannis XIX. Benedicti XIX, et Victoris II. deinde addicta fuerunt Antistiti Sylvae Candidae.

diaconis , et illis , qui serviunt de pluviâli : postea datis piscibus Dominis Cardinalibus , dat sextam partem Cantoribus , et duas de melioribus faculis .

Hujusmodi usum anno MCCXL. adhuc viguisse testatur Diploma Gregorii IX , quo jubet , ex oblationibus opportunum apparatus Cardinalium in ipsa (Vat. Bas.) pro tempore ministrantium conservari . At demum exolevisse censet praestantissimus Borgia , ob translationem Rom. Sedis Avenionem . Nam etsi Card. Aymericus Tituli S. Martini , et Silvestri , esset e septenario numero Cardinalium , quibus ad Aram principem Basil. Vatic. sacrum sollemne celebrare , injunctum erat , tamen , quum ad Urbem proficisceretur , anno MCCCXL , Clemens VI. de eodem haec scripsit ad Can. Vat. ¹. *Si retroactis temporibus extiterit consuetum per Card. S. R. E. officio Legationis fungentem , vel alium in Altari Majori Bas. Principis Apostolorum de Vrbe Missarum sollemnia celebrari , super quo vos habere supponimus notitiam plenioram , per ipsum Cardinalem in eodem Altari sollemnia celebrari hujusmodi , vobis eidem circa haec honorabiliter , ut decebit , assistentibus , permittatis .*

Porro hujusmodi privilegium nonnisi septem memoratis Cardinalibus concessum erat , ceterisque plane interdictum . Quocirca ² Romani Custodes Gerardo Antistiti Tullensi , veniam , quam enixe flagitabat , super Altare S. Petri hostiam incruentam immolandi , sese indulgere posse abnuerunt , quod nemini , nisi summo Apostolico , ejusque Cardinalibus antiquo licitum more sacra ad illam Aram mysteria peragere . Quod tamen intelligendum est de VII. Cardinali-

¹ T. I. Bull. Vat. p. 122.
² cap. v. p. 1057. in T. 111. Anecd. Martene , et in Vita , Auct. Vindricio ,

Abbate S. Apri , ex mss. Tullensi , cum Commentario praevio , et notis God. Henschenii . in T. 111. April. Boll. p. 66.

bus hebdomadariis, ac de Episcopo Sylvae Candidae, sive Eccl. SS. Rufinae, et Secundae, cui Joh. XIX. an. MXXVI. ¹ commisit regimen Bas. Vat. et Civitatis Leonianae, et potestatem indulsit supra Aram maximam Bas. Vat. celebrandi divina officia, quaeque ad partes Episcoporum pertinent. Postmodum hoc privilegium a Gregorio IX. ad ² Episcopos Eccl. Portuensis delatum est, cui vetus Ecclesia Sylvae Candidae adjecta fuit a Callixto II. ³. Ex quo factum est, ut seni inde essent Card. Episcopi. Quamquam aliis etiam, qui a Steph. Borgia ⁴ erudite recensentur, hujusmodi honos identidem concessus fuit.

Haec autem satis manifeste probant, nunquam defuisse, qui Sacramenta administrarent, etsi Monachos Laicos, aut Clericos fuisse censeamus; quin opus sit, ut praeter eos, una cum Panvinio, Presbyteros Canonicos Seculares, usque ab initio, ibidem agnoscendos esse, contendamus.

Et sane ad unum Psalmodiae munus Monachi destinati fuisse videntur ex iis, quae post Gregorium III. sanxit Gregorius IV ⁵, ut scilicet *Monachi, qui ad officium persolvendum in Ecclesia B. Petri Apostoli sunt constituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant*. Verumtamen, si quis Canonicos Seculares in Vaticanis Monasteriis degentes, Clericos dumtaxat fuisse, haud satis concoqueret, quid vetat, quominus nonnullum vel inter eos, a primis usque temporibus, Presbyterum agnoscat? Nam inter ipsos Monachos, suos etiam

¹ T. I. Bull. Vat. p. 18.

² ibid. T. III. p. 339, et in Append. pag. 5.

³ Panv. de viI. Eccl. c. I. V. Vignolium in Hadriano T. II. p. 220.

⁴ de Vat. Conf. p. 49. Piazza Gerarchia Cardinalizia. Digressione I. de' Vescovi Cardinali, oggidì sei. Loro Origine, e Prerogative. p. 3.
⁵ §. CDLIX.

fuisse Sacerdotes, etsi pauci essent pro varia temporum disciplina, conjici posse arbitror. Quamvis enim *Cornelius P.* in epistola ad Fabium Praesulem Antiochenum, quam refert Eusebius ¹, aevo suo, nimirum medio Sec. III. Romae XLIV. Presbyteros tantum fuisse constet, et Diocletiano imperante, quadraginta circiter Basilicas, quas, ut docet Valesius, singuli regebant Presbyteri, in Vrbe exstitisse narret Optatus ², tamen Ordinationem *Bonifacii I.* anno CDXIX, subscribentibus plus minus septuaginta Presbyteris, peractam esse constat. Praeterea post *Leonem M.*, quem primum trium Monasteriorum conditorem fuisse vidimus, Synodo Romanae habitae sub *Symmacho* anno CCCXCIX, ex Codice Vallicellano, ubi eorum nomina occurrunt, LXVI. Presbyteros subscripsisse scimus, quod plures jam, uti scite adnotavit Mabillonius ³, uni Titulo, seu Bas. Presbyteri essent addicti. Id vero praesertim Sec. XI. usuvenisse, minime dubitandum est. Jam enim supra vidimus ⁴, Presbyteros trinos *Monasterii SS. Ioh. et Paulli* chartae Joh. XIX. subscriptos, anno MXXIV, ac duo diplomata Leonis IX. an. MLI II. indicavimus ⁵, Presbyteris in *Monasteriis S. Martini, et S. Stephani Maj. ordinatis, et ordinandis* inscripta. Quod multo magis sentiendum est de *Rectoribus IV. Monasteriorum*, quibus diplomata Urbani III. anni MCXXCVI, et Clementis III. anno MCXXCVIII. inscripta fuisse vidimus ⁶.

Quae quum ita sint, quis non mecum Philippi Dionysii sententiam amplectatur, qui in his Monasteriis, longe ante x. Seculum, Monachos primum exstitisse,

1 lib. VI. cap. XLIII. edit. Vales.

2 lib. VI.

3 in Comment. in Ord. Rom.

4 pag. 115.

5 pag. 1499. 1516. 1577.

6 pag. 1582.

laudibus Deo in Bas. Vat. concinendis emancipatos, ac tantum circa ann. millesimum, eorum vice, Presbyteros illuc invecos fuisse affirmavit? Quod ipsum, quum Vir praestantissimus sese de hac re plenius, atque inquisitius in peculiari opusculo disceptaturum¹ promittat, longe solidioribus argumentis, quam quae ingenii mei tenuitas, et eruditionis inopia suppeditarunt, comprobaturum pro certo habeo.

C A P V T V.

De Monasteriis Lateranensibus.

Interim, quum alio, eoque graviore incommodo, istiusmodi sententia laborare videatur, huic etiam pro modulo occurrendum puto. Nam dicet heic fortasse quispiam, multo diversum Basilicae Lateranensis exemplum fuisse. Non abnuo. Sed nihil inde contra nostram opinionem efficitur. Siquidem, ut tradidit Panvinius², Rasponio³ concinente, *Gelasius Papa circa annum CDXCII. Clericos, qui ab arctiore vitae instituto Canonici, idest regulares vocati sunt* (hi Apostolorum, et primitivae Ecclesiae more, secundum B. Augustini regulam in communi vivebant) *Laterani collocavit, qui Presbyterorum veterum tam Cardinalium, quam non Cardinalium loco, Basilicae Lateranensi speciatim addicti quotidie deservirent, in administrandis praecipue Sacramentis, et publicis precibus fiendis.* Et paucis interjectis verbis, ita pergit. *Canonicorum porro priscis illis temporibus praecipuum, ut dixi, munus erat, Sacramenta plebi Dei administrare. Nam in psallendo minus*

¹ p. 112.

² de viI. Eccl. p. 132.

³ lib. 1I. p. 90. c. I. de Ministris divini cultus in Basilica Lateranensi.

erant occupati, quum eo tempore psalmodiam adhuc fideles Populi frequentarent.

Eorum disciplinam paullo dilapsam, ad pristinam observantiam revocavit Alexander II, cui perperam Bull. Vat. editores ¹, ac rursus alibi Cennius ², primam eorumdem Canoniorum Regularium institutionem assignant. Iisdem vero a Bonifacio VIII. ³ primum substituti fuerunt Canonici Seculares, qui tamen, Regularibus illuc postliminio redeuntibus, expulsi fuerunt, ut narrat Steph. Infessura ⁴. Verum, alternante fortuna, rursus anno MCDLV. in Nicolai V. Interpontificio Regulares ejecti, Populo tumultuante, ac Seculares a Callixto III. restituti, quos hinc, teste eodem Infessura ⁵, novennio post, Paullus II. denovo eliminavit, anno MCDLXIV ⁶. Sed, Paulo vita functo, consueta vis adhibita, ac Regulares tertia vice ejecti fuerunt. Denique Xystus IV. anno MCDLXXI, rebus compositis, Seculares restituit, novisque turbis viam om-

1 T. II. pag. 74.

2 Nelle note alla Diss. del Muratori sull' Istituzion de' Canonici T. II. P. II. p. 37.

3 Panvinius, et Rasponus lib. II. c. I. p. 93. Garampi Diss. IX. sopra la Vita Canonica, nelle Mem. della B. Chiara. pag. 301.

4 in T. II. Rer. Ital. Murat. Par. II. Dell'anno Domini 1440. di Maggio, la festa del Corpo di Cristo, li Fraticelli di Santo Ioanni volevano portare lo Corpo di Cristo, e li Canonici non volevano, perchè lo volevano portare essi. Per questa casione fu levato lo tumulto, e furon cacciati da Santo Ioanni a furore di Popolo, e furono cacciati colle pietre, e quelli Fraticelli si difendevano molto bene; e per questa casione andarono da Papa Eugenio, e parte ne rimase nel Palazzo, e allo Papa li seppe molto rio;

e però comandò allo Patriarca, e allo Castellano, che fussero rimessi li Fraticelli in Santo Ioanni, e furono ad accompagnarli li Conservatori, e 26. Caporioni. V. Marangoni Istoria della Cappella di S. Sanctorum p. 192.

5 A dì 5. di Novembre, lo dì di S. Leonardo, lo Papa andò a Santo Ioanni Laterano, e doi dì seguenti, che fo a dì 17. rimise li Fraticelli in Santo Ioanni, e alli Canonici, assegnò quella Sala, che va allo Salvatore, e dopo ordinò, che allo giuramento, che fanno li Romani, quando jurano l' Officio, intrà l'altre cose promettessero, e jurassero, che mai non si trovassimo per niun modo a cacciare li detti Fraticelli, nè a prestare aussilio, a chi li cacciassi.

6 T. II. Bull. Vat. pag. 21. Tom. II. pag. 74.

nem praecluserit, stabili sede Canonicis Lateranensibus in S. M. de Pace assignata. Ex his itaque quis non videt, non Canonicos Seculares, ut in Basilica Vaticana, sed Regulares, jam inde ab initio, Basilicae Lateranensi addictos fuisse? Nemo certe, nisi qui oculos sibi in meridiana luce claudat ¹. Sed tamen ad rem magis magisque enucleandam, pauca de *Monasteriis*, quae circa *Basil. Lateranensem* exstiterunt, exhibeamus.

Monasteria, quae prope Lateranensem Basilicam antiquitus exstitisse constat, quatuor fuisse scimus. Canonici Regulares S. Augustini, solam sacrorum administrationem obierunt, quousque Populus bipartitus, hoc est alternatim, seu bifariam descriptus, morem Deo supplicandi, psalmosque Davidicos concinendi retinuit. Sed quum hic in desuetudinem abiit, Canonici Regulares etiam psalmodiae vacare aggressi sunt; qua demum, et ab iis deinde intermissa, Monachi continentium Monasteriorum eam in se susceperunt.

¹ Gabriel Pennottus . *Histor. Ordinis Clericorum Canonicorum* . Romae 1624. in fol. Nicolai Desnos , *Canonicus Secularis , et Regularis* . Paris . 1674. 8. Aubertus Myraeus . *de Collegiis Canonicorum* . Coloniae 1615. 8. Iohannes Franciscus Moscherus . *Histor. Ordinis*

Monast. ubi initio T. I. legit. *Catalogus librorum*, qui agunt de cunctis Ordinibus. Adam Rechembergius . *de Monasteriis in Ecclesia* 1667. Helyot . ac in primis doctissimus Nicol. Antonellius , qui in *Praef. ad vetus Miss. Rom.* p. xx. de Monachis Lateranensibus fuse egit .



§. I.

*De Monasterio SS. Ioh. Baptistae, et Evangelistae,
et Pancratii.*

Everso a Langobardis Agri Cassinatis Coenobio, Benedictini Romam, tamquam ad Aram, confugerunt, anno DLXXVIIII¹, minime vero anno DLXVIII, ut prave legi notat Vignolius² in Chronico Cassinensi Leonis Marsicani. Eos autem dilapsos, vagosque Pelagius II. peramanter excepit, qui a Panvinio³, ejusque descriptore Rasponio⁴, pro Iohanne III. praepostere acceptus est, quemadmodum post Lubinum⁵, et Mabillonium⁶, egregie demonstravit Card. Nic. Antonellius⁷. Itaque sedem iis concessit, Patriarchio Lateranensi continentem, ubi Monasterium sub titulo SS. Iohannis Baptistae, et Evangelistae, et Pancratii construxerunt, a Gregorio M. nominatum⁸, quod deinde ut notat Vignolius⁹, in Sacrum Bas. Lateranensis conversum est.

Quo vero tempore, ut cum Panvinio¹⁰ loquar, Monachi eo loco cesserint, et Canonici multiplicati Monachorum munia in psallendo, et horas Canonicas cantando supplere coeperint, incompertum. Certum est, aliquot seculis post, Canonicorum tantum Lateranensium, qui Monachorum more, in communi vivebant, Prioremque, qui Abbatis loco omnibus praeesset, habebant, mentionem fieri, et Monachis omnino praeteritis. Ceterum ibidem Cassinenses habitasse tradit Chronica superius memorata per centum, ac triginta annos, quod

1 V. Borgia de Cruce Veliterna p. 241.

2 T. II. in Greg. III. §. I. p. 51.

3 de VII. Eccl. p. 134.

4 pag. 90. 5 p. 337, et 341.

6 in Ann. Bened. lib. VII. n. I. an. 585.

et in T. I. Act. SS. ejusd. Ord. p. 14.

7 in Praef. ad vet. Missal. Later. p. XXI.

8 lib. II. Dial. c. I.

9 T. II. in Leo. III. p. 275, et 288.

10 de VII. Eccl. p. 135.

Cassinense Monasterium destructum permansit. Ac propterea Vignolius rationes subducens, eos usque ad ann. DCCVII, qui primus fuit Pontificatus Constantini, ibi moratos esse censuit. Verum Nicolaus Antonellius ¹ solidis argumentis, non minus Vignolii, quam Panvini sententiam evertens, qui eos ibidem usque ad *Gregorium III.* habitasse contendit, Benedictinos usque ad *Gregorii II.* aetatem ibidem stetisse conjecit. Qua de re nulla mihi quidem videtur relinqui dubitatio, quum hoc Monasterium a *Gregorio III.* restitutum, et novae Monachorum Congregationi traditum fuisse, doceat Anastasius in ejus vita. *Simili modo*, inquit ², *renovavit Monasterium SS. Johannis Evangelistae, et Ioh. Baptistae, et S. Pancratii, secus Ecclesiam Salvatoris, antiquitus institutum; in quo praedia, et dona contulit, et quae invenit de ipso Monasterio alienata, reddito pretio, in eundem locum restituit, ubi et Congregationem Monachorum, et Abbatem constituit, ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinae in Basilica Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, quae Constantiniana nuncupatur juxta Lateranis, diurnis, nocturnisque horis ordinatam, juxta instar officiorum Eccl. B. Petri Apost.* Atque hoc idem Psalmodiae munus, ut mox videbimus, cum Monachis alterius Monasterii alternare, in more habuerunt.

Leo III. nonnullis donis hoc etiam Monasterium cumulavit. Nam, ut ait idem Anastasius ³, *in Monasterio S. Pancratii, sito post Basilicam Salvatoris, quam Constantinianam vocant, fecit vestem de fundato.* Necnon, ut narrat alio loco ⁴, *et in Monasterio S. Pancratii, quod ponitur juxta Basilicam Salvatoris, fecit coronam de argento, pensantem libras v. et semis.*

¹ loc. cit. ² T. II. §. x. p. 51. ³ ibid. §. LVI. p. 274. ⁴ ibid. §. LXXXVI. p. 289.

§. II.

De Monasterio SS. Andreae , et Bartholemaei .

Alterum *Monasterium* , pone Patriarchium Lateranense , exstabat , *SS. Andreae , et Bartholemaei* nomine donatum . Idem Baronius ¹ , et Panvinius ² , quibus ceteri subscribunt , ab *Honorio I.* constructum fuisse putant . Iccirco , ut notat Rasponius ³ , *Monasterium Honorii Papae ad Lateranum* frequentius dicebatur .

Quod planum fiet ex ipso Anastasio , qui *Monasterium* ab *Hadriano* instauratum ita describit ⁴ . *Hic autem ter BB. et Apostolicus Vir , dum diligentissima exquisitione sua reperisset , Monasterium Honorii Papae in nimiam desolationem per quamdam negligentiam venire , divina inspiratione motus , noviter aedificavit , atque ditavit , et Abbatem cum ceteris Monachis regulariter ibidem vitam degentes ordinavit , et constituit eos , ut in Basilica Salvatoris , quae et Constantiniana dicta est , juxta Lateranense Patriarchium posita , officia celebrarent ; hoc est matutinum , horam primam , tertiam , sextam , sed et nonam etiam , et vespertinam , ab uno Choro quidem , qui dudum singulariter in utroque psallebant , Monachi ex Monasterio S. Pancratii ibidem posito , et ab altero choro Monachi jam fati Monasterii S. Andreae , et Bartholomaei , quod appellatur Honorii Papae , quatenus piis laudibus , pariterque psallentes hymniferis horis , Deique laeti resonent cantus , reddentes Domino glorificum melos , persaepeius memoratum venerandi Pontificis nomen , scilicet in secula memoriale ejus pangentes carminibus .*

1 en. DCXVIII.

cap. XII.

2 de septem Ecclesiis pag. 168 , et in

3 p. 240.

ms. de Basilica Lateranensi lib. III.

4 T. II. §. LXVIII. p. 214.

Ad hoc etiam *Monasterium*, *Leonis III.* munificentia pervenit, qui, docente *Anastasio*¹, *fecit in Monasterio SS. Andreae, et Bartholomaei, quod appellatur Honorii, Canistrum ex argento, pensantem libras 111.* Reliqua de hoc *Monasterio*, quod *Vignolius*², ubi nunc *Nosocomium Lateranense*, exstitisse tradidit, apud *Lubinum* videantur.

§. III.

De Monasterio SS. Sergii, et Bacchi.

Tertium *Monasterium*, *SS. Sergii, et Bacchi* vocabatur; ideoque pro *Sacra Aede* persaepe acceptum fuit, quae a fundamentis ab *Hadriano I.*³ exstructa, in *Vrbis umbilico*⁴, ut tradit *Martinellius*⁵, prope fornicem *Septimii Severi* exstabat. *Innocentius III.* eandem instauravit, eique praeterea donavit *medietatem arcus triumphalis*, qui totus in *tribus arcubus* constat: de quo unus de *minoribus arcubus* propinquior est *Eccl. vestrae*, supra quam una ex *Turribus aedificata esse videtur*⁶. Eadem una fuit ex antiquis *Diaconiis* jamdiu deletis, quam etsi *Martinellius*⁷, et *Cre-*

¹ T. II. §. LXXVI. p. 289.

² Tom. II. §. LXVIII. pag. 215, et §. LXXVI. p. 289.

³ Anastas. in ejus vita p. 200.

⁴ Mabillon. Vet. Analect. p. 364. 365. 5 p. 336.

⁶ V. Casimirum a Roma nelle Memorie Istoriche della Chiesa e Convento di S.M.d'Araceli p.440. qui *Innocentii verba ita illustrat*. La qual Torre in parte diroccata, apparisce nella veduta di quell' arco delineata dopo la metà del Sec. XVI. da Egidio Sadeler, e si giudica totalmente distrutta, allora che dal P. R.

sotto il Pontificato di Gregorio XV. fu fatto superiore l'arco sino all'antico piano, pensando farvi all'intorno un muro, e sotto la volta maggiore un ponte, affine di farlo comparire intero, e spiccato, in quella guisa, che vedesi la Colonna Trajana. V. Ios. M. Suaresii Explicat. Arcus L. Sept. Severi. Romae 1676. fol. Camill. Silvestri lettera sopra l'Inscriz. dell'Arco di Settimio Severo. negli Opusc. del Calogera T. II. p. 63. Pet. Lebrechtum Ploettnerum in Commentar. de Arcubus Triumphalibus. Lipsiae 1750.

⁷ Roma Sacra p. 400.

scimbenius ¹ , solo aequatam fuisse scribant sub Pio IV , tamen dejectam fuisse narrat Francisc. Valesius ² , quum Paullus 111. ducentas aedes , ac tria , vel quattuor Templa dejecit , ut Karolus V. Aug. Neapoli Romam appulsus , ob pacem cum Rege Galliarum firmandam , triumphantis more , e porta Capaena , sub Arcubus Constantini , Titi , ac Septimii Severi Augg. Praedecessorum , libere transire , ac sese in Templum Vaticanum conferre posset . Quocirca Marcus Guazzo , Imperatoris ingressum describens , die v. Aprilis anno MDXXXI. narrat ³ , *che uscendo per l'Arco di Tito , per una strada a filo tirata per mezzo il Foro Romano antico , passò all'Arco di Settimio , ov'erano gittati a terra d'intorno tutti quegli edifizj moderni , quali la vista impedivano .*

Huic etiam Aedi , Anastasii locum , vel a Cornelio Byeo memoratum in Commentario de iisdem MM. ⁴ tribuendum esse duxit Vignolius , in vita Gregorii III , qui est hujusmodi ⁵ . Item Diaconiam SS. MM. Sergii , et Bacchi sitam ad Beatum Petrum Apostolum , in qua pridem parvum Orationarium erat , a fundamentis ampliori fabrica dilatavit , et concedens omnia , quae in usum Diaconiae existunt , statuit , perpetuo tempore pro sustentatione pauperum , in Diaconiae Ministerio deservire . Sic autem haec explanavit Vignolius . Sub Capitolio , retro scilicet vetus Concordiae Templum , cui proxima est Ecclesia S. Petri (*supple in Carcere*) apud quam sita fuisse dicitur . Postmodum , ut Grimaldus ex libro Cencii Camerarii , ab Innocentio III. solo aequata , et in Be-

¹ Istor. della Bas. di S. M. in Cosmedin pag. 409.

² Spiegazione d'una Bolla d'Anaeto 11. Antipapa p.130. François Kabelais Lettres escrit . Paris. 1710. 12. p. 20. Kar. Fea

Disser. sulle rovine di Roma Tom. 111. Winchelmann .

³ Istor. p. 236.

⁴ T. 111. Octobr. Boll. p. 857.

⁵ T. 11. §. x111. p. 53.

neficium simplex Canonatus nuncupatum, conversa in Ecclesia S. Hadriani, sub vocabulo SS. Sergii, et Bacchi. Ceterum, vereor, ne in lubrico sit istiusmodi opinio. Altera enim cognominis Diaconia, sita ad Beatum Petrum Apostolum in Vaticano, ab Alpharano¹ describitur, atque hanc esse illam ab Anastasio indicatam, Severanus, Fontana, et Janningus² putarunt.

Sed alterum quoque Templum exstitit, quod cum Monasterio SS. *Sergii, et Bacchi* prope Lateranum quandoque permixtum fuit. Nam, ubi nunc exstat Aedes, vulgo nuncupata, *la Madonna del Pascolo*, in regione Montana, alterum fuit antiquitus Monasterium, a Basilianis Graecis primo inhabitatum; deinde a Presbyteris Secularibus pro Curia habitum, quibus Fratres Minimi Paulliani successerunt; ac demum primis inquilinis Basilianis Ruthenis, qui illud etiamnum obtinent, ab Urbano VIII. restitutum, de quibus legesis, quae scripsit Ignatius Kulczinski, Procurator Generalis Monachorum S. Basilii Ruthenorum, et Rector SS. *Sergii, et Bacchi*³.

Ioh. Franciscus Baldinus, qui Vignolianum opus supplevit, de hac *Diaconia* intelligendum esse putavit Anastasii locum in vita *Hadriani*, qui ita habet⁴. *Diaconiam SS. Sergii, et Bacchi, ejusdem Diaconiae dispensator, propter metum Templi, quod situm super eam videbatur, evertens, super eamdem Ecclesiam a fundamentis ipsam Basilicam exterminavit. Quam restaurare minime valens, misericordia motus ob eorum Martyrum amorem hic praesagus antistes a*

¹ in tab. Ichnog. litt. i.

² T. VI. Junii p. 160.

³ Il Diaspro prodigioso di tre colori, ovvero narr. storica delle tre immagini miracolose della B. V. M. la prima di Zy-

rovvice in Lituania, la seconda del Pascolo in Roma, e la terza copia della seconda, parimenti in Zyrovvice, detta da que' Popoli Romana. Roma 1738. 8.

⁴ T. II. §. XC. p. 231.

fundamentis in ampliorem restauravit decore nimium statum. Item ad hanc Diaconiam in regione Montium referenda esse duxit, quae idem Anastasius narrat in vita Leonis III. his verbis ¹. *In Diaconia vero SS. Sergii, et Bacchi fecit vestem de stauraci*. Atque alibi ². *In Diaconia SS. Sergii, et Bacchi fecit coronam ex argento pensantem libras VI*. Verum quicumque fuit Indicis confector, hanc Diaconiam ab *Hadriano* restauratam, atque in ampliorem statum perductam, unam eandemque pronunciavit ³, atque alteram a *Gregorio III.* reparatam. Quod quantum a veritate recedat, quisque, opinor, per se videt.

Aedes, et Monasterium a graeci cujusdam Conditoris nomine, in *Callinico* appellabatur. Huc pertinent illa Anastasii loca in vita Leonis III. ⁴ *In Oratorio SS. Sergii, et Bacchi, quod ponitur in Callinico, similiter fecit canistrum ex argento, pensantem libras II.* et in vita Benedicti III. ⁵, *qui in Monasterium SS. Christi Martyrum Sergii, et Bacchi, quod appellatur Callinici, fecit calices de argento purissimo duos, et patenam unam, Colatorium unum, cantbarum unum, thymiamaterium unum, pens. simul libras quatuordecim*.

Haec autem praemittenda esse duxi, remque altius placuit arcessere, ne quis posthac, ut dicitur, in eandem foveam cum aliis incideret, ac descripta *Monasteria* cum hoc, de quo agimus, commutaret. En igitur, ubi idem statuere licet, ex Anastasio, qui in *Paschalis* vita, sic de eo loquitur ⁶. *Ipse etiam saepedictus Pontifex, Monasteriis circumquaque constructis, vigilantia cura,*

1 *ibid.* §. xxxviii. p. 263.

2 *ibid.* §. LXXV. p. 287.

3 *ibid.* p. 363.

4 *T.* II. p. 292.

5 *T.* III. p. 162.

6 *T.* II. p. 335.

satis animo gerens, quidque haberent inquirens, reperit ipse pius Pontifex Monasterium SS. Sergii, et Bacchi, post formam Aquaeductus Patriarchii Lateranensis positum, rebus omnibus desolatum, ita ut Ancillarum Dei Congregatio, quae ibidem inerat, paupertatis inopia, nullas omnipotenti Domino, Sanctisque illius laudes decantare valerent. Qua venerabilis Pastor inquisitione commotus, Famulas Dei, qualiter bene religioseque esse possent, perfecit: et in eo Monachorum adgregans statuit Congregationem; multis idem Monasterium ditans facultatibus; et in familiis, massis, vineis, domibus, urbanis, vel rusticis locis amplianter, sufficienterque multiplicavit, quatenus ipsa Congregatio residens, omni necessitate postposita, soli Deo, Sanctisque illius, laudes, et hymnos nocte dieque modulanter in venerabili Ecclesia Salvatoris D. N. I. C. sita juxta Lateranas decantaret.

Nicolaus Antonellius Monachos a Paschale illuc invectos, Benedictinos fuisse conjecit, Monasterio S. Petri Florentinello, sive de Ferentillo, quod, Seculo VII. ineunte, Faroaldus Spoletanorum Dux condiderat, primum addictos. Nullum hujus Monasterii de quo vide, si lubet, Oldoinium ¹, et Lubinum ², amplius exstat vestigium, ut monet etiam Vignolius ³.

¹ in addit. Ciacconii T. I. p. 587.

² p. 345.

³ T. II. p. 336.



§. IV.

De Monasteriis duplicibus Monachorum , et Sanctimonialium .

Nil autem mirum , sacras Virgines , quae , teste Chronico Montis Sereni anni MCCXVI , et MCCXIX. ¹ *Sorores* , aut *Feminae Conversae* dicebantur , una cum Monachis in eodem Monasterio fuisse conjunctas , ubi , quamvis in Claustro separato a sacris Virginibus , tamen una ibidem degebant , ac quasi quaedam vitae societas , facultatumque communitio intercedebat . Magna enim *duplicium* hujusmodi Monasteriorum ² copia , quorum originem Basilio M. nonnulli adsignant , longe , lateque propagata est .

Et sane plura id genus Coenobia in ipsa Italia existisse scimus ³ , etsi id sibi ignotum fuisse Muratorius ⁴ fateatur . Verum Gregorius M. eadem improbabat , quippe qui Januarium Antistitem Calaritanum laudavit ⁵ , quod in domo Epiphanii , Monachorum Monasterium construi vetuisset , ne pro eo , quod domus ipsa Ancillarum Dei Monasterio cohaerebat , deceptio exinde contingeret animarum . Item

¹ p. 158.

² Balsamon . ad Can. viI. viII. Synodi. Zonaras. ad c. xx. Synodi viI. Iul. Antecess. Const. cxv. c. CDLXXXIII. S. Eulogius. lib. II. Memorial. Sanctorum cap. x. Rudolphus Monachus Fuldensis . in Vita S. Liobae c. I. Isidorus . lib. II. de Eccl. Offic. c. xv , Beda . lib. 14. Hist. cap. xv. Praeterea eorumdem meminerunt vitae S. Hadelogae Virg. c. II. S. Elfredae. c. vi. S. Augilberti. apud Bollandum num. xII. S. Nicephori Patriarchae Cpolitani . apud Ignatium Diac. n. xxvi. et S. Guthberti Episc. in T. vi. Act. SS. Ord. S. Ben. p. 299.

Fleury in Discipl. Popul. Dei Tom. II. pag. 164.

³ Thomassinus de Eccl. Discipl. T. I. c. 45. n. 20. c. 63. n. I. Altaserra Asceticon c. II. lib. vi. Brunacci Ragionamento del titolo delle Canonichesse di S. Pietro di Padova p. 23. Mittarellus , et Costadonius in Append. ad T. I. Annal. Camaldul. §. 34. 37. Mabillonius Mus. Ital. T. I. p. 36. Fassung de Puellarum Monasteriis p. 77. Garampi Memorie della B. Chiara p. 399. Diss. xvi.

⁴ T. v. Ant. Ital. Med. Aevi col. 527.

⁵ lib. xI. epist. 25.

ejusmodi Monasteria Justinianus plane interdixit ¹, ac rursus Synodus Nicoena II. in posterum fieri vetavit ².

Nihilominus plura eorum exempla nobis abunde suppeditant vetera monumenta. Nam Mainardus Episcopus Imolensis Templum, ac Monasterium *S. M. Caritatis*, e novo condidit ³, *accìò fosse Canonica regolare secondo la regola del B. Agostino, e i Frati, e Suore della medesima dovessero prestare ubbidienza secondo detta regola al Priore.* Ejusdemmodi fuit Ordo Canoniorum Regularium *S. Marci Mantuae* ⁴, ab Honorio III. confirmatus, ad quem spectabat Monasterium *S. Mariae Virginum* ⁵; ac praecipue Ordo Humiliatorum, de quo haec tradidit B. Vmbertus ⁶. *In partibus Italiae est quoddam genus Religionis, in qua sunt sub eadem clausura inclusae quaedam Mulieres Laicae; ex alia parte quidam Laici bonae indolis, et apti ad laborandum, et sic bene sunt hujusmodi domus ordinatae morantur cum Humiliatis, sequestratim ab eis . . . stant inclusae insimul viventes in communi absque proprio, certa statuta habentes, raro egredientes.* Verum, ne quid morum innocentia ex hac aedium communiione detrimenti caperet, haec providissime praescripta fuerunt. *A Sororibus sic omnes caveant, ut nullus tempore, sine Praeposito, vel ejus Vicarii licentia, claustrum ingrediatur. Construatur Locutorium in claustris Sororum, ita clausum Nulla Soror portam ipsarum Sororum egrediatur, sed sub clausura maneant per-*

¹ V. Sanctiss. C. de Episcop. et Cler. V. Thomassin. de Eccl. Disc. T. I. l. 111. c. xvi. n. 10, et c. XLVI. n. 10.

² Can. xx. ann. DCCLXXXVII.

³ Garampi Mem. della B. Chiara p. 400.

⁴ Biancolini Not. Istor. delle Chiese di Verona T. 111. pag. 265, T. IV. pag. 1.

T. v. P. 1., et in Bullarii Rom. T. 111. pag. 263.

⁵ Flam. Cornelii Eccl. Venet. Dec. vi. pag. 55.

⁶ de erudit. relig. Praed. p. 125. 145, et in Bibl. PP. Tom. xxv. p. 474. edit. Lugd. 1677.

petua . . . Subsunt alicui Praeposito , qui tam Viris , quam Mulieribus praest in eadem domo . Ceterum Joh. XXII. literis ann. mcccxxvii. non solum communia , sed etiam proxima Virorum , ac Mulierum Coenobia , quibus promiscue Humiliati utebantur , tolli jussit .

Sed tamen , quae Pontifex prudentissimus statuerat , haud ita facile ad exitum perducere potuerunt . Nam , ut demonstrat eruditissimus Hieronymus Tiraboschius , usque ad ejusdem Seculi finem , communium hujusmodi Monasteriorum mentio occurrit . Ferme consimilis est descriptio , quam S. Antonius ¹ ob oculos ponit , Ordinis S. Salvatoris , quem Sancta Brigitta ² instituit anno mcccxxxiv , ut aedificia utrorumque sint contigua , habitationes tamen ita separatae clausuris , quod de habitatione Marium ad Feminas , et e contrario , non possint transire , nisi in necessitate extrema . Verum etsi statuisset , Monasteria fundanda , et construenda pro habitatione Fratrum , et Sororum infra eadem septa , sub diversis tamen clausuris , esse duplicia debere , tamen Martinus V. ³ haec omnino delenda , ac simplicia Monasteria erigenda curavit . Ceterum Eugenius IV. ⁴ quum animadverteret , hunc Ordinem pro Monialibus institutum esse , quibus Monachi in eodem septo degentes , tamquam Servitores , et Cappellani , obnoxii esse debebant , regulae antiquae observantiam demandavit . Sic Ordinem suum Sconpringhamensem in Anglia constituit Joh. Gilbertus ⁵ .

¹ Summa Hist. P. 3. tit. 24. cap. 11. §. 4.

² V. ejus vitam cum Comment. praevio Joh. Bollandi in T. I. Febr. p. 99 , et in T. I. Lection. Antiq. Henr. Canisii ex edit. Jac. Basnagii p. 416.

³ Garampi Mem. della B. Chiara p. 551.

⁴ in reg. Arch. Vat. lib. xiv. p. 165.

⁵ V. ejus vitam , auctore coaevo , cum Comment. praevio , et notis God. Henschenii in T. I. Februar. pag. 567. Guil. Neubrigens. rer. Anglic. lib. I. cap. xvi. Martene T. vi. vet. Script. p. 8.

Verum etiam novi generis Monasterium in Chronico ad ann. mcccxxx. memoratur, ubi Monachi una, et Milites cum Vxoribus suis, sub eodem tecto manebant. Ita rem tradit Anonymus Leob¹. *Ludovicus occasione cujusdam visionis, ut asseruit, Monasterium novae consuetudinis, et hactenus inauditae, fundare coepit, quod Etal, id est Vallis legis dicitur, nigros Monachos ibi locans, Milites emeritos cum uxoribus, ad defensionem Monasterii ordinans, res Monasteriorum aliorum abstractas huic adjecit. Potuit tamen eum instruere ad hoc factum sine scientia zelus Dei. Nec enim decet Militem ad praelium accedere cum Vxore; sicut B. Martinus dixisse legitur cuidam Militi, qui suam Conjugem secum in Monasterio vivere, et servire Domino postulavit. Sed haec olim fuerunt. Jamdiu enim hujusmodi usus plane abrogatos fuisse, nemo ignorat,*

§. v.

De Monasterio S. Stephani.

Quod unum modo superest, de quarto, ac postremo Monasterio, quod prope Basil. Lateranensem conditum fuit, nonnihil disserendum. Hoc S. Stephano Martyrum Primicerio dicatum, et ab Hilario constructum fuisse docet Joh. Diaconus, ubi ait². *Fecit etiam ibidem prope S. Stephani Monasterium, in Baptisterio Lateranensi. De eodem ita meminit Anastasius³. Et in Monasterio S. Stephani, quod ponitur Lateranis, fecit canistrum de argento pensantem libras 11.* Recte igitur Vignolius positum fuisse

¹ apud Pezium in T. I. Scriptor. rer. Austriac. col. 933, et in T. II. Carpentier pag. 1314.

² T. II. §. LXXVI. p. 289.

³ in Append. Ord. Rom. in T. II. Mus. Ital. p. 571.

tradit prope Oratorium S. Iohannis Evangelistae . Nullum tamen ejus vestigium amplius diuturnitas reliquum fecit .

Quod ipsum quum tribus aliis etiam Sociis jamdiu obtigisse constet, iisdem multo feliciora fuisse videntur Vaticana Monasteria , quorum unum aliqua ex parte etiam num superstes servatur , atque alterum dumtaxat ante hos non multos annos solo aequatum est . Sed de his satis .

§. VI.

Diversa Monachorum species , qui Basilicae Lateranensi inserviebant , ab iis , qui Basilicae Vaticanae erant addicti .

Ex iis , quae de industria huc usque persecuti sumus , pronum est colligere , diversam plane fuisse Monachorum naturam , et qualitatem , qui Bas. Lateranensi , usque a *Monasteriorum* prope eam exstantium primordiis inservierunt . Nam seu spectes Canonicos ibidem a *Gelasio* , quem cum Pelagio perperam commutavit Azevedus ¹ , collocatos , ut ei primum in Sacramentis administrandis , deinde in publicis precibus concinendis quotidie deservirent , eos *Regulares* fuisse vidimus , B. Augustini regulae sectatores , quorum Coenobii multoties deinde restaurati adhuc exstant vestigia inter apsidem Basilicae , ac Porticum S. Venantii , ubi cernitur vetus Claustrum columnis antiquae structurae suffultum cum horto , et cisterna , ac vestigia domus superioris cum Dormitorio , et Cellulis hinc inde constructis , ut nihil omnino ad recte instituti Monasterii speciem desideres : seu vero *Monachos* consideres , haud longe post *Gelasii* aevum , in *Monasteria* cir-

¹ in dissertat. de priscis Christianorum conventibus . T. I. disc. Pop. Dei p. 135.

cum Bas. Lateranensem aedificata invecos, eos omnes S. Benedicti Filios fuisse demonstravimus.

Sed quum pro illorum temporum disciplina solum psalendi munus exercerent, vel ipsos Monachos Benedictinos, saltem antiquiori aevo, Laicos, aut Clericos fuisse apparet, ex loco secundi Ord. Rom. quem supra ¹ recitavimus, Canonicis Lateranensibus S. Augustini Sacramenta administrantibus, una cum Cardinalibus Episcopis Hebdomadariis, quibus Anastasius IV. anno MCLIV ², et Honorius III. anno MCCXVI. ³ demandarunt, ut *sua quisque hebdomada de observantia regulae, cum Fratribus Capitulum tenerent, et si quid grave corrigendum esset, cum consilio Prioris, et Fratrum per ipsos emendari statuerunt.*

Ceterum, etsi Canonici, qui *Monasteria Vaticana* incolebant, et Monachi vocabantur, non modo Laici, aut Clerici, sed etiam Seculares essent, nihilominus Gregorius III. eorum exemplum Monachis Regularibus Lateran. imitandum proposuit. Eum enim diximus, post Benedictinorum ad Cassinense Coenobium reversionem, Monasterium SS. Ioh. Evangelistae, et Ioh. Bapt. et S. Pancratii, aliis Monachis inhabitandum donasse, qui sacra officia laudis divinae quotidie persolverent, *juxta instar officiorum Ecclesiae B. Petri Apostoli*. Praeterea idem Pontifex, ut habemus ex Anastasio ⁴, *construxit et Monasterium circa eundem Titulum (S. Chrysogoni), SS. MM. Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem Abbatem, et Monachorum Congregationem, ad persolvendas Deo laudes in eodem Titulo, diurnis, atque nocturnis temporibus ordinatam,*

¹ p. 1600.

² Rasponi de Bas. Lat. pag. 54, et in T. II. Bull. Vat. p. 73.

³ in Reg. Epist. anni I. Epist. 107, et

apud Card. Garampium in Dissert. IX. sopra la vita Canonica p. 302. nelle Mem. della B. Chiara.

⁴ T. II. §. IX. p. 50.

secundum instar officiorum Ecclesiae B. Petri Apostoli. Nam, ut recte docet Altaserra ¹, a Basilica Vaticana, tamquam e Fonte, ad alias Ecclesias manavit ritus, divina officia diu noctuque celebrandi.

Atque, ut semper Basilicae Vaticanae religio in exequendis ritibus, ac divinis officiis obeundis, ceteris Ecclesiis, veluti normae, esset, usque ab aevo *Gelasii* I, ut liquet ex ejus decreto de Canone librorum Sanctorum, de quo disserit Thomasius ad Antiphonalia ², constat ex Ordine Romano Bibl. Vallicellanae, et Sanctogallensis, Hadrianum I. jussisse, *Passiones Sanctorum, vel gesta ipsorum, quae* (usque ad sua tempora), *tantummodo ibi legebantur, ubi Ecclesia ipsius Sancti, vel Titulus erat, in Ecclesia S. Petri legendas esse*. Hanc autem sacrorum disciplinam, quum temporum vicibus paulo refrixisset, *Iohannes* XIX. anno MXXVI. ³ ad pristinum cultum saluberrimo decreto revocavit, quem postea, nulla intercisa temporum derivatione, studiosissime servavit, ut pluribus, si vacaret, demonstrare possem exemplis.

Quae quum ita sint, nemo non videt, Petrum Abaelardum, injuria sane ⁴ ad Bernardum Abbatem Claraevallis scripsisse, quod *antiquam certe Romanae Sedis consuetudinem nec ipsa Civitas tenet, sed sola Ecclesia Lateranensis, quae Mater est omnium, antiquum tenet officium, nulla Filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani Palatii Basilica*. Itaque, amputata, circumcisaque hujusce accusationis inanitate, atque errore, quin decus Ecclesiae Lateranensis immerito deprimatur, ad

¹ T. IV. Anastasii p. 201.

pag. 154.

² p. 405.

⁴ in epist. v, et in Tom. II. Mus. Ital.

³ T. I. Bull. Vat. et T. II. Mus. Ital.

p. CXXIX.

famam Bas. Vat. augendam, hanc etiam, a qua, ut loquar cum eodem Iohanne XIX, poene omnes Ecclesiae doctrinam acceperunt, sicut a Magistra, et Domina, sacrorum disciplinam constanter retinuisse fateamur. Nunquam enim oblita est, quae docuit idem Bernardus de divinarum laudum officiis exsolvendis, quaeque merito extollit Cardinalis Bona¹, qui multa in eandem sententiam collegit. *Immolantes*, inquit², *hostiam laudis, jungamus sensum verbis, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati, quo interdum liberis purgatae mentis passibus procedamus*. Et sane una ex omnibus Urbis Ecclesiis, ut animadvertit Cl. Azevedus³, ad haec usque tempora aliquam saltem veteris Liturgiae suae partem constantissime retinuit, quod cuilibet eruditam Petri Martinetti dissertationem legenti *de Psalterio Romano*⁴, praeter Marii Alterii, et Josephi Suaresii⁵ opera, perspicuum fiet.

Ex quibus omnibus, quis non facile Mabillonio ad-sentiatur, qui talia de Clero Bas. Vat. pronunciavit⁶, ubi *de prisco ritu celebrandi officia divina in Ecclesia Romana* disseruit? *Primis novem Ecclesiae Seculis, rara in Vrbe, et forte nulla, praeterquam in Basilica Vaticana, Clericorum Collegia erant. In Titulis, ut superius vidimus, unus, aut duo, tresve Presbyteri, cum pari fere numero sacrorum Ministrorum, rem divinam agebant. In Patriarchalibus adhibebantur Mansionarii, seu Custodes Ecclesiarum, ad eas ornan-*

¹ de Divina Psalmodia cap. XIX. Romae 1653.

² Serm. XXXI. in Cantica.

³ de Antiquis Ecclesiarum Occid. ritibus in recitando div. officio. Exst. in T. III. Discipl. Populi Dei a Zaccaria edit. p. 52.

⁴ Romae 1745.

⁵ de Psalterio Bas. S. Petri. Exst. cum Dionysio de Rivis de Origenis Exaplis. Lugd. 1636. 4.

⁶ T. II. Mus. Ital. in Comm. praev. c. IV. p. XXVI.

das, emundandas, aliaque praestanda, quae necessaria erant; cetera, quae divini cultus erant, aliarum Basilicarum Titulares a Pontifice designati obire solebant. Basilicae S. Petri Seculo nono Ministri, idest Clerici jam addicti erant, quos Amalarius se interrogasse dicit in Praefatione altera ad libros de Ecclesiasticis Officiis, quot Orationes soliti essent celebrare ante Epistolam Missae per dies festos. Responsum autem, quod Amalarius accepit ab Ecclesiae S. Petri Ministris, uti idem refert in alterius Praefationis initio, in quattuor libros de Eccl. Officio ad Ludovicum Pium, tamquam a Romana Sede acceptum transmisit. Verba Amalarii, quae exstant in nuncupatione 1v. librorum de Offic. Eccl. Ludovico Pio, sunt hujusmodi. Postquam scripsi libellum, qui a parvitate mea vocatur de Ecclesiastico Officio, veni Romam, interrogavique Ministros Ecclesiae S. Petri, quot orationes soliti essent celebrare ante Epistolam Missae per dies festos, in quibus duas Solemnitates celebramus . . . Responsum est mihi duas tantum. Quumque sese accepisse, quae dicturus erat, a Romana Sede, professus fuerit, id jure Bullarii Vaticani editores¹ perpetuae gloriae Canonicis Bas. Vat. futurum animadvertunt; quibus non minus, quam ceteris ejusdem Cleri Ordinibus, haec de summa eorum institutionis antiquitate, a me in medium allata, haud ingrata fore confido. Haec enim, etsi prima Canonico- rum mentio in diplomate Leonis IV. dumtaxat occur- rat, vel ipso Seculo vii. anterior esse videtur, cui ni- mirum tempori Balutius in Commentariis ad Lupum Fer- rariensem², vetustiora *Canonicorum Collegia* in Ecclesiis Cathedralibus, originem debere demonstrat.

¹ T. II. p. 74.

² p. 372.

Sed manum de tabula. In horum omnium *Monasteriorum* origine, et vicibus persecuendis fortasse longius quam par erat, excursus est. Verumtamen operam nostram non inutiliter collocare arbitrati sumus, si haec omnia pro virili enucleare studeremus, ut Sociis vetustissimis *Monasterii S. Stephani Minoris*, aequale nomen, ac fama apud Posteris remaneret.



V. p. 496.

